D I A R I U M
LITURGICO-THEOLOGICO-MORALE

S I V E

S A C R I R I T U S,

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE DISCIPLINA.

NOTANDA SINGULIS TEMPORIBUS ATQUE DIEBUS ANNI ECCLESIASTICI ET CIVILIS.


A U C T O R E

FERDINANDO TETAMO

P A N O R M I T A N O.

ANNUS ECCLESIASTICUS.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS, MDCCLXXXIV.

Ex Typographia Petri Savioni.

In Via Mercatoria ſub Signo Navis.

CUM PUBLICA ADPROBATIONE AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

LIBER V.

TRACTATUS II.

SACRI RITUS,

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ, MORUMQUE DISCIPLINA

NOTANDA TEMPORE PASCHALI

A DOM. PASCHÆ USQUE AD SAB. POST PENTECOSTEM.

PROŒMIUM.

TEMPUS Paſchale eſt illud, quod fluit a Paſchate Reſurrectionis Domini uſque ad Pentecoſtem cum ſua Octava; (etſi non quo ad omnia, ut ſuis locis explicabitur:) ex ordine Rom. *tit. de Ordine in nocte Pentec. fine*. Totum hujuſmodi tempus una, jugis, & continuata feſtivitas reputatur, vel Pentecoſtes: ut a SS. Maximo, & Euſebio referendis ubi de Pentecoſte; vel potius Reſurrectionis: quia Eccleſia jugiter occupatur in Myſterio Reſurrectionis Chriſti, & glorificationis ejuſdem: quæ & noſtram figurat, atque præſignat. Unde Græci tempus Paſchale vocabant, tempus Reſurrectionis, teſte Iſidoro in *catena Græcorum*, *in Luc. c. 22.* verſ. 41. apud Raynaud *t. 6. de prima Miſſa ſect. 1. c. 6. poſt med. & cap.* 19. ubi hæc ab eo deſcripta verba inter alia recitat: . . . *Totam Pentecoſten*, (ſeu tempus quod fluit a Paſchate ad Pentecoſtem) *Reſurrectionis tempus appellamus*. Cujus ratio eſſe videtur, quod prius dixerat verſu 7. *Quippe cum Domino reſurgimus*, *&* *Regni ipſius participes ſumus*. Et Baſilius *lib. de Sp. S. c.* 27. ait: *Totum tempus* (a Paſchate) *uſque ad Pentecoſtem admonitio eſt Reſurrectionis, quam in illo ſæculo expectimus. Nam unus ille, & primus dies* (Dominicæ Reſurrectionis) *ſepties multiplicatus ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomadas abſolvit &c.* Quid autem ſit Paſcha? explicabimus, quæſtioneſque varias quoad celebrationem ejus diſcutiemus, ubi de Dom. Paſchæ Reſur. art. 1.

Porro ad inſtitutum noſtrum facientia quædam notanda ſunt in genere, toto prædicto tempore Paſchali. Alia vero a Dominica tantum Paſchæ Reſurrectionis uſque ad Sabbatum ſequens eamdem Dominicam, videlicet Sabbatum immediate eſt ante Dominicam in Albis, quodque ſimiliter Sabbatum nuncupatur in Albis. Alia autem a prædicta Dominica in Albis uſque ad Sabbatum ante Dominicam Pentecoſtes. Alia de-

denique a Dominica Pentecoſtes uſque ad Sabbatum ſequens, in quo finem habet tempus Paſchale. Ideo librum hunc in quatuor partes dividere juvat, in quibus diſputabimus de quæſtionibus moralibus, Inſtitutionibus Eccleſiaſticis, Sacriſque Ritibus, toto occurrentibus Paſchali tempore. Sit itaque

L I-

Digitized by Google

PARS PRIMA.

NOT. IN GENERE.

A DOM. PASCHÆ USQUE AD SAB. POST PENTECOST.

EXPLICANTUR CAPITIBUS IV.

Cap. I. *Not. pro adminiſtratione Communionis.*
Cap. II. *Not. pro aſperſione ſolemni aquæ benedictæ.*
Cap. III. *De Salutatione B. M. Virginis, ut moris eſt ad pulſum campanæ; & de conſuetudine, ſeu cæremonia ſtandi ad orationem tempore paſchali.*
Cap. IV. *De Jejunio.*

CAPUT I.

Not. pro adminiſtratione Communionis.

1 TEMPORE paſchali, ſeu a Dominica Paſchæ Reſurrectionis uſque ad Sabbatum poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt adminiſtratam populo Communionem extra Miſſam, tam antiphonæ: *O ſacrum Convivium*: quam verſui: *Panem de Cœlo:* & ℟. *omne delect.* additur *Alleluja*. Oratio autem non eſt: *Deus, qui nobis ſub Sacramento*: ſed: *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde &c.* quæ eſt Poſtcommunio in Miſſa Dominicæ Paſchæ Reſur. & feriæ ſecundæ immediate ſequentis: & oratio in Veſperis Sabbati Sancti; ex *Rit. Rom.* Pauli V. *tit. de ordine adminiſtr. ſacram Commun.* Caval. *tom.* 4. *cap.* 4. *comment.* in decr. 13. nu. 30. & 32. Præfata Oratio: *Spiritum nobis*: cum de Sacramentis Paſchalibus agat, congruentior viſa eſt pro currenti tempore; ut obſervat Caval. cit. n. 32.

2 Non eſt autem varianda, ſed conſueta oratio: *Deus, qui nobis ſub Sacramento*: dicenda in reditu Proceſſionis a Communione Infirmorum: quia illam orationem Sacerdos non recitat pro Infirmo qui communicavit; ſed intra Eccleſiam pro Adſtantibus: ut animadvertit Caval. l. cit.

Licet vero Paſchali tempore communiter non addatur *Alleluja* precibus extra Divinum Officium recitatis: Caval. *tom.* 2. *c.* 46. *in d.* 1. *n.* 4. nihilominus hic additur: quemadmodum & in Expoſitione, ac Repoſitione Euchariſtiæ eodem Paſchali tempore verſui præfato addendum eſſe, notabimus in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 6. n. 41. fortaſſe ideo quod Paſchali tempore, hoc eſt, in Cœna Paſchali Euchariſtia fuerit inſtituta. Caval. *tom.* 4. *c.* 9. *in decr.* 1. *n.* 5. 3

Nota hic: prædictam Antiphonam: *O Sacrum Convivium*: non eſſe ex præcepto ſeu obligatione dicendam; unde ſi quis eam omitteret, peccatum non committeret; ut cum Baruffaldo docet Meratus *tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 10. *nu.* 33. Et conſentit Cavalerius *to.* 4. *c.* 4. *in decr.* 13. *n.* 28. Profecto Rituale Rom. Pauli V. eam devotioni remittit, & arbitrio miniſtran- 4

ſtrantis, dum ſimpliciter ait: quod, ubi omnes communicaverint, Sacerdos reverſus ad Altare dicere *poterit: O Sacrum Convivium &c.* Nihilominus omittenda non eſt, quia conſuevit ab omnibus recitari in caſu præſenti; porro huic aptiſſima eſt Sacramento: eidemque debitam inſinuat reverentiam, & amorem. Similis tamen eſſe arbitrii verſum: *Panem de Cœlo:* & ſubſequentem orationem, negat Caval. l. cit. num. 29. ſed hæc eſſe ſub obligatione dicenda, ex ipſo eruit Rituali. Certe omittenda non eſt deprecatio: *Benedictio Dei omnipotentis &c.* cum conjuncta benedictione Sacerdotis manu directa ad eos, qui communicarunt.

An autem præmittendum ſit: *Dominus vobiſcum:* ante orationem? Rituale laudatum aſſignat, eſſe dicendum, & ſimiliter Cavalerius *tom.* 5. *c.* 24. *n.* 36. At vero Meratus l. cit. ſcribit, quod *licet prius eſſet in uſu, nunc tamen ejus recitatio in adminiſtratione Euchariſtiæ, ſeu in ejus repoſitione ſublata fuit; ut apparet ex Inſtructione particulari Clementis XI. pro Expoſitione quadraginta horarum, & ex Decreto emanato die* 16. *Junii* 1663.) Hæc Meratus: quem tamen ſic loquentem, & argentem, ac Baruffaldum ſimiliter opinantem acriter reprehendit, & rejicit Cavalerius *to.* 4. *c.* 4. *in decr.* 13. *n.* 31. *& c.* 9. *in decr.* 3. *num.* 4. Plane allegata Inſtructio Clementina, atque adeo Decretum citatum loquuntur ſolum de caſu repoſitionis SS. Sacramenti, in qua benedicatur populus cum ipſo Sacramento: uti notabimus in ſupra cit. Append. in cit. item c. 3. num. 42. Secus autem, ſi hujuſcemodi benedictio ad præfatam Orationem minime ſubſequatur; quo caſu ex eadem Clementina allegata dici debet: *Dominus vobiſcum:* ante orationem, ſive in Expoſitione, ſive etiam in repoſitione SS. Sacramenti: quemadmodum cum Cavalerio animadvertemus l. cit. Quapropter, cum hic danda non ſit communicatis benedictio cum ipſo Sacramento, ſed ſimpliciter Sacerdotis manu, potius ex allegato Decreto, & Clementina deduci debet, eſſe dicendum in caſu noſtro: *Dominus vobiſcum:* ante Orationem, ut Rituale præſcribit: Cur autem omittatur: *Dominus vobiſcum:* in præfato diſpari caſu repoſitionis SS. Sacramenti, in qua benedicatur populus cum ipſo Sacramento? Rationem congruentem aſſignabimus cit. n. 42. ex ipſo Merato productam, & a Cavalerio probatam.

CAPUT II.

Not. pro Aſperſione ſolemni aquæ benedictæ.

IN Dominica Paſchæ, & omnibus Dominicis temporis Paſchalis ad aſperſionem conſuetam ſolemnem aquæ benedictæ variatur Antiphona, & Pſalmus; additurque: *Alleluja:* ad ℣. ut explicatum eſt tr. 1. lib. 2. in Dominica art. 3. n. 42. & 43.

CAPUT III.

De Salutatione B. V. ut moris eſt, ad pulſum camp. & de conſuetudine, ſeu cæremonia ſtandi ad orationem tempore paſchali.

A VESPERE incluſive Sabbati ante 1
Dominicam Paſchæ Reſurrectionis uſque ad Meridiem incluſive Sab-

bati

Digitized by Google

bati poſt Pentecoſten, ad ſignum Salutationis B. M. V. in Aurora, Meridie, & Veſpere dicitur Antiphona: *Regina Cœli*: cum ſuo ℣. & oratione: *Deus, qui per Reſurrectionem*. Quæ Salutatio ſemper dicitur ſtando, ſeu erecto corpore toto præſignato tempore Paſchali: Quemadmodum poſt horas Canonicas: Vid. dicta in Sab. Sancto n. 299. & 376. & dicenda in Sabbato poſt Pentec. art. 4. Antiphona autem, oratioque prædicta debet paſchali tempore recitari ex Decreto Benedicti XIV. ex quo conceduntur Indulgentiæ recitantibus ſtando, ſeu erecto corpore prædictam Salutationem B. V. Profecto recitantes prædictam Antiphonam *Regina Cœli*, orationemque ſubjectam horis prædictis, tempore paſchali, ſtando, ſeu erecto corpore, conſequuntur dies centum Indulgentiæ, ex conceſſione laudati Pontificis Benedicti XIV. Qui etiam ignorantibus illam permiſit recitare, eodem tamen ſitu prædicto, conſuetam Antiphonam *Angelus Domini*. Videantur dicta tr. 1. lib. 1. c. 5. n. 3. & 19. Ex his autem patet, non habere amplius locum illorum ſententiam, qui docuere: Ad præfatum ſignum Salutationis B. V. non eſſe paſchali tempore recitandam Antiphonam *Regina Cœli*: ſed conſuetam per annum Antiphonam *Angelus Domini*: Et recitandam eſſe de more genibus flexis; quod etiam dicebatur in Cœremoniali Carmelitarum, quemadmodum notavimus tr. 1. cit. nu. 3. hujuſmodi, inquam, ſententiam, patet, locum amplius non habere: cum jam oporteat ſtare præfato decreto: Ex quo inſuper conſtat, revocata fuiſſe Sacræ Congregationis in oppoſitum declaratio illa, cujus meminit Meratus *tom. 2. ſect. 5. c. 2. prope fin.* Confer dicta cit. n. 3. Laudatæ Antiphonæ: *Regina Cœli*: non oportet Salutationem Angelicam interſerere, ne verborum ſenſus interrumpatur; nec illam in fine opus eſt, ſuperaddere; cum a Pontifice non exigatur. Profecto Antiphona hac, quemadmodum Angelica Salutatione, eamdem Beatiſſimam Virginem ſalutamus, alloquimur, & oramus, congruo licet modo paſchali tempori. De cauſa vero cur tempore paſchali recitetur Antiphona: *Regina Cœli*: & de ejus Auctore hæc ſcribit Durandus *in Ration.* lib. 6. c. 89. n. 3. *Cum in Urbe Roma eſſet magna aeris peſtilentia, Beatus Gregorius in tempore paſchali ordinavit, ut Imago Beatæ Virginis, quæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Ara Cœli ſervatur, quam Beatus Lucas pinxiſſe, dicitur, & eidem Virgini ſimilis perhibetur: proceſſionaliter portaretur: & dum ante proceſſionem reverenter portaretur, ecce tota aeris infectio, & turbolentia cedebat Imagini fugiens, ac ſi eam ferre non poſſet, ſic quod poſt Imaginem mira ſanitas remanebat; tunc autem juxta Imaginem auditæ dicuntur tres voces Angelorum canentium:* Regina Cœli lætare Alleluja; Quia quem meruiſti portare Alleluja, reſurrexit, ſicut dixit Alleluja. *Statimque Beatus Gregorius adjunxit:* Ora pro nobis Deum Alleluja: *Quæ Antiphona ideo hoc tempore frequentatur. Et tunc Gregorius vidit ſupra Caſtrum Creſcentii Angelum Domini, qui gladium cruentatum tergens, in vaginam reponebat. Intellexit ergo Gregorius, quod peſtis illa ceſſaſſet; quod & factum eſt; unde & caſtrum illud exinde caſtrum Sancti Angeli vocatum eſt. Præmiſſa Imago in*

Ec-

Eccleſia Beatæ Mariæ in Ara Cœli in Urbe ſuper limen Baptiſterii ſervatur, quam Romani Reginam vocant. Hæc Durandus. Eadem ex Ritualibus libris refert Carolus Sigonius apud Plazzam *devotion. vindic. par.* 2. *cap.* 15. fine. At vero moderni Critici fidem omnem detrectant hujuſmodi traditioni, ajuntque ignorari Auctorem Antiphonæ *Reginæ Cœli*. Vid. Emman. Azeved. *de div. offic. exercitat.* 40. Caval. *to.* 2. *comment. in decr. S. C. R. par.* 2. *cap.* 40. *comment. in decr.* 2. *n.* 2. fine.

Obiter animadvertimus hic: piiſſimam conſuetudinem a Sacris Concionatoribus uſurpatam, recitandi ſub Concionis initium Salutationem Angelicam, non eſſe paſchali tempore variandam, recitando Antiphonam: *Regina Cœli*: ſed conſuetam Salutationem Angelicam: *Ave Maria*: hoc item eſſe tempore recitandam: ut animadvertit Meratus *to.* 1. *part.* 2. *tit.* 6. *n.* 38.

2 Uſum vero ſtandi ad orationem tempore Paſchali; hoc eſt a Paſchate ad Pentecoſten cum ſua Octava: indicat Tertullianus lib. de corona militis c. 3. de eodem teſtatur Auguſtinus ad Januar. *epiſt.* 119. *c.* 15. *ex recenſion. Lovanien.* edit. Colon. ann. 1616. Hieronymus in *proœm. libri* 1. *in Epiſt. ad Epheſ.* prope finem, Joannes Caſſianus *lib.* 2. *Inſtit. c.* 18. Epiphanius *in compend. expoſit. fid.* S. Maximus *homil.* 3. *de Pentecoſte*. Rupertus *de divin. offic. lib.* 8. *c.* 3. Honorius in Gemma *lib.* 3. *c.* 136. Baſilius, Hilarius, Iſidorus, infra laudandi, aliique paſſim Scriptores de Officiis Eccleſiaſticis.

Præterea Concilium Nicænum 1. *can.* 20. & refertur *C. Quoniam* 10. *diſt.* 3. *de Conſecr.* ſic ait: *Quoniam ſunt in die Dominica quidam, ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes*, (hoc eſt: fluentibus a Paſcha ad Pentec.) *propterea ſtatutum eſt a Sancta Synodo*, (*quoniam conſona, & conveniens per omnes Eccleſias cuſtodienda conſuetudo eſt*:) *ut ſtantes ad orationem vota Domino reddamus*. Item Alexander III. relatus in *C. Quoniam de feriis*, inquit: *diebus autem Dominicis, & aliis præcipuis feſtivitatibus, ſive inter Paſcha, & Pentecoſten genuum flexio nequaquam debet fieri; niſi aliquis ex devotione id velit facere in ſecreto*. Hujuſmodi autem conſuetudinem ex Apoſtolorum inſtitutione fuiſſe, docet S. Hilarius, ſic enim ait prologo in pſal. explanat. *Hæc Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his Quinquageſimæ diebus* (hoc eſt: his quinquaginta diebus a Paſchate ad Pentecoſten. Vide dicenda in Dominic. Pentec. n. 2.) *nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque jejunio* &c. Idem indicat Tertullianus loco cit. & ex Irenæo teſtatur Auctor quæſtionum, & Reſponſ. ad Orthod. inter opera Juſtini M. quæſtion. 115.

Sed videtur obſtare, quod Paulus Apoſtolus hujuſmodi tempore Paſchali legitur in Actis Apoſtolorum *c.* 23. *v.* 36. in Tyrio littore oraſſe flexis genibus. 3

Ad hanc vero difficultatem reſpondet. 1. Lorin., quem citat & ſequitur Roſweydus loc. cit. ſitum orandi tempore Paſchali arctans ad ſolas preces ſolemnes. Idem dicit Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 17. *n.* 2. Huic reſponſioni favere videtur Azorius *Inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 9. *&* 34. *qu.* 5. ubi ait: Sacros Canones conſtituiſſe, ut inter Paſcha, & Pen-

Pentecoſtem ſtantes, non proni precemur ad orationem *communem*; item favent alii, qui, teſte Raynaudo *to. 6. tract. Sacr. Chriſt. Acath.* §. 9. Canones interdicentes genuflexionem per tempus Paſchale, & ejus velnti Ectypon Dominicam diem, arctant ad Collectas fundi ſolitas præmiſſo *Oremus:* in principio, & fine Miſſæ.

Sed contra Reſponſionem hanc facit primo, quod ex Alexandro III. ſupra diximus, haberi in *C. Quoniam de feriis*: Diebus Dominicis, & inter Paſcha, & Pentecoſtem genuum flexionem fieri non debere; niſi ex devotione *in Secreto*. Quod ipſum monet Joannes Beleth *de divin. offic. cap.* 121. ubi inquit: *Nec his diebus* (paſchalibus) *flectenda ſunt genua, ſed recte orandum eſt .... Conceditur nihilominus, ut hoc tempore* (paſchali) *aliquis genua flectat, modo id non aperte, ſed ſecreto faciat*. Ergo ſolum in Secreto, ad ſummum, licebat orare genibus flexis diebus Dominicis, ac tempore paſchali. In publico autem non licebat, etiamſi preces fuerint privatæ.

Facit 2. contra ſupradictam reſponſionem: quod Patres abſolute tradant, tempore Paſchali ad Orationem non eſſe genuflectendum.

Reſpondet itaque Baronius ad an. Chriſt. 58. num. 110. Paulum oraſſe tunc more Hebræorum; inducto paulo poſt in Chriſtiana Eccleſia more non flectendi genua ad orationem tempore Paſchali.

Hac noſtra vero ætate conſuetudo eſt ad aliquas tantummodo preces, etiamſi privatas, & in Secreto genua minime flectere Paſchali tempore, & in omnibus Dominicis. Hujuſmodi eſt Salutatio Beatæ Virginis inducta ter in die, ſive per Antiphonam: *Regina Cæli*: tempore paſchali; ſive per Antiphonam *Angelus Domini*: extra tempus Paſchale in Dominica: ut tr. 1. locis ſupra cit. dictum eſt.

Genua tempore Paſchali non flectimus orantes, ob eamdem rationem, ex qua nec jejunare ſolemus; 4
quia videlicet, ſicut jejunare, ita & genua flectere pœnitentium eſt, atque lugentium. Vid. dicta tr. 1. l. 2. in Dominica art. 7. n. 64. Tempus autem Paſchale propter Dominicam Reſurrectionem lætitiæ deputatur. Itaque paſchali tempore ad orationem genua non eſſe flectenda, ob reverentiam Dominicæ Reſurrectionis, Majores noſtri tradiderunt: confer ſtatim dicenda ex S. Iſidoro. Rurſus tempus Paſchale ſignificat futuram Reſurrectionem noſtram, & ſtatum æternæ Beatitudinis, cui non convenit genua flectere; ſi id, ut jam diximus, pœnitentium eſt, atque mœrentium. Quod innuit ſupra laudatus Hilarius; poſtquam enim dixiſſet: quod *Hæc Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret*: ſubdit: *neque jejunio feſtivitatem ſpiritualis hujus beatitudinis impediret*. Videlicet non flectimus genua, ne impediamus feſtivitatem hujus ſpiritualis beatitudinis, quæ celebratur tempore Paſchali, quæque adumbrat, & præfigurat ſtatum cœleſtis, & æternæ beatitudinis. Idem ſignificat Hieronymus loco ſupracitato, ubi docet: tempus Pentecoſtes, ſeu Paſchale eſſe *tempus lætitiæ, atque victoriæ, quo non flectimus genua, neque curvamur in terram, ſed cum Domino reſurgentes ad Cœlorum alta ſuſtollimur*. Expreſſius id habet Baſilius *lib. de Spir. S. cap.* 27. ubi ſic ait:

Totum tempus (a Paſchate) *uſque ad Pentecoſten admonitio eſt reſurrectionis, quam in illo Sæculo expectamus. Nam unus ille, & primus dies ſepties multiplicatus, ſeptem Sacræ Pentecoſtes hebdomadas abſolvit. A primo enim incipiens, in principium deſinit; per ſimiles, qui in medio intercedunt dies, quinquagies evolutus. Unde & æternitatem ſimilitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iiſdem orſus ſignis, in eadem deſinit. In quo corporis erecto habitu precari totius nos Eccleſiæ ritus docuerunt; nimirum per evidentem commonitionem, quaſi transferentes mentem noſtram a præſentibus ad futura.* Hæc Baſilius. Denique idem cenſuit Iſidorus *lib.* 1. *Eccl. offic. c.* 33. ubi hæc habet: *Ideirco autem totius Quinquageſimæ dies poſt Domini Reſurrectionem, reſoluta abſtinentia, in ſola lætitia celebrantur, propter figuram futuræ Reſurrectionis, ubi jam non labor, ſed requies erit lætitiæ. Ideoque his diebus nec genua in oratione flectuntur: quia, ſicut quidam ſapiens; ait flexio genuum pœnitentiæ & luctus indicium eſt. Unde etiam per omnia eamdem in illis ſolemnitatem, quam die Dominica cuſtodimus, in qua Majores noſtri, nec jejunium agendum, nec genua eſſe flectenda, ob reverentiam Dominicæ Reſurrectionis, tradiderunt.*

Pro hebdomada autem ſeu Octava Pentecoſtes, in qua proſequitur Cæremonia ſtandi ad Orationem: præter generalem rationem ductam ex eo, quod omnes dies Octavæ faciant unum cum die feſto, unde pluribus gaudent privilegiis, quibus prima feſtiva dies ornatur: aſſignari etiam poſſet altera ratio ſpecialis, quam ex Beda tradit Amalarius *de Eccl. offic. l.* 1. *cap.* 39. ubi ait: *Quod non ſtatim peracta die quinquageſima; genu, ad orandum, curvamus, ſed & illa adhuc ſeptimana ſtantes Domino ſupplicamus ..... nemo abſque diſcretione apta, & congrui ratione myſterii putet actitari .... Merito etiam tunc ſtantes oramus, ob ſignificationem videlicet liberationis eorumdem* (Neophytorum in Sabbato Pentecoſtes baptizatorum:) *qui per donum Spiritus Sancti de morte animæ ad vitam reſuſcitari, atque reſurgere meruerunt. Cujus donante gratia, etiam carnis immortalitate nos in noviſſima die veſtiendos, atque ad gaudia beatæ Reſurrectionis perducendos eſſe, ſperamus.*

Ex Patribus ergo ideo etiam tempore Paſchali non flectimus genua ad orationem, quia tempus Paſchale ſignificat tempus Reſurrectionis æternæ, & ſtatum Cœleſtis beatitudinis, cui non competit genua flectere, quod Pœnitentium eſt, atque lugentium.

Quapropter nota hic: etiam antiquitus, Pœnitentes ſemper genua flexiſſe, tempore quoque Paſchali, ex Concilio Carthaginenſi VI. ut refert. Raynaud. *tom.* 6. *tr. Sacr. Chriſt. Acath.* §. 9. & ſignificat Ordo Romanus tit. *de Octav. Pentec.* Inde eſt, quod Litaniæ majores, & minores tempore Paſchali cæteroqui occurrentes, nihilominus extra Proceſſionem genibus flexis recitentur: Quia nimirum ſunt propriæ pœnitentium. Vid. dicta 25. April. n. 17. Hinc

Qu. I. An Pſalmus *De profundis*; 5
qui quotidie recitari ſolet ad pulſum Campanæ poſt noctis initium pro Defunctis, de qua re egimus tr. 1. l. 1. c. 6. debeat adhuc tempore Paſchali recitari flexis genibus? Profecto videtur Pſalmus proprius pœnitentium; Unde & ab Eccleſia interſeptem Pſalmos, Pœnitentiales dictos, connumeratur, & recitatur.

℞. Aſ-

℟. Affirmative. Vid. dicta in Dominica art. 7. qu. 3. n. 70.

6 Qu. II. An ſit peccatum, non ſervare conſuetudinem prædictam, ſtandi ad orationem tempore paſchali, aut quando in Rubricis Officii Divini præſcribitur ſtari, ut eſt ad Antiphonam finalem: *Regina Cœli?*

℟. Et dico primo: quando ſtandum eſt ex præcepto Rubricæ, puta ad Antiphonam finalem: *Regina Cœli:* erit aliqua venialis culpa, non ſtare, etiam extra Chorum, ex ſententia Tamburini in Decalog. *lib.* 2. *c.* 5. §. *6. nu.* 4. Nulla vero ex Caſtropalao, Garcia, & Diana *tom.* 3. *edit. coord. tr. 6. reſol.* 45. §. 4. *fine*. Et videtur etiam ex Suarez *de Relig. to.* 1. *tr.* 2. *l.* 2. *c.* 10. *num.* 4. abſolute enim docet: cæremoniam ſtandi tempore Paſchali, & Dominicis, non ſpectare ad obligationem præcepti. Recte tamen monet Diana, debere communiter ſervari hujuſmodi Rubricas, etiam in recitatione privata. Vid. dicta in Dominica art. 7. qu. 2. n. 67.

Dico 2. Extra præſcriptum Rubricæ nulla erit culpa; Et ſic Antiphona: *Regina Cœli:* Ad pulſum campanæ recitari ſolitam tempore Paſchali, recitare non ſtando, nulla erit culpa; Etſi omnino ſtandum ſit ad illam, ad effectum lucrandi Indulgentias conceſſas a Benedicto XIV. ut initio ſignificavimus, & videri poſſunt dicta in Dominica cit. qu. 2. num. 68.

CAPUT IV.

De Jejunio.

1 Qu. I. An tempore Paſchali, ſeu inter Paſcha, & Pentecoſtem liceat jejunare? Dubium oriri poſſet ex eo, quia, excepta Vigilia Pentecoſtes, nullum aliud videamus prædicto tempore in Eccleſia Univerſali ſervatum jejunium; ita ut, etiamſi occurrat tempore Paſchali Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobbi, non habeat tamen ipſorum feſtum Vigiliam, in qua fiat jejunium ab Eccleſia præſcriptum: ut notavimus tr. 1. 30. April. art. 4. Cum cæteroquin, excepto S. Joanne, in omnibus Vigiliis reliquorum Apoſtolorum Domini jejunium univerſalis ſervet Eccleſia: ſecundum ea, quæ diximus 23. Febr. art. 3. ſect. 1. n. 20. Rurſus inquit Bellarminus *Controv. tom.* 4. *controv. gener.* 3. *princip. ult. c.* 2. *c.* 21. ſatis conſtare, inter Paſcha, & Pentecoſtem ex antiquiſſima conſuetudine nulla jejunia imperari. Profecto S. Epiphanius *in compendiaria expoſit. fid.* ait: *Ac per totum annum hoc jejunium obſervatur: dico die quarta, & pridie Sabbati, quæ ſexta eſt, ad horam uſque nonam. Excepta ſola Pentecoſte tota dierum quinquaginta, in quibus neque genuflexiones fiunt, neque jejunium eſt ordinatum*. Item S. Maximus *homil.* 3. *de Pentecoſte* inquit: *Scire debet Sanctitas Veſtra, fratres ..... Cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis jugis, & continuata feſtivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad obſervandum indicamus jejunia* &c. Rurſus Gratianus in *C. jejunium* 7. *diſt.* 76. §. *Non autem* aſſerit, quod a die Dominicæ Reſurrectionis uſque in diem Pentecoſtes non indicuntur obſervanda jejunia. Deinde Durand. *in Rationali lib.* 6. *c.* 7. *n.* 16. dicit: tempore Paſchali non eſſe jejunium. Denique S. Thomas 2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad* 3. adhuc docet, non eſſe toto Pa-

Digitized by Google

ſchali tempore jejunium inſtitutum. Confirmatur, & etiam augetur dubium ex eo, quia Tertullianus *lib. de Corona Militis cap.* 3. inquit: *Die Dominica jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus*. Accedit S. Hilarius *Prolog. in Pſal. explan.* ubi inquit: *Hæc Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus* (ſeu his quinquaginta diebus a Paſchate ad Pentecoſten. Vide dicenda in Dom. Pentec. n. 2.) *nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque jejunio feſtivitatem ſpiritualis hujus Beatitudinis impediret*. Docet itaque Hilarius tempore Paſchali prohibitum eſſe, jejunare, idque ex inſtitutione Apoſtolorum. Ac teſte Bellarmino loc. cit. c. 23. Patres communi conſenſu docent, per ſpatium hoc, quod eſt inter Paſcha & Pentecoſten, jejunandum non eſſe. Tandem apud Glabrum *lib.* 3. *c.* 3. teſte Raynaudo *to. 6. tract. de prima Miſſa ſect.* 1. *c.* 17. refertur, in variis Italiæ, & Galliæ Synodis anno 1004. agitatam eſſe quæſtionem *de jejuniis, quæ plerique fidelium inter Aſcenſionem Salvatoris, & Pentecoſten obſervant; itaque decretum eſt, ut neper imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſtes: a quibus fieri vellent, prohiberentur fieri*.

His poſitis, videtur, non licere, tempore Paſchali jejunare, nequidem ex devotione privata.

℞. Magiſter Gilbertus allegatus a Durando *in Ration. offic. lib. 6. cap.* 105. *num.* 7. docet utique: Paſchali tempore jejunandum non eſſe; & ipſe quoque Durandus eodem lib. 6. c. 7. n. 17. dicit: non eſſe Paſchali tempore jejunandum. Verum dicendum eſt: per ſe, & ſimpliciter licere Paſchali tempore jejunare.

2 Probatur 1. ex eo, quia etiamſi toto Paſchali tempore nullum jejunium videamus in Eccleſia Univerſali ſervatum: niſi in Vigilia Pentecoſtes, ſive ex præcepto ſit, ſive ex conſuetudine, quod ſuo loco examinabimus: ex hoc autem uno jejunio habemus ſufficiens argumentum, ad dicendum: licere paſchali tempore jejunare.

Probatur 2 quia etiam ante, ſeu præter Vigiliam Pentecoſtes pluribus locis, diebus nonnullis, tempore paſchali eſt jejunium commune, puta in latiniis Majoribus, aut etiam in Minoribus, ſeu in tribus diebus Rogationum, quæ ſemper occurrunt tempore paſchali, ut conſtat. Id autem licite facere, imo & ad id teneri, ſi ſe obligaverint: ſuis reſpectivis locis docebimus; hic ſufficiat mentionem facere cujuſdam declarationis S. C. R. an. 1705. 14. Febr. hujus tenoris: *Si feſtum S. Marci occurrit in die Paſchatis, Proceſſio cum Litaniis transfertur in feriam tertiam ſequentem, juxta Rubricam particularem Miſſalis, & ſi alicubi ſit abſtinentia, vel jejunatur, ſervanda eſt conſuetudo a Regularibus;* In hujuſmodi decreto utique declaratur: Occurrente jejunio Litaniarum in die Paſchæ transferendum eſſe una cum litaniis in ſequentem feriam tertiam. Videantur dicta tr. 1. l. 3. 25. April. n. 32. ubi de allegato Decreto ſermo fuit.

Probatur 3. Auctoritate S. Iſidori hiſpal. Ep. *l.* 1. *de Eccl. offic. c.* 42. & refertur in C. *Poſt Paſcha* 10. *diſtinct.* 76. ait igitur Iſidorus: *Poſt Paſcha autem uſque ad Pentecoſten licet traditio Eccleſiarum abſtinentiæ rigorem*

pran-

prandiis relaxaverit, tamen, ſi qui Monachorum, vel Clericorum jejunare cupiunt, non ſunt prohibendi: quia Antonius, & Paulus, & cæteri Patres antiqui etiam his diebus in Eremo leguntur abſtinuiſſe &c. Ex eo autem Iſidori teſtimonio probatur 4. aſſertio auctoritate Sanctorum, qui tempore etiam Paſchali jejunare non omittebant.

3 Ad illa vero, quæ videbantur obſtare, reſpondetur: & primo, ex eo, quia nullum videamus jejunium univerſale Paſchali tempore in Eccleſia Univerſali ſervatum, præter Vigiliam Pentecoſtes, non recte infertur: minime licere, prædicto tempore jejunare. Secus numquam in Dominica jejunare liceret, quia numquam videmus jejunium perfectum in Dominica in Eccleſia Univerſali ſervatum; imo ſi aliqua Vigilia cum jejunio occurrat in Dominica, anticipatur jejunium in Sabbato præcedenti: uti notavimus ubi de Dom. art. *9.* n. 72. Et tamen hoc non obſtante, per ſe & ſimpliciter licere in Dominica jejunare, fuſe oſtendimus ibi qu. 1. Ex quo igitur, excepta Pentecoſtes Vigilia, nullum videamus jejunium univerſale ſervatum tempore Paſchali, non recte infertur, minime licere in eo jejunare. Ad illud, quod additur: Ex conſuetudine antiquiſſima Eccleſiæ nullum inveniri tempore paſchali jejunium univerſaliter præceptum. Id primo, aliqui negant: Cum enim Sabbato in Vigilia Pentecoſtes ſit jejunium univerſale, putant illud ex præcepto Eccleſiæ ſervari. Item cum in *C. Rogationes* 3. *diſt.* 3. *de conſecr.* ex Concilio Aurelianenſi I. præſcribatur jejunium in Triduo ante Aſcenſionem Domini: volunt, illud fuiſſe ex præcepto præſcriptum; licet conſuetudo, inquiunt, deinde abrogaverit pro Eccleſia Univerſali. Rurſus, teſte S. Iſidoro *de Eccl. offic. l. 1. c.* 37. Jo: Beleth *de Divin. offic. cap.* 130. & Durando *in Rationali offic. lib. 6. c. 7. num.* 16. fine, & c. 105, n. *6.* quidam jejunabant ab Aſcenſione uſque ad Pentecoſten, pro eo quod, ut ipſi affirmabant, Apoſtoli prædicto tempore jejunaverint: Unde putabant, eſſe obligationem univerſalem tunc jejunandi ex inſtitutione, & traditione Apoſtolorum.

Secundo, etiamſi ſentiamus cum aliis, qui verius docent: Jejunium Pentecoſtes ex conſuetudine ſervari; & illud Rogationum nequaquam fuiſſe ſub præcepto, ſed ſolum ſub conſilio: vel certe non univerſali præcepto: de qua re videri poſſunt dicenda in fer. 2. Rogationum poſt Dom. V. Paſchæ ſect. 1. quæſt. 2. & Sabbato in Vigilia Pentec. ſect. 6. ſufficit tamen hic ad noſtrum intentum, quomodolibet ſervari jejunium univerſale in Vigilia Pentecoſtes, quæ eſt intra tempus paſchale; & quomodolibet præſcribi jejunium in jure in diebus Rogationum, atque adeo tempore paſchali. Unde ex ipſa quoque conſuetudine Eccleſiæ, & ex ipſomet jure Canonico conſtat, hoc eodem tempore, ſcilicet Paſchali, jejunare licere; Unde etiam perantiquus Ordo Rom. tit. de Oct. Pentec. ait: Quod etſi paſchale tempus in lætitia celebretur, & ideo jejunia relaxantur; *Sed voluntate licet unicuique jejunare ob devotionem mentis.* Idem dicit, & ſimiliter loquitur Amalarius *de Eccl. offic. l. 1. c. 36.* fine. Hinc, quando Auctores, & Patres dicunt: nullum jejunium inſtitutum eſſe Paſchali tempore, intelligendi

ſunt

ſunt de inſtitutione obligante ex præcepto Eccleſiæ univerſaliter ſub gravi. Id quidem patet ex ipſo Gratiano in contrarium allegato, qui, licet in *C. jejunium 7. diſt. 76. §. Non autem*: dicat: quod a die Dominicæ Reſurrectionis uſque ad diem Pentecoſtes non indicuntur obſervanda jejunia; attamen in ſequ. *C. Scire debet §. Neceſſario.* hæc habet: *Sed quod in illis quinquaginta diebus jejunandum eſſe negatur, ex obſervantiæ neceſſitate intelligitur.* Quibus verbis monet Gratianus: per ſe, & ſimpliciter licere paſchali tempore jejunare; quamvis tunc univerſali præcepto Eccleſiæ jejunandi neceſſitas nulla ſit. Confer dicenda in Vigil. Pentec. cit. ſect. 6. n. 27.

Item Durandus etiam objectus, poſtquam dixiſſet, tempore paſchali non eſſe jejunandum; Statim objicit ſibi jejunium Litaniarum, ſeu Rogationum paſchali quidem tempore celebratum; Et ad id reſpondet: *Quod neceſſitas intervenit, vel id non eſt jejunium neceſſitatis, ſed voluntatis.* Ita ille. Unde manifeſte Durandus concedit jejunare licere tempore paſchali; Solum negat, predicto tempore ullum eſſe jejunium ſub præcepto univerſali: Hæc utique eſt Durandi mens, & ſententia, ut clarum ſit ex adducto ipſius teſtimonio; Et adhuc magis patet ex alio deducto ex cap. 105. nu. 7. ejuſdem libri 6. ubi contra eos, qui, ut ſupra innuimus, volebant ab Aſcenſione ad Pentecoſten eſſe obligationem univerſalem jejunandi; allegat auctoritatem Magiſtri Gilberti probantis prædicto tempore jejunandum non eſſe, quia eſt de paſchali tempore; item affert auctoritatem SS. Hieronymi, Ambroſii, & Auguſtini docentium: Inter Paſcha, & Pentecoſten non eſſe ex neceſſitate jejunia dicenda. Deinde ſtatim ſubdit, horum Doctorum ſententiam confirmans, ſimulque explicans: *Voluntate enim omni tempore a cibis percipiendis poſſumus abſtinere, ſed ex neceſſitate non oportet: Unde Ambroſius: Per hos quinquaginta dies jejunium neſcit Eccleſia, ſicut ipſa Dominica, qua Dominus reſurrexit. Sunt enim omnes hi dies velut Paſcha, & Dominica celebrandi, in quibus, ſicut ait Beda, majoribus epulis, & hymnis cœleſtibus eſt vacandum ob reverentiam Dominicæ Reſurrectionis, & ob memoriam Dominici convictus cum diſcipulis, ob ſpem gloriæ immortalitatis: Verumtamen ab hac authoritate pœnitentes excluduntur. Sed & Gregorius Litanias excipit, & etiam Concilium Aurelianenſe de conſecr. diſt. 3. Rogationes: illud tamen voluntarium eſt.* Hæc Durandus: qui adhuc c. 102. num. 10. ſimpliciter dixerat: in Litaniis Rogationum debere jejunari ex Concilio Aurelianenſi.

Similiter Bellarminus, cujus item auctoritas fuit in contrarium adducta eodem loco laudato, ubi teſtatur: Satis conſtare, inter Paſcha, & Pentecoſten ex antiquiſſima conſuetudine nulla jejunia imperari: loquens de jejunio a jure allegato in Rogationibus præſcripto, dicit: Videri illud non tam præcepti, quam conſilii fuiſſe. Deinde ſubdit: Sicubi tamen illud jejunium ſervatur, non eſſe improbandum; Servanda eſt enim, inquit, in hujuſmodi rebus Eccleſiæ conſuetudo, ut Hieronymus in Epiſtola ad Lucianum, & Auguſtinus in Epiſtola ad Caſulanum monent. Ita ille. Et rurſus l. ſupracit. cap. 23. prope fin. ait: non debere con-

conſuetudinem eorum improbari, qui in diebus Rogationum jejunant. Ergo ex Bellarmino licet paſchali tempore jejunare, etiamſi nullum ſit in jure jejunium univerſale ſub gravi obligatione præſcriptum. Nec Bellarminus negat ſimpliciter, in jure præſcriptum umquam fuiſſe jejunium; ſed ſolum putat, non fuiſſe ex præcepto. Item idem Bellarminus c. 23. expreſſe monet, & docet: quod, quamvis Patres aſſeruerint, tempore paſchali non eſſe jejunandum: nihilominus per ſe, & ſimpliciter liceat prædicto tempore jejunare.

Denique S. Thomas etſi loco laudato doceat: non eſſe toto paſchali tempore jejunium inſtitutum; non tamen docet, eſſe per ſe, & ſimpliciter illicitum, prædicto tempore jejunare; imo potius docet contrarium ipſo eodem loco, ut patebit ex inferius dicendis num. 5. ubi integrum Sancti Doctoris teſtimonium recitabimus.

4 Cauſa vero cur Eccleſia non præcipiat jejunium ullum univerſale paſchali tempore, eſt eadem ac pro Dominica: Nimirum hi dies omnes paſchales, ſicut omnes totius anni dies Dominici propter Dominicam Reſurrectionem lætitiæ deputantur: jejunium vero per ſe non convenit diebus lætitiæ. Hac quidem de cauſa non eſt jejunium univerſale ab Eccleſia inſtitutum toto paſchali tempore; ita S. Thomas 2. 2. *qu.* 117. *art.* 5. *ad* 3. Durand. teſtimonio ſupra modo laudato, Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *c.* 16. *qu.* 7. Bellarm. l. cit. c. 23.

Hinc habes etiam, cur in Vigilia SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi non ſit jejunium præceptum? nimirum, quia occurrit tempore Paſchali, quo tempore viſum eſt Eccleſiæ, jejunium univerſale nequaquam exigere a ſuis fidelibus, quia hoc tempus propter Dominicam Reſurrectionem univerſali lætitiæ deputatur, ut modo notavimus; cui per ſe, ut dictum eſt, non videtur convenire jejunium. Quam quidem rationem aſſignat Durandus *in Ration. lib.* 7. *c.* 7. *n.* 16. de eo quod hi duo SS. Apoſtoli non habeant Vigiliam, ſeu jejunium Vigiliæ; Et idem communiter notant Auctores. Similem cauſam reddit Iſidorus *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 33. *de Pentec.* de eo quod tempore paſchali non ſit præſcriptum generale jejunium ullum: quia videlicet tempus Paſchale ſignificat tempus Cœleſtis Beatitudinis, & futuræ Reſurrectionis, ut c. 3. diximus, cui certe non competit jejunium. Iſidorus itaque l. cit. ait: *Idcirco autem totius quinquageſimæ dies poſt Domini Reſurrectionem, reſoluta Abſtinentia, in ſola lætitia celebrantur, propter figuram futuræ Reſurrectionis, ubi jam non labor, ſed requies erit lætitiæ*. Idipſum paulo fuſius proſequitur Euſebius, ut refertur *in Catena Græcorum* Corderii; in Lucæ c. 22. ad verſum 7. apud Raynaudum *to.* 6. *de prima Miſſa ſect.* 1. *c.* 19. loquens de tempore paſchali, quod ipſe, de more veterum Scriptorum, appellat tempus Pentecoſtes, quinquaginta ſcilice dierum: hæc habet: *Nos enim ipſi feſtum illuſtrius inſtituimus; quippe qui cum Domino reſurgimus, & Regni ipſius participes ſumus. Quapropter non amplius poſt hoc feſtum laborare ſuſtinemus, ſed ſperatæ in Cœlis quietis imaginem præ nobis ferre erudimur, cum neque orationibus genua flectamus, neque jejuniis nos ipſos maceremus. Qui enim a Deo Reſurrectione digni ſunt habiti,*

jam

jam amplius in terram relabi nequeunt. Nec fieri poteſt, ut a paſſionibus liberati, eadem patiantur, quæ accidunt illis adhuc ſubjectis. Quo circa poſt Paſcha per ſeptem integras ſeptimanas Pentecoſtem celebramus, prius quidem certamen quadraginta dierum exercitatione ante Paſcha per ſex ſeptimanas viriliter ſuſtinentes. Sex enim numerus eſt laboris, atque operationis; quamobrem & ſex diebus univerſa Dominus perfeciſſe, dicitur, illis nempe diebus operans. Secunda vero feſtivitas quæ ſeptem hebdomadibus agitur, multiplicem, atque longam nobis quietem adfert: Septenarius ſiquidem quietem, perfectionemque deſignat; quem numerum Pentecoſtes feſtum continet: Septem hebdomadas unitate excedens, hoc feſtum omnino Aſcenſionis Chriſti diem obſignat. Merito igitur ſacris Pentecoſtes diebus, futuræ vitæ quies deſignatur, quando Anima ſummo gaudio, corpus vero quiete omnimoda perfruetur: Cum ipſo enim ſponſo exiſtentes, jejunare non poſſumus. Hæc Euſebius, appoſite pro ſecunda expoſita cauſa, cur tempore paſchali non ſit præſcriptum jejunium univerſale? quia videlicet tempus Paſchale ſignificat ſtatum Beatitudinis. Eamdem rationem aſſignat Jo. Beleth *de div. offic. c.* 121. *fine:* ubi inquit: *Tempus hoc paſchale Octavam ſignificat ætatem, in qua erit perfectum gaudium omnibus Sanctis. Unde eſt, quod hic non jejunamus* &c. Similia habent alii. Addi etiam poteſt tertia cauſa, ex qua Eccleſia jejunium univerſale paſchali tempore non præſcripſit: Nimirum in odium hæreticorum, qui hoc potiſſimum tempore dedita opepera jejunabant; ut notat Bellarm. l. cit. & modo infra explicabimus.

5 Reſpondetur adhuc ſecundo ad illa teſtimonia, quæ expreſſe aſſerunt: non eſſe tempore paſchali jejunandum. Dico itaque, teſtimonia hujuſmodi non obſtare; nam primo illis opponi poſſunt alia, quæ expreſſe teſtantur licere; ut patet ex ipſo Iſidoro, & eodem Gratiano, Durando, & Bellarmino, quorum verba ſupra laudata ſunt, quibus hic addo Joannem Beleth *de div. offic. cit. c.* 121. ubi inquit: paſchali tempore *Jejunet etiam qui velit: Nam ut ait Hieronymus, utinam poſſemus omni tempore jejunare.* Et rurſus in fine ejuſdem capitis ait: *Toto tempore paſchali non debemus flectere genua, nec ex neceſſitate jejunare: ſed ex pietate, & devotione utique, ut diximus, licitum eſt.* Hæc ille. Secundo quia teſtimonia objecta intelligenda ſunt ita; ut non negent tempore paſchali jejunare licere; & tantum velint non eſſe jejunandum ex neceſſitate alicujus univerſalis Eccleſiæ, ut ſupra oſtendimus. Tertio illa teſtimonia non obſtant, quia adhuc intelligenda ſunt ita; ut ſolum velint non licere, ſi fiat ex ſuperſtitione, ut Montaniſtæ faciebant, qui unam Quadrageſimam, ſive unam hebdomadam (variæ ſunt enim de hac re ſententiæ, teſte Bell. l. cit.) poſt Aſcenſionem Domini, & aliam poſt Pentecoſten jejunabant, ut S. Hieronymus refert in Commentario ad cap. 9. Matth. Vel ſi quis jejunet ex errore, ut Manichæi jejunabant ordinarie die Dominica, ne viderentur de Chriſti Reſurrectione gaudere, quam falſam fuiſſe ſibi perſuaſerant, ut ex Ambroſio enarrat. de ratione celebrit. Paſch. ad Epiſcop. Emiliæ to. 4. pag. 303. edit. pariſ. & ex Auguſtino in Epiſtola 86. cognoſci poteſt. Unde Divus Thomas

2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad* 3. hæc habet: *jejunia ergo, quæ præcepto Eccleſiæ inſtituuntur, ſunt magis jejunia aſſlictionis, quæ non conveniunt diebus lætitiæ: propter quod non eſt jejunium ab Eccleſia inſtitutum in toto paſchali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus ſi quis jejunaret contra conſuetudinem populi Chriſtiani, quæ, ut Auguſtinus dicit, eſt pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore, (ſicut Manichæi jejunant, quaſi neceſſarium tale jejunium arbitrantes:) non eſſet a peccato immunis, quamvis ipſum jejunium ſecundum ſe conſideratum omni tempore ſit laudabile*. Hæc S. Doctor; quibus indicat: non eſſe per ſe, & ſimpliciter illicitum tempore etiam paſchali jejunare, ſed ſolum ſi fiat, ex ſuperſtitione, vel errore hæreticorum. Rurſus objecta teſtimonia tantum volunt, eſſe prohibitum prædicto tempore jejunare, ſi quis jejunet ex contemptu Eccleſiæ, ut Euſtathius, & Aerius, atque eorum diſcipuli, qui diem Dominicum ad jejunium potiſſimum deputabant; & contra, iidem Aeriani hebdomadam Sanctam conviviis, & potationibus celebrabant, ut Epiphanius *hæreſi* 75. & Socrates *lib.* 2. *hiſtoriæ cap.* 33. teſtes ſunt. Vel denique cum ſcandalo aliorum: ut ſi quis unam hebdomadam jejunaturus, eligat ſine ulla rationabili cauſa hebdomadam Paſchalem; ita Bell. loc. cit. cap. 23. & nos notavimus tr. 1. in Dominica ubi de jejun. in Dom. loc. ſupracit. Quapropter ſi quis ad tentationem carnis ſuperandam, vel cauſa morbi corporalis curandi, vel quia vovit jejunium totius anni, aut integri menſis, Paſchali tempore jejunet; non peccabit. Bell. l. cit. Azor. c. 16. qu. 9. quin etiam id facere tenetur, ut ſupra dictum eſt.

Nota hìc: quod licet Octava faciat unum cum feſto: uti obſervat Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 11. *lit.* m. & ſic Octava Pentecoſtes faciat unum cum ipſo die Pentecoſtes, ex quo dicitur, tempus paſchale terminare in ſabbato poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt Nonam celebrata Miſſa: Hæc tamen ſuppoſitio, & exiſtimatio non eſt in ordine ad jejunium. Porro etſi omnes dies Octavæ faciant unum cum feſto, id tamen non eſt quo ad omnia; ut animadvertit idem Gavantus *l. cit. tit.* 20. §. *Ordinarij Locorum*. Unde quamvis dicatur: tempore paſchali non eſſe præſcripta jejunia univerſalia ab Eccleſia: aut non eſſe jejunandum: hoc tamen non debet intelligi de Octava Pentecoſtes, & ideo in ipſa ejus Octava præſcribitur jejunium Quatuor Temporum: Vide dicta in Septembr. part. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. n. 52. 6

Qu. II. An incidente Jubilæo tempore paſchali, poſſint conſueta jejunia commutari in alia opera pia a Confeſſario, vel Epiſcopo? 7

℞. Affirmat Gobat, quem refert, ſed merito rejicit Viva in tract. *de Jubilæo qu.* 8. *art. ult.* Qui tamen concedit, poſſe transferri auctoritate Epiſcopi, ſi occurrat infra Octavam Paſchæ: ut videbimus ſequenti part. 2. in ejus 1. par. c. 4. fine.

PARS II.

LIBRI V. TRACTATUS II.

NOTANDA

A DOMINICA RESURRECTIONIS USQUE AD DOM. IN ALBIS SEU INFRA OCTAVAM PASCHÆ.

A DOMINICA Reſurrectionis uſque ad Dominicam in Albis, ſeu infra Octavam Paſchæ aliqua notanda occurunt in genere per totum tempus prædictum; nonnulla autem ſpecialiter in Triduo Paſchæ; quædam vero poſt triduum in communi; alia denique particulariter ſingulis diebus ſigillatim. Ideo partem hanc ſecundam Libri V. in tres alias partes, claritatis gratia, ſubdividere juvat: In quarum prima agemus de iis, quæ a Dominica Reſurrectionis uſque ad Dominicam in Albis, ſeu infra octavam Paſchæ notanda ſunt in genere. In ſecunda de his, quæ ſpecialiter in triduo Paſchæ, & item de aliis, quæ poſt triduum occurrunt in communi. In tertia de illis, quæ particulariter ſingulis diebus ſigillatim notanda ſunt prædicto tempore. Sit itaque

PARS I.

NOT. INFRA OCTAVAM PASCHÆ IN GENERE.

EXPICANTUR CAPITIBUS VI.

Cap. I. *De Hor. Can.*
Cap. II. *De Miſſa.*
Cap. III. *De præcepto Communionis annuæ, & paſchalis.*
Cap. IV. *De Jejunio.*
Cap. V. *De Indulg.*
Cap. VI. *Not. In Feſto S. Marci occur. in hebd. Paſch.*

CAPUT I.

De Horis Canonicis.

PASCHA habet Octavam. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. n. 1.* Ejus Officium terminatur in Sabbato ſequenti ad Nonam, celebrata Miſſa: vide dicenda in Sab. in Alb. n. 1. Infra Octavam Paſchæ non fit de ullo feſto, ſed quodcumque feſtum occurrat, transfertur poſt octavam. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. n. 3. tit. 9. n. 3. tit. 10. nu. 1.* Atque adeo nec celebrantur Octa-

væ uſque ad Dominicam in Albis incluſive; vide dicta hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 3. n. 9. De ſimplici, ut in 2. par. dicemus, in triduo paſchæ nulla fit commemoratio; poſt triduum vero, ſi occurrat, fit utique de eo commemoratio tantum; hoc eſt, ſine lectione de eodem. *Rubr. Miſſ. in Dom. Reſurr. & Rubr. gener. Brev. tit. 1. n. 1. & tit. 7. n. 3. & tit. 9. n. 4. 5. & 10.* Triduum Paſchæ, ut item in 2. par. dicemus, eſt dup. 1. cl. reliqui dies infra oct. habent ritum ſemidupl. *Rubr. gener. Brev. tit. 1. num. 1. & tit. 9. num. 4. & 5.*

Hymni, & Capitula non dicuntur infra Octavam Paſchæ in aliqua Horarum uſque ad Veſperas incluſive Sabbati in Albis; nec verſus, niſi in Nocturnis. Officium per totam Octavam ut in proprio. Ad Matutinum dicuntur tres Pſalmi cum ſuis Antiphonis. Tres lectiones de Homil. ſuper Evangel. Poſt tertiam lectionem dicitur *Te Deum*. Verſus, & Reſponſoria quotidie propria: Antiphonæ item ad Bened. & Magnific. Ad Laudes poſt ultimum Pſalmum repetita Antiphona, ſubditur ſtatim Antiphona: *Hæc dies*: poſtea Antiphona ad *Benedictus*, quæ quotidie, ut innuimus, eſt propria; denique Oratio, quotidie item propria; & poſt *Benedicamus Domino*: dicuntur duo *Alleluja*: Similiter poſt ℟. *Deo Gratias*.

Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, poſt *Deus in Adjutorium*: & *Gloria Patri*. *Alleluja*: dicuntur Pſalmi conſueti; ad Primam dicuntur Pſalmi ut in feſtis, ſcilicet *Deus in nomine tuo*. *Beati immaculati in via & Retribue*. Quibus finitis dicitur Antiphona: *Hæc dies*: poſtea Oratio, quæ ad Primam dicitur, ut in pſalterio: *Domine Deus Omnipotens*. Dicitur: *Pretioſa*: cum reliquis; & ad abſolutionem capituli lectio brevis: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto*: ut in Pſalterio. Ad alias autem horas poſt Antiphonam: *Hæc dies*: dicitur oratio, quæ ponitur in Laudibus. Ad Veſperas Antiphona: *Angelus Domini*: cum reliquis de Laudibus, & Pſalmi de Dominica; quibus finitis, dicitur Antiphona: *Hæc dies*: deinde Antiphona ad Magnific. quæ quotidie eſt propria, ut in Breviario; deinde Oratio, quæ etiam quotidie eſt propria; ad ℣. *Benedicamus Domino*: adduntur duo *Alleluja*, & duo ſimiliter ad ℟. *Deo gratias*: ut in laudibus dictum eſt. Prædictus ritus recitandi officium, ſervatur uſque ad Veſperas excluſive Sabbati in Albis.

Ad Completorium dicto ℣. *Jube Domne*. Capit. *Fratres Sobrii eſtote*. ℣. *Adjutorium noſtrum*. *Pater noſter*; & facta Confeſſione, & Abſolutione poſt ℣. *Converte nos Deus*. ℣. *Deus in adjutorium*: *Gloria Patri*. *Alleluja*, dicuntur Pſalmi conſueti; quibus finitis; dicuntur quatuor *Alleluja*: deinde Canticum Simeonis: *Nunc dimittis*: poſtea Antiphona: *Hæc dies*, Oratio: *Viſita quæſumus Domine*: *Dominus vobiſcum*. *Benedicamus Domino*: Cui hic non additur *Alleluja*, ſed ſolum in Laudibus, & Veſperis ex Rubr. Brev. denique Antiphona finalis: *Regina Cœli*: cum ſua Oratione. Sic dicitur Completorium uſque ad feriam ſextam incluſive ante Sabbatum in Albis. *Rubr. Brev. in offic. Dom. Reſur. & in Rubr. gen. tit. 24. n. 2. tit. 28. n. 1. & tit. 29. n. 1.*

Prædictum Officium Paſchale recitari non poſſe extra Octavam Pa-

C 2 ſchæ

ſchæ vice Officii ritus Ordinarii; docuimus in Dom. Palmar. n. 64.

De Cereo magno Paſchali accendendo, vide dicta in Sabb. Sancto num. 352.

2 Qu. Cur in officio Dominicæ Reſurrectionis, & per Octavam uſque ad Sab. in Albis incluſive non dicantur hymni, nec Antiphonæ ad horas minores, nec Capitula, &c. Item cur unicum etiam Nocturnum recitetur cum tribus Antiphonis: adeoque cur officium Paſchale ſit adeo breve?

℞. Ex Durando *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. c.* 87. *n.* 2. Hymni non dicuntur, quia in Reſurrectione non cantabimus hymnos hujuſmodi, ſed per vicos Jeruſalem cantabimus Alleluja: ut dicitur *Tob.* 13. 22. Igitur loco hymni cantatur *Alleluja* propter ſpem, quam habemus de glorioſa Reſurrectione; ita Durandus.

Ex eodem autem Dur. cit. cap. fine: Capitula non dicuntur, quia hæc ſignificant refectionem, ne poſt longam Pſalmodiam homo tædio afficiatur; at in Reſurrectione, ad quam pertinet Officium paſchale, nullum erit tædium. Item in hoc Officio brevis eſt Pſalmodia, atque adeo non opus eſt refectione.

Pauci autem Pſalmi ponuntur, ad ſignificandum, quod Neophyti, ſeu recenter baptizati pauca valent virtutum exempla proferre, tamquam parvæ, novæque plantæ. Hæc ratio colligitur *ex Ordine Rom. tit. de Ordine in Octavis Paſchæ*, ubi indicatur ratio, cur poſt Octavam Paſchæ multiplicentur de more Pſalmi &c.? & ſic dicitur: *Deinceps inſequenti tempore, quaſi creſcentium arborum frondes, multiplicantur, & recoluntur mores boni diverſorum per plures Pſalmos.*

Unicum ponitur Nocturnum ſub tribus lectionibus, & tribus tantummodo Pſalmis, cum tribus Antiphonis: ad ſignificandum, quod virtute Trinitatis, in qua eſt perfectio, facta ſit Reſurrectio; Confer dicta in Sabbato Sancto num. 319. fine, & dicenda in Dom. Reſurrect. nu. 16. Item propter triduanam ſepulturam, quæ præceſſit Dominicam Reſurrectionem. Dur. n. 2. Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 4. *cap.* 27. *fin.* & *c.* 43. Vel propter fidem, ſpem, & Charitatem, quas Neophyti debent tenere poſt ſuſceptum baptiſmum, ut repellant tria vitia originalia, id eſt, ſugeſtionem Diaboli, carnis delectationem, & conſenſum animi. Amal. l. l. cit. Tres autem Antiphonas cantari, quia Patriarchæ ante legem, Prophetæ ſub lege, Apoſtoli ſub gratia, Chriſti Reſurrectione glorificantur: interpretatur Honorius *in Gem. l.* 3. *c.* 127.

Horas vero minores ſine Antiphonis recitari in hebdomada Paſchatis, eo quod earum cantus nihil aliud fere ſit quam vera Pſalmodia: dicunt aliqui, ut Emmanuel Azeved. *de Divin. Offic. Exercit.* 32. Porro apud eumdem traditur: Antiphonas inſtitutas tantummodo eſſe, ad dandum Pſalmis modum vocis. Alii autem volunt, hoc eſſe veſtigium veteris moris, ex quo Horæ minores ſine Antiphonis perſolvebantur. Merat. *to.* 2. *ſect.* 4. *c.* 3. *n.* 5. Denique officium Paſchale eſt adeo breve, tum ob reſpectum Neophytorum, qui hujuſmodi Officio Canonico aſſiſtentes, quaſi modo geniti Infantes, ſi longum eſſet, tædio afficerentur, ac labore gravarentur: Tum etiam ob reſpectum ipſorum Clericorum, quibus parcitur propter præcedens

dens jejunium attritis. Dur. num. 2. & propter laborem Officiorum Hebdomadæ majoris longiſſimorum, quæ præceſſerunt. Hiſtorica tamen, ac naturalis ratio brevitatis paſchalis Officii ea eſt, quod cum Chriſtiani ad multam noctem in Officio, & Miſſa Sabbati Sancti detenti fuiſſent; & rurſus, paulum refectis viribus, ad Officia Divina redirent, nocte jam vergente in diem: ut conſtat ex Ord. Rom. *tit. de Ordine in Vigilia Sancti Paſchæ in nocte:* pluribus recitandis nocturnis ſpatium non ſuppetebat. Propterea unum dumtaxat ſatis eſſe oportuit; iſque mos tota hebdomada retinebatur: quia quidquid in Eccleſia, prima die, præſertim quo ad Neophytos attinebat, fieri ſolebat, idem per reliquos hebdomadæ dies factitabatur. Profecto, quo ad Officia Eccleſiaſtica omnis Octava reputatur facere unum cum ipſo feſto: Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 11. *lit. l.* Et expreſſe de hebdomada paſchali docet Rupertus *de divin. Offic. lib.* 8. *cap.* 12. & Honor. *in Gemm. lib.* 3. *cap.* 127. *&* 129. Quæ ratio ſignificatur in Ordine Rom. tit. tit. *de Ord. in Oct. Paſchæ*, ubi ſic dicitur: *Tres vero Pſalmi cantantur in nocturnali Officio per ſeptem dies baptiſmales, & unum diem ducimus in religione per illos ſeptem dies.* Vid. Benedict. XIV. *de feſtis lib.* 1. *c.* 9. *num.* 8.

CAPUT II.

De Miſſa.

1 Infra Octavam Paſchæ non fit de aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, ſed poſt Octavam celebrantur. De ſimplicibus autem occurrentibus in Triduo Paſchæ nulla fit commemoratio: ut in 2. part. dicemus; poſt triduum vero fit utique commemoratio. Rubr. Miſſ. in Domin. Reſurrect.

Per totam Octavam uſque ad Sabbatum incluſive Miſſa propria. Dicitur *Gloria*. Sequentia. *Credo*. Rubr. Gen. Miſſ. tit. 11. Præfatio propria temporis Paſchalis, & dicitur. ℣. *In hac potiſſimum die. Communicantes, & Hanc igitur*; propria uſque ad Sabbatum in Albis incluſive. Neque tacenda ſunt verba, in quibus mentio fit de recenter baptizatis, etiam ubi nullus ſit recens baptizatus. Confer dicta in Sabbato Sancto nu. 340. In Præfatione dicitur: *in hac potiſſimum die:* per totam Octavam, quia tota Octava computatur pro una die quo ad hujuſmodi Officia Eccleſiaſtica: ut cap. præcedenti notavimus. In fine Miſſæ dicitur: *Ite Miſſa eſt*; cum duplici *Alleluja*; Et ad Reſp. *Deo gratias*: item adduntur duo *Alleluja*. Rubr. Miſſ. In Miſſ. Dom. Reſur. Merat. *tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 11. *nu.* 4. Color Param. Alb. *Rubr. Gen. Miſſ. tit.* 18. *nu.* 2.

In triduo Paſchæ dupl. primæ Cl. dicitur unica Oratio; Poſt triduum vero ſemid. ſcilicet a feria quarta incluſive uſque ad Sabbatum in Albis incluſive fiat, uti dicemus 2. par. hujus 2. par. cap. 2. ſect. 2. ubi de Miſſa poſt Trid. Paſchæ infra Oct.

Quotidie in Miſſa dicitur Graduale uſque ad Sabbatum in Albis incluſive. Graduale (ita dictum, quod caneretur eo tempore quo Diaconus aſcendebat gradus ſuggeſtus, ut ibi, juxta priſcorum temporum conſuetudinem, caneret Evangelium: ut ex Rhenano tradit Bellarm. *de Miſſa l.* 2. *c.* 16. confer Merat. *to.* 1. *par.* 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

par. 1. *tit.* 10. *num.* 2.) lamentum indicat, & laborem, (Aliam ſignificationem notavimus in Sabbato Sancto n. 356.) atque adeo videri poſſet, minime congruere cum tempore ſummæ lætitiæ Paſchalis: unde a Sabbato in Albis incluſive toto tempore paſchali omittitur Graduale, ut ſuo loco notabimus; nihilominus bene recitatur in Octava paſchæ, & conjungitur cum Alleluja propter recenter baptizatos, qui arripuerunt laborem militiæ, ut perveniant ad alleluja æternæ lætitiæ; grandis enim labor eis ſupereſt, ut partem habeant in ſecunda Reſurrectione: Rupert. *de div. offic. lib.* 7. *c.* 11. *fine & lib.* 8. *cap.* 1. fine. Durand. *in Ration. divin. Offic. lib.* 6. *cap.* 88. *n.* 11. Honor. *in Gem. lib.* 3. *cap.* 133. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 10. *n.* 2. *lit. p.* Merat. loc. cit.

2 *In diebus, in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, prohibentur Miſſæ votivæ, & de* Requiem. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis;* apud Caval. *tom.* 3. *cap.* 9. *dec.* 2. Hinc habes, infra octavam Paſchæ prohiberi Miſſas votivas, & de *Requiem*. Vid. Caval. loc. cit. n. 2. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. §. 2. n. 498. & quæſt. 73. §. 1. n. 506. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. *lit. o.* Merat. ibi n. 11.

Si vero pro re gravi, aut publica Eccleſiæ celebranda ſit Miſſa ſolemnis votiva, debet in ea dici Præfatio conveniens, nimirum propria, ſi propriam habeat, juxta Rubr. Gen. Miſſ. tit. 12. n. 4. ſed *Communicantes* de infra Octavam Paſchæ. Vide dicenda infra Octavam Aſcenſionis num. 54. Similiter *Hanc igitur* proprium Octavæ Paſchæ. Confer Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *n.* 47. fine, & *par.* 4. *tit.* 11. *n.* 6. In Miſſis tamen omnibus defunctorum, prædicta dicuntur de communi; confer dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 85. In hujuſmodi autem Miſſa votiva non eſſe dicendum Graduale, ſed quadruplex *Alleluja* cum duobus verſibus, juxta ritum temporis Paſchalis: docet ex Petro Ruiz Gavantus in *Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 17. *n.* 12. Et ex his Halden apud Meratum in Gavant. *par.* 1. *tit.* 4. *nu.* 45. fine, & poſt Biſſum ipſe Meratus eadem parte prima tit. 10. num. 2. & iterum cum aliis *par.* 4. *tit.* 11. *de die Sancto Paſchæ* n. 6. eo quod Graduale conveniat Octavæ Paſchæ, non votivæ Paſchali. Et exiſtimat etiam Gavantus, in fine non eſſe addendum alleluja ad *Ite Miſſa eſt*. Nec contradicit Meratus cit. n. 45. ſed expreſſe docet par. 4. cit. n. 6.

Infra Octavam Paſchæ nec pro Anniverſario, nec pro diebus 3. 7. 30. poteſt cantari Miſſa de *Requiem*. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii cap. 9. nu. 10. Præſente autem Cadavere, excepta Dominica Reſurrectionis, in ſequentibus feriis licita eſt unica Miſſa ſolemnis *de Requiem*. Vid. dicenda in cit. Append. c. 8. art. 3. n. 22.

Octava Paſchæ terminatur ad Nonam Sabbati in Albis celebrata Miſſa. Vid. dicenda in Sabbato in Albis num. 1.

Quamvis in Dominica ipſa Paſchatis non liceat celebrare in Oratoriis privatis: Utrum vero liceat in ſequentibus duobus diebus feſtivis? Examinavimus tr. 1. 6. Januarii n. 40.

Cereu paſchalis quibus diebus accendi debeat? diximus in Sab. Sancto n. 352.

QU. hic: An tota Paſchalis hebdoma- 3

domada colenda ſit in foro ex præcepto?

℟. Negative. Dico itaque, quod eſti initio impoſitionis feſti Paſchalis, tota ejus hebdomada coleretur: hodie tamen ex generali conſuetudine, & ut conſtat ex Conſtit. Urbani VIII. *Univerſa*: tres tantum dies, Dominica ſcilicet, cum duobus immediate ſequentibus diebus ex præcepto univerſali ſervantur: reliqui dies ut feriati tantum a judiciis. Vide dicenda in Domin. Reſurrect. art. 1. quæſt. 3. Dari tamen aliquas Provincias, in quibus obſervetur dies præter Dominicam Paſchæ, ſeu in quibus obſervetur ut feſtiva etiam feria quarta, tradit Suarez *de Relig. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 6. num. 2.* Subdit vero in illius feriæ obſervatione conſuetudini ſtandum eſſe; nam, inquit, juxta morem Eccleſiæ Romanæ illa dies non eſt ita ſolemnis ſicut priores. Unde etiam in Officio diei non habet æqualem ſolemnitatem; primi enim tres duplices ſunt ſupremæ Claſſis; quartus vero ſolum ut ſemiduplex colitur; ita Suarez. Qui adhuc teſtatur, hanc eſſe ſententiam communem Anton. Sylveſtri, Angeli, Cajetani, Armillæ, & aliorum; ac Urbanum VIII. in citata Conſtit. *Univerſa de Obſervat. feſtor.* ſubſtuliſſe obligationem ſervandi ex præcepto dies præter ibi deſcriptos; Vide dicenda in Append. ad calcem Diar. cap. 7. n. 5. initio. Quapropter poſt Urbanum VIII. ceſſavit, ubi ante fuerit localis conſuetudo, ſervandi ex præcepto in foro feriam quartam Paſchalis hebdomadæ.

CAPUT III.

De Præcepto Communionis Annuæ, & Paſchalis.

DISPUTATUR SECTIONIBUS VIII.

Sect. I. *Quod adſit præceptum Communicandi ſaltem ſemel in Anno in Paſchate.*

Sect. II. *De tempore implendi præcepti Communionis Paſchalis. a n. 5.*

Sect. III. *Quis teneatur præcepto Communionis annuæ & Paſchalis? a n. 35.*

Sect. IV. *Qualis Communio præcipiatur in Paſchate? a n. 84.*

Sect. V. *Quod Communio Paſchalis ſumenda ſit ſub gravi de manibus Parochi proprii, aut Delegati ab ipſo: & conſequenter in ſua ipſius Eccleſia, ſeu propria Parochia. n. 91.*

Sect. VI. *De pœnis tranſgreſſorum præcepti Communionis Paſchalis. a n. 134.*

Sect. VII. *Utrum in Dom. Reſurrect. liceat Regularibus, aliiſq. Sacerdotibus ſæcularibus miniſtrare Euchariſtiam fidelibus, etiam ex mera devotione volentibus communicare extra Parochias? a n. 144.*

Sect. VIII. *De Communione Paſchali deferenda ad Infirmos. n. 153.*

SECTIO I.

Quod adſit præceptum communicandi ſaltem ſemel in Anno, in Paſchate.

1 EST præceptum divinum recipiendi Euchariſtiam aliquoties in vita, ſi tempus ejus nimirum breve non ſit, ut explicabitur infra. D. Thom. 3. *part. qu.* 80. *art.* 11. & poſt D. Thomam, & alios tenet, probatque Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 69. *ſect.* 3. §. *dico ſecundo* : & eſt communis.

Eccleſiæ autem eſt, determinare tempus, quo hujuſmodi præcepto ſatisfaciendum ſit. Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 2. *n.* 28. Rodriqu. *in ſum. par.* 1. *c.* 64. *n.* 1. aliique, quos citat, & ſequitur Franciſcus de-Lugo *de Euchar. l.* 4. *c.* 9. *qu.* 3. *n.* 12. Quæ vero pro varietate temporum, & circumſtantiarum variam conſuevit obligationem imponere.

Et primo quidem tradunt multi: In principio Fideles communicaſſe quotidie, etiam ex obligatione gravi ab Eccleſia impoſita; Vid. Walafrid. Strab. *de reb. Eccl. cap.* 20. *fine*, Jo: Beleth *de divin. Offic. cap.* 120. *prope fin.* Durand. *in Ration. divin. Officior. lib.* 4. *c.* 53. *n.* 2. D. Thom. 3. *par. qu.* 80. *art.* 10. *ad* 5. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 10. *n.* 6. *let. i.* fine; Vide etiam dicta tr. 1. lib. 1. c. 3. de commun. quotid. qu. 1. n. 1. Quamvis Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 69. *ſect.* 3. §. *Addo etiam & diſp.* 70. *ſect.* 2. initio : Probabiliſſimum eſſe, dicat, nec quidem a principio fideles communicaſſe quotidie omnes; vel hoc dato, id tamen non ex obligatione ulla ; probabile enim eſt, inquit, in principio nullam factam fuiſſe determinationem : quia fidelium devotio obligationem præcepti præveniebat. Suarezium ſequitur Cardinalis De-Lugo citat. ſect. 2. a n. 29. Benedictus XIV. *tom.* 1. *notificat.* 45. *n.* 2. licet admittat Communionem quotidianam omnium fidelium primitivæ Eccleſiæ : ait autem, ignorari, utrum prædicta communio quotidiana ex obligatione aliqua ſumpta fuerit, vel ex ſimplici devotione? Nec notum eſt, teſtatur, quanto tempore fuerit cuſtodita. Videri etiam poteſt idem de *Synodo diœceſ. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 6. Eſt qui credat, anno Domini 150. viguiſſe præceptum communicandi ſingulis Dominicis : nam S. Juſtinus, qui florebat circa prædictum annum, cujus ipſe meminit in Apologia ad Imperatorem, & Senatum, populumque Romanum, *Apolog.* 1. *num.* 67. tantum indicat, communem totius populi conſuetudinem fuiſſe, ſingulis diebus Dominicis communicare. Verum quid huic opinioni obſtet; mox infra dicemus. Deinde dicitur Soter Papa, qui ſedit an. 175. præſcripſiſſe, ut omnes communicarent in die Cœnæ Domini, ſeu feria v. majoris hebdomadæ : Uti habetur *C. in Cœna Domini* 17. *diſt.* 2. *de conſecr.*, quam communionem, videtur Divus Thomas a paſchali diſtinguere : ut notat Suarez *to.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 70. *ſect.* 2. poſt initium. Item a Zephirino P. qui ſedere cœpit an. 203. obiit autem ann. 221. ſtatutum fuiſſe, ut quilibet Chriſti Fidelis idoneus ſingulis annis communicaret in Paſchate ; dicitur in quadam Chronologia Summor. Pontific. edit. Rom. anni 1627. Deinde ſtatutum fuiſſe, tradiderunt plerique, a Fabiano Papa,

Digitized by Google

pa, qui ſedit ann. 238. impoſitumque præceptum, quod ter ſaltem in anno, Natali videlicet Domini, Paſchate, & Pentecoſte Fideles communicarent. *C. Etſi non frequentius 16.* Refert item Burchardus lib. *6. c. 19.* Sylveſtrum Papam, qui ſedit ann. 315. quoſdam alios addidiſſe; quam vero Legem apud nullum alium ſe reperiſſe, teſtatur Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 70. ſect. 2. poſt initium;* Sed allegatum Canonem *Etſi non frequentius:* licet a Gratiano adſcriptum S. Fabiano Pontifici, qui vixit ſæculo tertio: eſſe monumentum ſæculi octavi; communis eſt recentiorum eruditorum opinio, teſte Benedicto XIV. *tom. 1. Notificat. 45. num. 2.* & mox infra docebimus.

Anno autem 364. adfuiſſe obligationem communicandi in Paſchate, habetur ex Canone 14. Concilii Laodiceni circa prædictum annum celebrati, in quo prohibetur panis benedictus diſpertiri in Eccleſia populo in Paſchate; Et redditur hæc ratio, quia nimirum ea die diſpertiendum erat, ac recipiendum Sanctiſſimum Corpus Domini; Vide Marcum Battaglini Epiſc. Nucer. *hiſtor. Concil. tom.* 1. ubi de Concil. Laodic. n. 8.

Eodem Sæculo quarto, anno videlicet 370. creditur extitiſſe præceptum communicandi etiam ter, aut quater ſingulis hebdomadis, & omnibus diebus feſtis; Enim vero Baſilius, qui eo anno florebat, in Epiſtola ad Cæſariam Patritiam laudat veterem Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, communicandi fideles quotidie in Miſſa: Sed dicit: Sufficere tamen; communicare quater in hebdomada ſtatutis diebus, videlicet in Dominica, feria quarta, ſexta, & Sabbato, nec non reliquis diebus feſtis. Unde ſignificare videtur, ſuo tempore fuiſſe præceptum communicandi prædictis diebus. Epiphanius vero, qui eodem ævo florebat, & Baſilio ſupervixit, *in compend. Doctrinæ* refert ſolum conſuetudinem, communicandi feria quarta, Sabbato, & Dominica; ſed, ut obſervat Suarez *diſp. 69. ſect. 4. §. dico primo fine*: etiam ſignificat, prædictam frequentiam fuiſſe præceptam.

Deinde putatur, iterum facta determinatio pro ſingulis tantum Dominicis; & hujuſmodi conſuetudo viguiſſe ann. 420. nam S. Auguſtinus; qui circa illum annum florebat, *Epiſt.* 118. ad Januar. c. 2. ſcribit, cœpiſſe ab aliquibus frequentari Communionem ſingulis tantum diebus Dominicis. At vero Suarez, licet addat aliam quamdam conjecturam de Communione populi in Dominica fieri conſueta; dicit tamen, non conſtare, quod fuerit in præcepto, cum non adſit ſufficiens traditio, neque expreſſum Decretum alicujus Pontificis, vel Concilii; ita *to. 3. in 3. par. diſp. 70. ſect. 2.* initio. Idem vero Suarez cit. ſect. 2. poſt initium, colligit ex Chryſoſtomo, Auguſtino, & Ambroſio, quibus addi poteſt Caſſianus *collat. 23. cap. 21.* jam ab eorum ævo cœpiſſe introduci conſuetudinem, communicandi ſemel ſingulis annis.

Id utique, cum aliqua ſecuritate affirmari poſſe, videtur: ab Eccleſia olim impoſitum fuiſſe univerſale præceptum communicandi ter ſingulis annis, certis quibuſdam diebus, nimirum in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini Salvatoris. Hoc autem fuiſſe ſtatutum circa Sæculum octavum, cujus agnoſcitur, ut ſupra di-

Digitized by Google

dicebamus, eſſe monumentum, Canon ille: *Etſi non frequentius:* in quo præceptum hujuſmodi legitur conſignatum. Igitur *C. Etſi non frequentius*: *16. diſt. 2. de conſecr.* ſic habetur: *Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent: (niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur:) in Paſcha, videlicet, Pentecoſte, & Natali Domini.* Dicendum etiam eſt: hujuſmodi præceptum perduraſſe uſque ad initium Sæculi decimitertii, ſedente Innocentio III. licet adhuc eodem ſedente defecerit, ut ſtatim videbimus; ita obſervat Benedictus XIV. l. cit. nu. 3. qui primum colligit ex laudati Pontificis Epiſtola quadam relata cap. *Deus. de pœnitent. & remiſſion.* ubi inter alia documenta, quæ tradit ei, cui cura demandata fuerat animarum populorum Livoniæ, qui paulo ante Catholicam fidem amplexi fuerant: inculcat, ut iis tribuatur Sacra Communio in mortis articulo, & conſuetis feſtivitatibus. *Interim tamen Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum renatis fonte Baptiſmatis Conſuetis Feſtivitatibus, & in mortis articulo tribuatis.* Alterum vero conſtabit ex ſequentibus.

2 Tandem itaque, creſcente fidelium numero, deficiente vero, & refrigeſcente charitate multorum, cum non obſtantibus ſuperioribus præceptis, introduci cœperit conſuetudo differendi communionem per annum integrum; Statutum eſt anno 1215. ut ſingulis annis omnes communicarent ſaltem ſemel: ne puſillis laqueus injiceretur. Aſſignatum eſt autem adimpletioni præcepti communionis annuæ tempus Paſchale: tum ut tempus eſſet magis certum, tum ob quamdam congruentiam; quia nimirum fideles per præcedentem obſervantiam Quadrageſimalem melius diſpoſiti ad communionem SS. Euchariſtiæ percipiendam, ſupponuntur; utque devotius ejus inſtitutionis tempus, & conſummatio Redemptionis celebraretur. Suar. *to. 3. in 3. part. diſp. 70. ſect. 2.* poſt initium: Reginald. *in praxi lib. 29. cap. 5. qu. 3. n. 73.* Filliuc. *l. cit. nu. 55.* Platell. *l. cit. n. 429.* Vid. dicta hoc tr. 2. lib. 4. part. 1. c. 1. art. 3. tr. 46. §. *Secunda ratio.* Præceptum Communionis annuæ, & Paſchalis tulit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. c. 21. anno ſupra notato 1215. & refertur in Cap. *Omnis utriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſ.* his verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere: Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationalem cauſam, ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Concilium Tridentinum, idem declarando, ſtatuit ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis pervenerint teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad Communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ: Anathema ſit.* Prædicta vero determinatione peracta, jam præceptum divinum, communicandi ſæpius in vita, obligat omni anno ſemel; ſed ſimul obligat præceptum Eccleſiaſticum. Non ideo tamen commu-

Digitized by Google

munionem annuam negligens, duo peccata committit, ſed unicum; tamquam unius ſolummodo præcepti trangreſſor, in ſenſu tamen explicando. Hoc præceptum communionis annuæ, & Paſchalis obligat ſub gravi, ut patet ex materia ipſa præcepta, & fine ob quem præcipitur, qui eſt magni momenti propter maximam utilitatem Animarum, & ſpiritualis vitæ; ac propter venerationem feſti Paſchalis, & commemorationem tum Cœnæ Domini, tum cruenti D. N. Sacrificii circa hoc tempus conſummati: ut ſupra ſignificavimus. Patet etiam ex gravibus pœnis adjectis contra transgreſſores, de quibus agemus ſect. *6.*

3 Nota hic 1. Præceptum Communionis Paſchalis eſſe virtualiter triplex, tripliceſque involvere partes, quarum quælibet obligat per ſe, & ſub gravi. Et primo quidem involvit præceptum communicandi ſaltem *ſemel in anno*; ita ut, qui etiam, juſta cauſa excuſante, non communicat intra tempus Paſchale, teneatur extra prædictum tempus intra annum. Secundo faciendi hanc communionem annuam *tempore Paſchali;* ita ut qui communicaret quidem ſemel aut etiam pluries in anno, ſed non tempore Paſchali: ſi nulla juſta cauſa excuſaretur, peccaret mortaliter. Tertio, faciendi hanc Communionem annuam tempore Paſchali *de manu Parochi proprii;* ita ut, qui communicaret tempore Paſchali, ſed non de manu Parochi ſui, aut alterius delegati ab ipſo, peccaret mortaliter. Quæ omnia hic ſectionibus ſequentibus explicabuntur.

Nota 2. Annum pro communione annua varie computari ab Auctoribus. Sententiæ autem probabiliores ſunt hæ duæ: Prima ut computetur annus a die prima anni Civilis, & vulgaris ad ultimam diem; ſeu a die prima Januarii ad ultimam Decembris. Secunda, ut computetur annus a Paſchate ad Paſcha, quemadmodum in ſimili dicemus in Append. c. 13. de præc. confeſ. annuæ art. 5. qu. 3. n. 71. Quid autem hic intelligatur nomine Paſchæ, in quo facienda per ſe eſt Communio annua? Explicabimus ſect. ſequ.

Interim quæres hic: an ſit obligatio confitendi in Paſchate, præſcindendo a Communione Paſchali? Hoc eſt: utrum in Paſchate ſit obligatio confitendi, etiamſi non poſſit fieri communio? Quod eſt quærere: an præceptum Confeſſionis annuæ ſit affixum tempori Paſchali? 4

℞. Negative. Hæc aſſertio ſatis probata manet ſuo loco cit. cap. de præc. Confeſſ. annuæ art. 5. qu. 2. Vide ibi dicenda.

SECTIO II.

De tempore implendi Præceptum Communionis Paſchalis.

EUGENIUS IV. in ſua Conſtit. 24. to. 3. par. 3. Bull. Rom. Caroli Cocquelines, incip. *Fidei digna*. 8. Julii ann. 1440. declaravit: Paſcha, in ordine ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis, intelligi Hebdomadam Sanctam, & alteram hebdomadam, infra Octavam Paſchæ Reſurrectionis. Et noviſſime Benedictus XIV. Conſtitutionis Eugenii mentionem faciens Conſtit. 48. tom. 3. Bullar. ejus incip. *Magno* §. 22. ait: *Verum quia, ſecundum præcedentem Eugenii IV. Conſtitutionem, Paſchale tempus, intra quod commu-* 5

 nio-

Digitized by Google

nionis præceptum adimplendum eſt , a Dominica Palmarum initium habet , ac Dominica in Albis terminatur . Et videri inſuper poteſt idem de *Synodo Dioceſ. l.* 13. *c.* 16. *n.* 3. Intellige autem terminari in Dominica in Albis incluſive : idque jam fert univerſalis conſuetudo. Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. §. *Sed circa*. Cardinalis de Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 62. Quod videntur etiam voluiſſe Beleth *de divin. offic. c.* 113. & Durandus *in Ration. offic. lib.* 6. *c.* 86. n. 5. ubi ſcripſere, vocari Paſcha ipſam diem Reſurrectionis , & etiam tempus a Dominica in Ramis palmarum uſque ad octavam Paſchæ: ut in Dom. Palmarum innuimus : & hi quidem poſtremi Auctores ſcripſerunt ante declarationem Eugenii: Ante quam vero alii aliter docuerunt , tempus præcepti Paſchalis ad pauciores dies reſtringentes, qui tamen non ſunt audiendi ; ut Panormitanus , qui in Cap. *Omnis utriuſque* : docuit : in ordine ad Communionem Paſchalem , nomine diei Paſchatis ſignificari ipſum diem Dominicæ Reſurrectionis , idque de jure prædicti capitis. Admiſit autem ſatisfieri etiam præcepto in die Sancto Dominicæ Cœnæ : ſed ob conſuetudinem, ait, receptam, quæ ſic illud interpretatur.

Verum ſi ad unam , vel alteram diem reſtricta eſſet obligatio communicandi impoſita omnibus fidelibus , periculum offerretur , eam tranſgrediendi : ſive ob nimium accedentium concurſum, ſive ob difficilem acceſſum ad Sacram Menſam , ſive etiam ob commoditatem effugiendi oculum Paſtoris invigilantis , nequis ab illa ſe ſubducat ; ut notat Suar. l. cit. Reginald. *in praxi lib.* 29. *num.* 74. Et inde etiam factum eſt , ut in pluribus locis tempus communionis Paſchalis ad alios adhuc plures dies extendatur : ut jam videbimus.

6 Licet itaque tempus ſatisfaciendi Præcepto Communionis Paſchalis ſit a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis, ſpatium videlicet quindecim dierum ; hoc tamen tempus in pluribus locis vel ex conſuetudine extenditur , vel ex Indulto : Et poteſt etiam Confeſſarius ex juſta cauſa extendere ; quod aperte concedit ipſum Caput *Omnis* . Suar. & Cardinalis de Lugo ll. cit. Fagund. 3. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. Buſemb. *lib.* 6. *par.* 1. *de Euch. c.* 2. *dub.* 2. *art.* 3. *Reſp.* 2. Franc. de Lugo *l.* 1. *de Sacram. cap.* 6. *qu.* 12. *Theor.* 3. *num.* 16.

Sic alicubi comprehendit totam Quadrageſimam . Tolet. *Inſtit. Sacer. lib.* 6. *c.* 18. initio , Cardinalis de Lugo l. cit. Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 14. §. 7. Buſemb l. cit. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *qu.* 4. Franc. de Lugo *l. cit.* & *l.* 4. *de Euch. c.* 10. *quæſt.* 2. *n.* 9. Ita Mediolani , ut teſtatur Suar. l. cit. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 4. *de Euch. c.* 2. *n.* 55. ubi etiam Religioſos poſſe frui prædicto privilegio , docet Pellizarius *Man. Regul. to.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *q.* 3. *n.* 75. ne ſint , ait, deterioris conditionis . Quæ ratio militat etiam pro alibi exiſtentibus , ubi ſimile ſit privilegium. Item totam Quadrageſimam comprehendere in Conimbrica , & in multis aliis locis innominatim teſtatur Navar. *in man. c.* 21. *n.* 45. At Em. Roderic. *tom.* 1. *q.* 56. *de communic. art.* 3. poſt medium §. *ex his Secundo* ; & apud Azor. loc. cit. Laurentius Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis teſtatur, Clementem VII. de-

declaraſſe, quod in quolibet die Quadrageſimæ poſſint fideles in Hyſpaniæ partibus ſatisfacere Præcepto Communionis Paſchalis; Cujus teſtimonii, & conſuetudinis meminit etiam Fagundez l. cit. & Rodriqu. *in Explic. Bull. Cruc. §. 5. num. 9. & in Summ. p. 1. c. 64. n. 1.* licet Suar. loc. cit. dicat ſibi nec de uſu, nec de hujuſmodi conceſſione ſatis conſtare; Concedit tamen, quod ſufficeret ita facere, ubi conſtaret. In tota quoque Luſitania conſuetudinem legitimam obtinuiſſe, teſtatur cum aliis Laudatus Fagundez l. cit. ut in quolibet Quadrageſimæ die etiam in primo, huic præcepto ſatisfiat. Item Platell. nu. 431. teſtatur, in variis locis præcepto Communionis Paſchalis, ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine, ſatisfieri poſſe a media Quadrageſima, vel etiam ab ejus initio: idque, ait, in Belgio frequenter concedi Militibus. Denique in noſtra Sicilia Panormi poteſt præcepto Paſchali ſatisfieri a prima die Quadrageſimæ uſque ad Dominicam in Albis, idque ex conceſſione Apoſtolica dicit Chiavetta Conſult. 20. n. 3. Sed vide dicenda n. ſequ. ſub init. imo & in tota etiam Diœceſi Panormitana per idem tempus extenditur: ut conſtat ex Synod. Diœceſ. & praxi. Ubicumque id fiat ex conſuetudine, illam etiam admittunt, ſi ſit legitime introducta, Suar. loc. cit. Navar. l. cit. Reginald. lib. 23. num. 77. & alii paſſim, ac merito; nam talis conſuetudo, ſicut & Papæ privilegium prævalere poteſt huic præcepto Eccleſiaſtico. Hujuſmodi privilegio, ſeu conſuetudine locali poſſe frui Vagos, & Peregrinos, docebimus ſect. 5. qu. 3. n. 11. Sunt & aliquæ Diœceſes, in quibus tempus Communionis Paſchalis extenditur adhuc poſt Dominicam in Albis, veluti in Diœceſi Bracharenſi, ubi extenditur uſque ad Dominicam Paſtoris boni, ſeu in qua legitur Ev. *Ego ſum Paſtor Bonus*; quæ eſt ſecunda poſt Paſcha; ex conſuetudine legitime ibi introducta: uti teſtatur Fagundez, l. cit. ubi etiam meminit de conſuetudine, quæ eſt Punetii, quod eſt Oppidum Diœceſis Agytanenſis in Luſitania; in quo oppido Paſchale Præceptum extenditur, quo ad Piſcatores, uſque ad Pentecoſten; quia uſque ad illud tempus extra propriam domum, Parochiamque verſantur, piſcationibus intenti. Quapropter recte concludit Fagundez, & Franciſcus de Lugo ll. ſupra cit. inſpiciendum eſſe, quid ubique conſuetudo permittat, & Conſtitutiones videndas cujuſque Diœceſis, ac juxta illas intelligendum eſſe tempus, quo quis poſſit implere præceptum Communionis Paſchalis. Non quod jus Conſtitutionum hujuſmodi poſſit juri prævalere communi: Epiſcopi enim Diœceſani non ſunt ſupra Papam, nec ſupra jus commune editum a Papa; Sed ideo valent illæ Conſtitutiones, quod ipſæ tunc declarent conſuetudinem Diœceſis, & in ipſa conſuetudine fundentur; Quæ plane conſuetudo poteſt prævalere juri communi: ut ſupra diximus. Addit Fagundez, obſervatque hujuſmodi Conſtitutiones ordinarie examinari, & approbari a Papa: Quamobrem ex licentia Papæ extendere Epiſcopos tempus præcepti Paſchalis.

Sed his non obſtantibus, inclinat Fagundez cum quibuſdam aliis ad dicendum: Epiſcopos poſſe, præſcindendo etiam a conſuetudine, vel facultate, & licentia Summi Pontifi- 7

cis,

Digitized by Google

cis, extendere tempus præcepti Paſchalis in tota quoque Diœceſi ſtabililer etiam, & per Legem; neque ideo facturos contra jus commune & Pontificium. Enimvero, ait, jus commune, & Pontificium non determinat tempus Paſchale omnino abſolute, ſed conditionate; permittit enim, ex cauſa rationabili extendi tempus præcepti Paſchalis, & præſcripto proprii Sacerdotis: dicitur enim cit. *C. Omnis*. . . . . *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Huic ſententiæ adhæſiſſe videtur ipſa Sacra Congregatio Concilii: Enimvero, ut ex Fagnano refert Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 10. cum olim Archiepiſcopus Panormitanus a S. C. confirmari poſtulaſſet decretum a ſe in Synodo editum, quo ob Civitatis amplitudinem, & Miniſtrorum penuriam, Paſchale tempus ita protraxerat, ut a feria IV. Cinerum inciperet cenſeretur, & Dominica in Albis defineret: eadem S. C. die 31. Januarii 1682. reſpondit: ut Archiepiſcopus *uteretur jure ſuo*.

Dubitatio etiam eſſe poteſt: An valeant Epiſcopi per totam Diœceſim, aut Civitatem ſtabiliter, & per legem, tempus Præcepti Paſchalis extendere non ſolum ad alios dies, poſtquam terminavit ex jure communi, ſeu conſuetudine univerſali: verum etiam anticipando. Profecto citatus C. *Omnis*; loquitur de extenſione poſt dies in jure præſcriptos, non de anticipatione: ut ſcite animadvertit Cardinalis de Lugo de Euchar. *diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 81. quamvis nonnulli rationem prædictam vocaverint futilem: non conſiderantes utique: cauſam, ex qua in jure præfato fit poteſtas, poſtponendi Communionem Paſchalem de conſilio proprii Sacerdotis, minime militare pro eadem communione anticipanda; ut mox obſervabimus. Sed certe plauſibilius obſtat; quod in citato Can. tribuitur illa facultas *proprio Sacerdoti ſi ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione* (Euchariſtica) *duxerit abſtinendum*: quibus inſinuatur proprius Sacerdos, qui ex confeſſione talem ſtatum in pœnitente deprehenderit, ut illi Paſchalis communio ſit protrahenda: ex quo non fluit facultas in Epiſcopo, ut tali. Enimvero Eccleſia non obligat omnes indiſcriminatim fideles, ad communicandum abſolute intra tempus omnino Paſchale; ſed excipit eos, qui forte pro tali tempore ſint indiſpoſiti: quod cum Confeſſarius internoſcere poſſit; idcirco huic relinquit Eccleſia judicandum; an pro tali oporteat communicandi tempus differre: atque hæc quidem facultas nihil habet cum Epiſcopali jure commune.

Quapropter melius docet Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. cit. lib.* 12. *c.* 6. *nu.* 10. non poſſe ab Epiſcopo in ſua etiam Synodo prorogari ſine approbatione Apoſtolica Paſchale præceptum: quod ſi hujuſmodi prorogans ederetur Conſtitutio Synodalis, corrigenda foret, ait, quia non decerneret, quod eſt a jure prætermiſſum, ſed contra jus limites ampliaret, ab ipſo jure jam præfinitos. Quo circa Cardinalis Cantelmus Archiepiſcopus Neapolitanus, ut idem laudatus Pontifex refert, probe noſcens, ſibi non competere facultatem prorogandi dictum tempus uſque ad diem Aſcenſionis, illam ſibi

ſibi concedi petiit a Sacra Congregatione; quæ ob ingentem numerum populi Neapolitanam Urbem incolentis, petitam prorogationem conceſſit die 20. Martii 1694. quam idem Cardinalis in ſuam inſeruit Diœceſanam Synodum eodem anno celebratam; quod idem præſtitum fuit ab ejus Succeſſore Cardinali Pignatello in Synodo ab ipſo celebrata an. 1726. Quo teſtimonio videtur etiam ſatisfactum auctoritati illi petitæ ex antiquiori reſponſione ejuſdem S. Congregationis data Archiepiſcopo Panormitano, ex qua videbatur, oppoſitum declaratum; Dicendum enim eſt, eamdem Sacram Congregationem priorem illam ſententiam revocaſſe.

8 Non negamus autem, Epiſcopum, etiamſi minime audiat Confeſſionem ſui Diœceſani, poſſe nihilominus ex aliqua cauſa rationabili, huic, vel illi Diœceſano, quando occurrerit neceſſitas, deſignare aliud tempus ad implendum præceptum Communionis Paſchalis. Et ratio hujus conceſſionis, ac poteſtatis eſt, quia ſecus non eſſet ſatis proſpectum fidelibus, ſi ad Romanum Pontificem opotteret omnino recurrere in neceſſitatibus hujuſcemodi, hunc, vel illum ſingularem hominem afficientibus ex aliquo inopinato caſu. Vide quæ in materia de jejunio diximus tr. 1. 23. Februar. art. 3. n. 23. Neque negamus id ipſum poſſe Epiſcopum in una etiam Civitate, vel tota Diœceſi ſua, ſemel, ex neceſſitate, quando ſcilicet caſus ſit repentinus, & non admittat moram, & recurſus fieri nequeat ad Pontificem. Ratio eſt eadem ac ſupra dicta, & per ſe patet; vide rurſus quod in materia de jejunio, & abſtinentia quadrageſimali docuimus hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. art. 2. qu. 3. num. 7. Ex qua ratione fortaſſe moveri, puto, illos Epiſcopos, qui tempus præcepti Paſchalis extendere ſolent occaſione Miſſionum, teſte La-Croix *lib. 6. par. 1. qu.* 117. §. 17. *n.* 630. ubi etiam exemplum ponit cujuſdam Epiſcopi Paderbonenſis, & Monaſterienſis, qui ann. 1681. præcepti Paſchalis tempus pro locis, in quibus Sacræ Miſſiones fuerant exercendæ per Quadrageſimam, extendit ad totam Quadrageſimam, & quatuordecim dies poſt Paſcha.

Qu. I. An ſatisfiat præcepto Paſchali, communicando in Sabbato ante Palmas, vel feria ſecunda poſt Dominicam in Albis? Quod eſt, quærere: Utrum in præcepto Communionis Paſchalis tempus commenſurari poſſit moraliter, circum circa, & non omnino indiviſibiliter? 9

℟. Affirmat Paſqualigus apud Dianam *to.* 2. *edit. coord. nu.* 2. *R.* 14. §. 4. nam, ait, cum parum, & nihil æquiparentur, ex jure; dum parum abeſt tempus a præſcripto, cenſetur non abeſſe; & proinde quæ fiunt in ipſo, cenſentur fieri in tempore præſcripto; ita ille. Sed dicendum eſt cum Pelliz. *in man. Regul. tr.* 5. c. 3. *ſect.* 2. *n.* 87. Diana l. cit. §. 5. Præpoſito apud illum, & Cavalerio *to.* 4. *c.* 2. *comment. in decr.* 19. *nu.* 2. fine: non ſatisfieri præcepto Paſchali per Communionem, etiamſi uno tantum die anticipatam, vel poſtpoſitam a tempore præſcripto, quia in præceptis affixis tempori, tempus debet commenſurari indiviſibiliter, & non moraliter. Idem dicendum de quovis alio tempore, ab aliqua conſuetudine legitima particulari præfixo, ad implendum præceptum Communionis Paſchalis; ni-

mi-

mirum quod illi nec unum diem, ſive anticipando, ſive poſtponendo, liceat addere.

Axiomata vero illa: *Minimum pro nihilo reputatur: & quod fit intra triduum, dicitur fieri quam primum, & continuo:* ac ſimilia his, quæ proferri ſolent ex jure: non intelligenda ſunt abſolute, ſed cum maxima limitatione, & debito judicio: habito nimirum reſpectu ad alia ejuſdem juris ſtatuta, & Axiomata; item ad materiam, de qua agitur, ad circumſtantias rerum, ad communem hominum exiſtimationem &c. & ſic minimum pro nihilo non reputatur in jejunio naturali ad communionem requiſito, non ſolum reſpectu quantitatis materiæ, ſed nec ratione temporis, ut ſi quis paulo poſt mediam noctem quid parum comedat, aut libat; franget utique jejunium naturale Communioni præmittendum. Similiter in recitatione Horarum Canonicarum: ſi quis ſtatim poſt mediam noctem recitaret Horas Canonicas præteriti diei, non ſatisfaceret præcepto pro die præterito: Nec ſatisfaceret pro die ſequenti, ſi paulo ante mediam noctem recitaret aliquam partem Officii ſubſequenti diei. In his etenim tempus debet commenſurari indiviſibiliter, & non moraliter; De qua re quæſtionem ex profeſſo inſtituimus, & fuſe egimus tr. 1. lib. 1. cap. 1. lege præſertim ibi art. 6. & 9. Quod ſi Ills. apud La-Croix *lib. 6. part. 1. qu. 117. §. 17. num.* 630. dicat: Incidente feſto Annunciationis in Sabbatum ante Palmas, communiter annumerari in diebus præcepti Paſchalis: Id non erit per ſe, nec ob illam rationem generalem aſſignatam a Paſqualigo, ſed ex conſuetudine alicubi forte recepta annumerandi in prædicto caſu Sabbatum præcedens Dominicam Palmarum in diebus præcepti Paſchalis; Unde nec quidem in prædicto incidentiæ caſu Communionem Paſchalem anticipare licebit, niſi ubi legitima conſuetudo permiſerit: ut monet La-Croix l. cit.

Qu. II. Qui differt communionem 10
Paſchalem uſque ad diem ultimum præcepti Paſchalis, ſi mane caſu aquam deglutierit, aut aliter jejunium naturale ad S. Communionem requiſitum fregerit, utrum nihilominus teneatur, eodem die communicare, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali?

℞. Toletus *Inſtruct. Sacr. cap. 28. nu. 6.* loquens de infirmo extra etiam periculum mortis; & præter obligationem communicandi ex Viatico: docet: quod, ſi aliquando ſit præceptum communicandi, & Infirmus non poſſet abſque gravi nocumento, omittere potionem, tunc poſſet ſumere, & poſtea communicare. Hoc autem docet Toletus, quia, ut notat Franciſcus de Lugo *lib. 4. de Euchar. cap. 7. qu. 7. num.* 67. ipſe putat, prævalere præceptum Communionis contra præceptum jejunii naturalis. Idem porro dicendum eſſet de caſu propoſito, *ſi valeret* hypotheſis Toleti de aſſerta præcedentia utriuslibet præcepti. Cæterum cum ſimus in colliſione duplicis præcepti Eccleſiaſtici (Eccleſiaſticum enim eſt præceptum communicandi, ut tali tempore affixum) præcedentia libranda eſt juxta exiſtimationem Eccleſiæ, quæ quidem ut graviſſimam ſemper habuit reverentiam Sacramento præſtandam, & cuilibet alteri præcepto Eccleſiaſtico anteponendam: Sic non licet ſine paramentis ſacris conficere Sacramentum

tum

tum Euchariſtiæ etiam ad miniſtrandum Viaticum, ſicut neque non jejunum: quia nimirum Eccleſia decentiam Sacramento Euchariſtiæ propriam ante omnem aliam legem ſervari voluit, in Miſſæ Sacrificio celebrando. In quo tamen ipſo ſi intercidat, Celebrantem in actu Sacrificii poſt Conſecrationem, antequam conſumat, impotentem fieri ad perficiendum; tunc, quia perfecta Sacrificii conſummatio de jure mere divino eſt, in tantum prævalet Eccleſiaſtico præcepto jejunii, ut, ſi non alius adſit Sacerdos; etiam a non jejuno, & qui alias celebravit, perfici debeat.

11 Jam vero ſimiliter decidendum eſt in quæſtione propoſita: cum multo magis intentio Eccleſiæ circa utilitatem Communionis facile adimpleri poſſit poſtridie, aut quantocius communicando; non item reparari irreverentia Sacramento facta a Communicante non jejuno. V. La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 111. §. 3.* Suar. *to. 3. in 3. part. diſp. 68. ſect. 5. ſub init.*

12 Nota, me dixiſſe: non licere Miſſam conficere non jejunum, ad miniſtrandum Viaticum: aliud enim eſt; licere Infirmo etiam non jejuno communicare ad Viaticum; aliud, licere Sacerdoti non jejuno celebrare, ad miniſtrandum Viaticum Infirmo: Primum eſt certe licitum; tum quia non putatur irrogari irreverentia Sacramento, ſi ab Infirmo, alias non valente, & in neceſſitate conſtituto, etiam non jejuno ſumatur Euchariſtia: tum quia iſtud, ut paſſim obveniens certa lege, & perpetuo uſu probavit Eccleſia ipſa: tum denique quia ſi divina lex (juxta multorum opinionem) poſtulat a fideli, ut in mortis articulo communicet, æquum eſt, ut fidelis ita conſtitutus juri divino potius obtemperet, Communionem præcipienti, quam Eccleſiaſtico jejunium poſtulanti. At alterum cum non dependeat ex ipſa Infirmi conſtitutione, nec etiam facile uſuvenire poſſit, idcirco nulla lege, nulloque facto, ſeu praxi conceſſum eſt, immo & certe prohibitum ut docet Benedictus XIV. de Miſſa. ſect. 2. cap. 4. §. 2.

Neque recurras ad Divinum jus; quaſi vero infirmus ſicut ex jure divino communicare debet, quantumvis non jejunus, ita exigere poſſit Viaticum a Presbytero, qui ad illud præſtandum Miſſam celebrare debeat non jejunus: quia dato, quod Viatici præceptum urgeat; at urget ſuppoſitis debitis circumſtantiis, ſcilicet quod Euchariſtia haberi poſſit, & miniſtrari juxta leges, & modum ab Eccleſia, (quæ quidem omnis Juris Divini interpres eſt fideliſſima) præſcriptum; ſecus liceret etiam, alteram Miſſam dicere ad miniſtrandum Viaticum; aut in defectu Miniſtri, liceret a Laico miniſtrari; quæ ſunt certe prohibita.

Sed quæres inſtando: Supra diximus, quod Communio Paſchalis, ab Eccleſia præcepta, Juri Divino innitatur; ergo qua parte divinum eſt hoc præceptum, poſtulat ut juri Eccleſiaſtico præferatur, adeoque liceat ipſum implere, etiam non ſervato jejunio. 13

℟. Quod, uti etiam ſupra diximus, in Paſchali præcepto Communionis id tantum eſt ex jure divino, quod per hanc Communionem Eccleſia intendat a fidelibus ſuis ſatisfieri præcepto illi, utique divino, quod ſæpius in Vita communicare de-

debeat Chriſtianus : ex quo vides quod Jus Divinum communicandi ex ſe vagum ſit, & ex ſola Eccleſiæ lege hanc temporis circumſtantiam ſortiatur. Igitur Eccleſia duo ſtatuit; unum eſt, Communicare oportere quotannis, ſeu ſemel ſaltem in anno, quia id poſtulat Jus Divinum communicandi ſæpius in Vita: alterum eſt; Communicare oportere in Paſchate ob alias rationes, quas in præſenti non vacat exquirere. Vides proinde, Communionem Paſchalem inniti juri divino, non in quantum Paſchalis eſt, ſed quatenus Annua eſt, ideſt ſaltem ſemel in anno facienda. Cum ergo ſola ſubſtantia Communionis annuæ pertineat ad jus divinum; Circumſtantia vero Paſchalis temporis ex jure ſit mere Eccleſiaſtico; & ex alia parte, plane impoſſibile, aut admodum difficile videatur, ita Jus Divinum vagum communicandi in anno contrahere & coarctare, ut ſi in Paſchate non communices, nullus alius ſuppetat ad id faciendum intra annum dies : inde eſt quod, illæſo jure divino, differre debeat communionem a Paſchate, qui ita conſtitutus eſt, ut jejunus communicare non valeat: atque id ipſum facere debeat ad jus Eccleſiæ ſervandum, quæ dilationem in ſimili caſu indiſpoſitionis præcipit. Vid. ſup. n. 7.

14 Qu. III. An, qui prævidet, fore ut non poſſit communicare in Paſchate, teneatur, hoc tempus prævenire, communicando prius?

℞. Cum diſtinctione: non tenetur prævenire in ordine ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, qua tali : tenetur autem prævenire in ordine ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, ut habet rationem communionis annuæ; ſi nondum communicaverit poſt anni initium, quin etiam ſufficit, ut talis habeat in animo communicare poſt Paſcha ante finem anni. Data diſtinctio patet ex dictis præcedenti qu. 2. & dicendis qu. 11. Platellius *par.* 5. *de Sacr. c.* 4. §. 5. *n.* 475. vult, probabilius eſſe, etiam teneri, ante Paſcha communicare, eum, qui prævideat, non poſſe communicare, niſi *diu poſt Paſcha*, etiamſi intra annum : quod tamen, an ita ſe habeat? examinabimus quæſt. 14. Qui autem ex neceſſitate facit communionem annuam extra tempus præcepti Paſchalis : non videri, per ſe loquendo, teneri illam ſumere de manu Parochi : dicemus ſect. 5. qu. 9.

Qu. IV. An, qui prævidet, ſe impediendum in ſecunda ſeptimana, teneatur, communicare in prima? 15

℞. Affirmative, quia in quacumque parte, ſeu die præſcriptarum duarum hebdomadarum ſufficienter impleri poteſt præceptum Paſchale; & præceptum ipſum obligat, ut intra illud tempus impleatur eo modo, quo fieri poterit; quemadmodum die feſtivo, qui poteſt intereſſe Sacro mane diluculo, ſi prævideat, fore ut non poſſit circa meridiem, nec alia præcedenti hora, niſi mane diluculo: tenetur mane diluculo; nam ex uno capite poteſt, & ex altero adeſt obligatio præcepti; ita Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. *ſine*; & alii communiter.

Qu. V. An, ubi adeſt privilegium, aut conſuetudo implendi præceptum Communionis Paſchalis per totam etiam Quadrageſimam, teneatur quis, prædicto tempore ſumere Euchariſtiam, ſi prævideat non poſ- 16

ſe,

ſe, illam ſumere tempore præſcripto ex jure communi?

R. Affirmant aliqui, teſte Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *de præcept. commun. reſol.* 13. §. 6. Sed Dicaſtillus apud eundem ibi putat, non eſſe certam, & claram obligationem: Maxime, ait, ſi proprie loquendo, non ſit latum præceptum communicandi intra omnes illos dies, ſed conceſſum privilegium, (ut fieri poteſt) quo quis, eo ipſo quod communicet intra Quadrageſimam, non teneatur in illis quindecim diebus communicare; aliud enim eſt, habere privilegium, ut præceptum, quod nondum incipit urgere, cenſeatur impletum pro illo tempore, in quo urget, per actum exhibitum ante illud tempus; aliud vero extendere præceptum, ut urgeat non ſolum in illo tempore, quo ante urgebat, ſed etiam in tempore antecedenti. Quando enim ſolum privilegium eſt, ut poſſit antecedenter impleri per actum exhibitum in tempore, quo nondum urget: non tenetur quis, anticipare actum, etiamſi prævideat per totum tempus, in quo urget præceptum, fore impeditum ad exhibendum talem actum. Hac ratione uſus receptus recitandi pridie ſub Veſperum Matutinum cum Laudibus diei ſequentis, non cenſetur habere vim cogendi eum, qui videt, ſe impediendum toto ſequenti die, ut legat antecedenter præfatas Horas matutinas. Hæc Dicaſtillus; Quæ etiam Dianæ videntur ſatis probabiliter dicta.

Verum ego dico: Saltem in praxi ſuadendum, ut Communio anticipetur; etenim ex una parte, hujuſmodi privilegium videtur conceſſum ita, ut tali loco ſit præceptum latum communicandi inter omnes illos dies, ab initio, puta, Quadrageſimæ uſque ad Dominicam in Albis: Quod eſt privilegium, ex eo quod faveat majori commodo multitudinis, quæ inter tot dies facilius poteſt invenire tempus, & locum confitendi, & communicandi pro Paſchate; Et ſic videtur concedere ipſemet Dicaſtillus, eſſe obligationem anticipandi intra prædictos dies extra jus commune conceſſos. Ex alia parte vero, non eſt mirum, ſi una cum privilegio magno ſubeatur aliquod onus parvum, quemadmodum eſt in acceptatione prædicti privilegii obligatio anticipandi communionem intra prædictos dies in caſu, quo non poſſit fieri intra dies Paſchales ex jure communi præfixos: Unde non eſſet, cogi ad utendum privilegio, ſed ad ſubjacendum oneri, cui videris te ſimul obligaſſe in acceptatione talis privilegii. Adde, quod nullum conſiderabile onus ipſi corpori afferat Communio unica. Ex quibus videtur, teneri anticipare Communionem, ſi in diebus a communi jure præfixis eam ſumere non poterit, qui habet privilegium anticipandi, ſive eſt in loco, ubi adeſt conſuetudo, ſeu privilegium anticipandi.

Confirmatur exemplo conſuetudinis univerſalis, quæ jam certiſſime inducit obligationem, anticipandi Communionem in Dominica Palmarum, reſpectu illorum, qui præviderent, fore ut non poſſint in reliquis diebus Paſchalibus uſque ad Dominicam in Albis communicare: ut ſtatutum eſt qu. 4. etſi præceptum Paſchale ſola conſuetudo ab Eccleſia confirmata extenderit univerſaliter ita, ut inciperet a Dominica Palmarum: Quemadmodum ſignifi-

E 2 cavi-

cavimus *num.* 5. Ergo ſicut illa conſuetudo univerſalis obligationem univerſalem inducit: Sic etiam ſimilis conſuetudo particularis obligationem particularem inducere debet in re præſenti.

Quod attinet ad exemplum de Matutino pridie recitari ſolito: id jam a nobis refutatum eſt tract. 1. l. 1. c. 1. a n. 72.

17 Qu. VI. An, qui anticipavit præceptum Communionis annuæ, quod putaverit, fore ut non poſſet communicare tempore Paſchali: teneatur, ceſſante impedimento, iterum Communicare tempore Paſchali?

℞. Affirmative, quia tempore ipſo Paſchali urget præceptum communicandi pro Paſchate; vide dicta ſect. 1. n. 3. videatur etiam Suarez *to. 3. in 3. part. diſp.* 70. *ſect.* 2. *dub.* 3. Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 78. Et hæc doctrina eſt vera, & in praxi ſequenda, etiam juxta illos Auctores, qui putant, Communione anticipata, ob prævifum impedimentum, ſatisfieri præcepto Paſchali, etiam qua tali. Vide La-Croix *lib. 6. par.* 1. *de Euchar. qu.* 117. §. 18. *n.* 631. Pelliz. *tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *qu.* 6. *n.* 81. Franc. de-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 10. Teſtatur etiam Suarez: neminem ex Doctoribus aliud docuiſſe, neque aliud eſſe in uſu Eccleſiæ.

18 Qu. VII. An, qui tempore deſignato ad præceptum implendum communionis Paſchalis, communicavit ex Viatico; impleverit ſimul per hujuſmodi Communionem præceptum Communionis Paſchalis?

℞. Iterum teneri communicare, docet Quintadvennas *to.* 1. *ſingular. tr.* 4. *ſingular.* 11. *a n.* 4. eo quod ſint duo præcepta diſtincta, licet intra idem tempus Paſchale, per accidens concurrentia. Conſentit Caval. *comment. in decr. S. R. C. tom.* 4. *c.* 2. *in decr. ult. n.* 6. Negat vero obligationem iterum communicandi Franciſcus de Lugo *de Sacram. lib.* 4. *de Euch. l.* 10. *qu.* 2. *n.* 25. *fine*. Quia tunc illa duo præcepta concurrunt in idem tempus: Et motivum Eccleſiaſticum præcepti ſolum eſt ne diutius communio differatur: Quod jam habetur per Viaticum tali tempore receptum; Quod & ipſe Quintanadvennas concedit, eſſe probabile. Non teneri, docet etiam Pelliz. *tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *n.* 87.

Nos amplectimur ſententiam hanc poſteriorem. Porro Eccleſia ſimpliciter præcipit, ut quis communicet tempore Paſchali. Atqui de eo, qui hoc eodem tempore communicat ex Viatico, verificatur etiam, quod communicet tempore Paſchali. Ergo communicans ex Viatico tempore Paſchali, ſatisfacit ſimul præcepto, communicandi tempore Paſchali.

Eſt autem animadvertendum, ſententiam hanc intelligendam eſſe pro caſu, quo Viaticum receptum fuerit de manu Parochi, aut ejus delegati, ut quidem communiter contingit. Secus vero, ſi ut accidere poteſt in caſu urgentis neceſſitatis, ab alio, quam a proprio Parocho, aut ejus delegato Viaticum receptum fuerit. Profecto, ut ſignificavimus ſect. 1. n. 3. & ex profeſſo agemus ſect. 5. in Paſchate non ſolum eſt obligatio gravis communicandi: ſed inſuper obligatio gravis communicandi de manu Parochi ſui, aut ipſius delegati. Qui ergo in Paſchate communicavit ex Viatico, ſed non de

ma-

manu Parochi ſui, vel ipſius delegati, tenetur, per ſe loquendo, iterum tempore Paſchali communicare, ſumendo de manu prædicti Parochi, aut ejuſdem delegati, ad ſatisfaciendum alteri hujuſmodi prædicto præcepto; ut rite, pleneque impleat Paſchale præceptum: quod, uti explicavimus cit. nu. 3. eſt virtualiter triplex; Et hoc eſt valde animadvertendum. Confer dicenda cit. ſect. 5. n. 111. Dixi tamen: teneri iterum communicare, *per ſe loquendo:* propter ea, quæ docebimus eadem ſect. 5. n. 113. & 114.

19. Qu. VIII. An, qui tempore Paſcali communicavit ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis, ſi eodem prædicto tempore incidat in periculum mortis, teneatur iterum communicare pro Viatico?

℟. Hoc pendet ex illa quæſtione: quantum, videlicet, diſtare debeat Communio ſumenda per modum Viatici ab alia Communione prius facta, ſive ex obligatione, ſive ex mera devotione?

Dico itaque 1. Qui ſtatim, vel paulo poſt quam communicavit, puta eadem hora, vel ſemihora incidat in articulum mortis; nec tenetur, nec poteſt iterum tunc communicare pro Viatico; Id enim nec eſt in praxi receptum, nec fieret ſine ſcandalo. Ita Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp. 16. ſect. 3. n. 16.* & Franciſcus de-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 9. qu. 4. nu. 27.* Etſi contrarium inclinet ad dicendum Quintanadvenas *to. 1. ſingular. tr. 4. de Euchar. ſingular. 9. num. 6.* ubi putat, poſſe communicari ex Viatico poſt unam horam a præcedenti Communione: *Aut forſan ſolum poſt ſpatium ſufficiens ad conſumptionem ſpecierum Sacramentalium Communionis præcedentis:* Ita ille; Qui tamen an ſit audiendus? intelligi poteſt ex modo dicendis; porro ſumpta communione, Sacramentales ſpecies corrumpuntur tempore admodum brevi, ut videbimus infra ſect. 4. quæſt. 2. n. 86.

Dico 2. Qui eodem die, quo communicavit, incidat in articulum mortis, nec tenetur, nec poteſt iterum communicare eodem die. Ita communius docent Doctores, ut videre eſt apud Franciſcum de-Lugo *l. cit. nu. 25. lib. 1. de Sacr. c. 6. qu. 12. theor. 3. n. 15:* inter quos Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp. 16. ſect. 3. n. 51.* teſtatur, ſe nullum Auctorem inveniſſe, qui oppoſitam opinionem typis mandaverit, præter Gaſparum Hurtadum, cujus meminit num. 60. Item Suarez. *tom. 3. in 3. par. diſp. 69. ſect. 3. §. Rogabis:* dicit, bis communicare eodem die, ſub prætextu communicandi per modum Viatici, non ſolum eſſe contra Doctores omnes, ſed etiam videri contra morem Eccleſiæ. Id ipſum teſtantur Auctores alii plerique. Fagundez *in 3. præc. Eccl. l. 1. c. 3. nu. 7.* aſſerit, nec reverenter, nec ſine ſcandalo ſumi poſſe Viaticum eodem die, etiam noctis tempore, ab eo, qui ſanus, & valens communicaverit ex præcepto Eccleſiæ. Zambranus *in tr. deciſ. caſuum occurr. in artic. mortis circa Sacr. cap. 3. dubit. 1.* ait: eſſe falſum omnino, quod ſuperveniente mortis articulo, poſſit bis eodem die communicari, & contra omnes, qui ſolum admittunt, poſſe plus quam ſemel Sacram ſumi Communionem, quando ſæpius eodem die licite celebretur: nimirum ab ipſo Celebrante, & in Miſſa per modum conſummationis Sacrificii, ut in Natali Domini.

ni. Cohæret Laudatus Cardinalis de-Lugo l. cit. num. 50. ubi profert in medium teſtimonia pauciſſimorum illorum Auctorum, quos allegari viderat pro oppoſita Sententia, inter quos Patrem Vaſquez: & oſtendit, eos falſo allegari: & falſum eſſe ait, quod narrat Gaſpar Hurtadus: Claudium Aquavivam Præpoſitum Generalem Soc. Jeſu eadem die, qua celebraverat, iterum communicaſſe ad Viaticum.

Nihilominus Benedictus XIV. ſententiam affirmativam judicat, eſſe practice probabilem, in ſuo opere *de Synod. Diœceſ. lib. 7. c. 11. num. 2.* ubi docet: quod ex prædictis oppoſitis ſententiis *integrum erit Parocho, eam ſententiam amplecti, quæ ſibi magis arriſerit.*

Dico 3. Qui jeri communicaverit, ſi hodie incidat in articulum mortis, non tenetur quidem, ſed tamen poteſt, etiam non jejunus, ſi aliter nequeat, (ut eſt omnium Sententia apud Franc. De-Lugo n. 21. & 30.) communicare pro Viatico.

Dico 4. Non teneri iterum in articulo mortis illum communicare, qui paucis retro diebus ante mortis periculum communicaverat. Ita communiter Auctores, quorum plurimos affert Franciſcus De-Lugo n. 23. & ſolidis argumentis hanc ſententiam firmat ibidem; Et videri etiam poteſt nu. 32. Si autem quæras: quot diebus ante mortem debeat Communio præceſſiſſe? Reſpondeo, quod Zambranus apud Franciſcum De-Lugo *n.* 24. limitat ad duos, vel tres dies, nec vult hoc ſpatium ulterius relaxari, niſi cauſa ſubſit ſpecialis, & urgens. Multi vero apud Buſembaum *lib. 6. par. 1. de Euchar. c. 2. dub. 2. art. 3. Reſp. 1. reſol. 1.*, & apud la-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 14. §. 13. num. 605.* quorum ſententiam vocat probabilem, & apud eumdem Franciſcum De Lugo l. cit. quos ſequitur *nu.* 34. limitant ad octo, vel decem dies. Sed & Eſcobar, atque Amic. apud La-Croix l. cit. nec non Paludanus apud Franc. De-Lugo l. cit. extendunt etiam ad quindecim dies. Verum Filliuccius to. 1. tr. 4. de Euchar. c. 27. nu. 48. Fagundez loc. ſupra cit. & ipſe Franciſcus De-Lugo tandem concludunt, rem hanc magis prudentis arbitrio, quam juris regulandam eſſe decretis. Prudens autem arbitrium ſumi poſſe, videtur, ex laudatorum Auctorum ſententiis ſignificatis.

Dico denique 5. Eum, qui communicavit in Paſchate, ſi multo poſtea, puta poſt menſem incidat in articulum mortis, etſi nonnulli negaverint, tamen dicendum, omnino teneri communicare, ad ſatisfaciendum præcepto Viatici; Vide Fagund. & la-Croix l. l. cit. ac Pelliz. *in man. Regul. tr. 5. c. 3. ſect. 2. n. 71.*

Qu. IX. Si quis in Paſchate moribundus negligeret Communionem, an duplex mortale committeret, unum (virtualiter triplex) contra præceptum communicandi in Paſchate: alterum contra præceptum ſumendi Viaticum in periculo mortis? 20

℞. Affirmat La-Croix *qu.* 114. §. 2. *n.* 594. ac Dicaſtil. apud ipſum, & recte, quia diverſus eſt finis utriuſque præcepti: In Paſchate enim eſt, ut cum Eccleſia univerſali celebret feſtum Paſchale, & faciat commemorationem ultimæ Cœnæ Paſſionis, ac Mortis Chriſti Domini: Qui finis etiam graviter obligat pro dicto tempore, ut docuimus ſect. 1. n. 2. Pro Viatico autem, ut ſe præparet

pro

pro tranſitu ex hac in alteram vitam. Præterea præceptum communicandi in Paſchate eſt Eccleſiaſticum in ſenſu explicato qu. 2. n. 11. Communicandi vero pro Viatico, eſt Divinum, ut ſignificavimus eadem qu. 2. n. 12. atque adeo ſunt duo præcepta formaliter diverſa.

21 Qu. X. An teneatur iterum communicare in Paſchate, qui hoſtiam revomuit?

℟. Cum ex una parte Communio, quæ facienda præcipitur in Paſchate, ſit communio fructuoſa, ſeu cum effectu gratiæ, ut docebimus ſect. 4. & ex alia parte cum Sacramentum Euchariſtiæ ſumatur per modum cibi, & non cauſet gratiam niſi per ſui ipſius ſumptionem & manducationem, ut videre eſt apud Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 63. *ſect.* 4. *poſt init.* Hinc quæſtio propoſita reſolvenda eſt per aliam, ſcilicet: Quandonam cenſeatur eſſe ſumptio, ſive manducatio? pro quo dico: Ad ſumptionem, qua poſita cauſatur gratia, non ſufficit, Euchariſtiam accipere in os, uti putarunt Becan. relatus a La Croix *lib.* 6. *par.* 1. *de Euchar. qu.* 75. §. 2. *n.* 415. & quidam alii innominatim apud Franc. De-Lugo *l.* 4. *de Euch. c.* 4. *qu.* 1. *n.* 6. Imo nec trajicere uſque ad aliquam partem faucium, quam explicat Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *par. cit. ſect.* 4. §. *Dico tertio*, & ad affirmandum inclinat in fine ſectionis illius; favetque Buſembaum *lib.* 6. *par.* 1. *tr.* 3. *de Euchar. c.* 1. *dub.* 7. *reſol.* 1. & probabile videtur Franciſco De-Lugo *l. cit. nu.* 2. id, inquam, non ſufficit. Sed neceſſarium eſt, ut aliqua pars ſpecierum phyſice tangat, & ita recipiatur in ſtomacho; tamquam inſtrumento primario nutritionis, ut facile inde revocari non poſſit; Sic Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 40. Eſcob. Compt. Gonet. Averſ. quos citat, & ſequitur La Croix loc. cit. quibus adde Bonac. *de Euch. diſp.* 4. *qu.* 4. *pu.* 2. *num.* 1. & alios apud ipſum; tum enim prius cenſetur, hoc Sacramentum habere rationem ſymbolicam cibi, & potus ſpiritualis.

His poſitis: reſpondeo ad quæſtionem præpoſitam, dicendo: quod, ſi quis revomat hoſtiam, poſtquam recepta fuerit in ſtomacho aliqua ſaltem ejus pars, non teneatur reiterare Communionem Paſchalem: Accepit enim totum effectum Sacramenti: Bonac. l. cit., *num.* 2. & Franc. De-Lugo l. cit. *n.* 3. Secus dicendum eſt, teneri reiterare. Idem eſt de Communione ex Viatico. Videtur autem, in ſtomacho jam recepta fuiſſe hoſtia, ſi illam quis revomat poſt ſpatium temporis, quo ex. gr. recitari poteſt Salutatio Angelica, præſertim ſi parum aquæ biberit, ut facilius, citiuſque deſcenderet. 22

Qu. XI. An, qui non communicavit tempore Paſchali, teneatur poſt prædictum tempus? 23

℟. Qui in Paſchate non communicavit, id undecumque provenerit, ſive ex malitia, ſive ex impotentia: Si in ordine ad Communionem annuam computetur annus a Paſchate ad Paſcha: Obligatur poſt Paſcha: Si autem computetur annus Civilis, tenetur poſt Paſcha, ſi ante Paſcha non communicaverit; Ita Cardenas *in* 1. *Chriſt tr.* 6. *diſp.* 52. *a c.* 2. Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 66. Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *l.* 7. *de* 5. *præc. Eccl. c.* 30. *qu.* 5. Suarez. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. *dub.* 2. §. *Dico ergo*. Benedi-

nedict. XIV. *to.* 1. *Notific.* 45. *n.* 13. & alii multi apud ipſos; Et hæc ſententia eſt probabilior: Sic Filliuc. *to.* 1. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 58. Immo Cardenas ſuſtinet, quod ſit moraliter certa: Idem ſentit Suarez. cit. dub. 2. ubi expoſitam ſententiam dicit, eſſe ſine dubio veram, & oppoſitam eſſe falſam. Poſitæ Doctrinæ autem ratio eruitur ex dictis ſect. 1.

24 Animadvertendum vero eſt 1. certum eſſe, teneri communicare poſt Paſcha, ſeu poſt dies ex jure communi, vel conſuetudine locali præfixos ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, eum, qui non communicavit tempore præfato, ex eo quod Confeſſarius Communionem ipſi diſtulerit in aliud tempus; Hujuſmodi, inquam, licet ante Paſcha, etiam computando annum civilem, pluries communicaſſet, tenetur nihilominus etiam poſt Paſcha, ſeu poſt dies prædictos communicare die, ſeu tempore a Confeſſario ſibi præſcripto; Ita recte monent Franciſcus De-Lugo *lib.* 1. *de Sacr. c. 6. qu. 6. theor.* 3. *n.* 18. & *lib.* 4. *de Euchar. cap.* 10. *qu.* 2. *nu.* 16. Felix Poteſtas *tom.* 1. *par.* 3. *n.* 2918. Armilla V. *Communio n.* 6. Bonac. *diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *num.* 13. & alii paſſim; & tamquam omnino veram hanc ſententiam admittit etiam Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. §. *Alii vero*; poſt medium. Profecto cum in c. *Omnis utriuſque ſexus*; dicatur Paſchalis communio differenda, ſi ita videatur proprio Sacerdoti, ſeu Confeſſario: hinc in caſu prædicto Confeſſarius per facultatem ab Eccleſia ſibi conceſſam extendit quodammodo tempus Communioni præſcriptum: ut obſervat Caval. *to.* 4. *c.* 2. *comment. in decr.* 19. *fine*; ita ut præceptum Eccleſiaſticum incipiat talem obligare, quamprimum aderit tempus a Confeſſario deſignatum. An autem hujuſmodi teneatur tunc communicare etiam de manu Parochi ſui? Examinabimus infra ſect. 5. qu. 9. interrogat. un. n. 131.

Animadvertendum 2. adhuc computando annum civilem; teneri eum iterum communicare poſt Paſcha, etiamſi ante Paſcha pluries communicaſſet, qui in Paſchate non communicavit, undecumque id provenerit, ſive ex malitia, ſive ex impotentia: teneri, inquam, iterum poſt Paſcha communicare, ubi Paſtores Eccleſiaſtici, quemadmodum ſolent, urgeant, ad communicandum poſt Paſcha, eos, qui in Paſchate non communicaverint. Franc. De-Lugo lib. 1. de Sacr. l. cit. Bonac. l. cit. aliique communiter, & fuſe probat Cardenas l. cit.

Qu. XII. Cum in nonnullis locis 25
Eccleſia permittat uſum veteris Calendarii: (Vide dicta hoc tract. 2. lib. 4. par. 1. cap. 1. art. 6. n. 59.) & ex alia parte, Calendarium vetus aliquando habeat Paſcha octo diebus ſerius, quam novum: quæres: utrum, ſi quis e loco veteris Kalendarii veniat in locum novi, inveniatque abſolutum tempus præcepti Paſchalis: Teneatur nihilominus communicare, ſi nondum communicaverit pro Paſchate?

℞. Affirmative. Ita La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 214. §. 1. & infertur ex dictis ſect. 1. per totam. Verum an, qui non communicavit in Paſchate, teneatur quam primum? Examinabimus qu. 14. recolantur etiam dicta quæſtione proxime præcedenti, & dicta ſuperius qu. 2. n. 11.

Qu. XIII. An teneatur poſt Pa- 26
ſcha

Digitized by Google

ſcha communicare, qui ante Paſcha communicavit ex Viatico, at in Paſchate non communicavit?

℞. Negative: quia ſi teneretur communicare poſt Paſcha, id utique eſſet, ad ſatisfaciendum præcepto communionis annuæ: nam, ut eſt præceptum tali tempori addictum, adimpleri non poteſt extra ipſum tempus; ut patet exemplo jejunii ex præcepto ſervandi pro tali determinata die, aut Miſſæ de præcepto auſcultandæ in die item certa. Sed Communioni Annuæ potuit ſatisfacere, & de facto ſatisfecit per illam communionem ſumptam ante Paſcha intra annum, quamvis pro Viatico. Ergo non tenetur poſt Paſcha iterum communicare: quamvis certo peccaverit ſi culpabiliter omiſit in Paſchate. Sed recole animadverſionem ſecundo loco factam qu. 11. fine.

27 Qu. XIV. An, qui diu poſt Paſcha Communionem annuam differt, peccet mortaliter?

℞. Negant Cardinalis De-Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 69. Martin. Bernal., & alii apud Dian. *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *reſol.* 10. §. 1. Item Pelliz. *in man. Regul. tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 8. refert ſententiam negativam Cardinalis De-Lugo, & non contradicit. Hi probant ex eo, quia in præſenti caſu, præter præceptum ſumendi Communionem Paſchalem de manu ſui Parochi, poſſunt adhuc diſtingui duo præcepta, ut qu. 11. diximus; quorum alterum eſt communicandi in Paſchate: quod ex hypoteſi amplius non obligat; immo non poteſt amplius ei ſatisfieri. Alterum eſt, communicandi ſemel in anno: quod obligat quidem, ad communicandum hoc anno; at non adſtringit, ad communicandum potius hoc menſe, quam alio; quapropter non manet obligatio communicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolum communicandi ante finem anni: ac proinde, ſicut obligatus ad communicandum ſingulis hebdomadis, ſatisfacit communicando intra illos ſeptem dies, quolibet die faciat; ita ſimiliter obligatus communicare ſemel in anno, quantum eſt ex vi talis præcepti, ſatisfaciet, communicando intra annum, quolibet menſe id faciat.

Affirmant vero Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. §. *Dico ergo*. Platell. *par.* 5. *de Sacr. c.* 4. §. 5. *n.* 434. Vaſquez, & Averſ. apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 20. *n.* 633., quia, dicunt, Eccleſia videtur etiam ideo ſtatuiſſe Paſcha, ne diutius differatur: & ideo etiam Superiores Eccleſiaſtici urgent, ut ſi quis in Paſchate non communicavit, ſtatim faciat quantum poteſt; & hanc ſententiam affirmativam La-Croix dicit, eſſe probabiliorem; addo & omnino ſectandam, præſertim ubi Paſtores Eccleſiæ urgeant, ad Communicandum poſt Paſcha, eos qui non communicaverunt in Paſchate: hi quidem tenentur communicare tempore, pro quo Paſtores urgent; & hoc conformiter ad doctrinam traditam in reſponſione ad qu. 11. n. 24. fine.

Qu. XV. Utrum, qui non fecit Communionem annuam, teneatur anno ſequenti quamprimum communicare? 28

℞. Videtur dicendum: quod elapſo anno non urgeat amplius præceptum Communionis annuæ, adeoque nec ſit obligatio communicandi *quamprimum* pro anno præterito: quemadmodum præcepta audiendi Miſſam in die

die feſto, jejunandi in Vigilia, recitandi horas Canonicas hodiernas, & ſimilia deſinunt obligare elapſo die, ſeu tempore cui erant affixa: nec poteſt amplius illis ſatisfieri, etiamſi hodie recitetur bis officium, audiatur Miſſa, jejunetur &c. Similiter ergo, elapſo anno, non poteſt amplius ſatisfieri præcepto illi, quod obligabat anno præterito: quia jam præteriit annus, cui erat affixum: Sed obligat novum præceptum pro anno præſenti. Nihilominus plerique docent: Præceptum Communionis annuæ, ſi non fiat in Paſchate, ſemper urgere etiam elapſo anno, donec ſatisfiat; ſemperque gravius peccari, quo magis differatur: & dicunt; præceptum Communionis annuæ, & Paſchalis comparari debere obligationi ſolvendi certam quantitatem pecuniæ ſingulis annis, tali menſe: qui enim non ſolveret hujuſmodi debitum tali menſe præfixo, teneretur menſe ſequenti; Quod ſi toto anno non ſolveret, teneretur anno ſequenti etiam a prima die: Et ita a pari, dicunt, eum, qui non communicat in Paſchate, teneri poſt Paſcha *quamprimum* infra annum; Quod ſi neque reliquo anni tempore communicet, teneri anno ſequenti *a prima etiam die anni*. Atque ita puto dicendum; ut congruum menti Eccleſiæ præcipientis Communionem annuam. Nota tamen; non eſſe idcirco obligationem, hoc anno toties communicandi, quoties Communio annua fuerit omiſſa; Sed per unam Communionem ſatisfieri pro omnibus præteritis annis, atque adeo qui tribus ex. gr. annis non communicaverit, ſatis eſſe quantocius hoc anno ſemel communicare *pro Communione annua*. Vid. Franc. De-Lugo *de Sacr. lib.* 4. *de Euchar. c.* 10. *qu.* 2. *num.* 10. *fine*.

Qu. XVI. Suppoſito ex dicendis ſect. 5. quod Communio Paſchalis ſumenda ſit de manu Parochi ſui, aut ipſius delegati: quæritur: utrum, qui non poſſit Communicare de manu prædictorum tempore præcepti Paſchalis, teneatur communicare tunc de manu alterius; vel poſſit Communionem differre, uſque dum valeat communicare de manu prædictorum? 29

℞. Et dico 1. eum, qui velit communicare prima die ex. gr. præcepti Paſchalis, ſi non poſſit tunc communicare de manu Parochi ſui, aut ipſius delegati, & probabiliter putet, quod poterit de alterutrius manu communicare alia die intra idem tempus præcepti Paſchalis: teneri, Communionem ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali differre, uſque dum poſſit de manu alterutrius communicare intra tempus præcepti Paſchalis, etiam per particularem conſuetudinem ampliatum; Et hoc certum eſt.

Dico 2. In caſu abſentiæ Parochi, & ipſius delegati a Parochia, vel Parochiani Pa arocho ſuo; Si Parochus, aut delegatus ejus non redeat ad Parochiam, vel Parochianus ad Parochum intra tempus præcepti Paſchalis, etiam per conſuetudinem particularem extenſum: tunc eſſe obligationem communicandi intra tempus Paſchale prædictum de manu alterius ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali. De hoc caſu puto loquutum Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. prope finem dubii ſecundi, ubi docet: Quod ſi contingat, aliquem non poſſe communicare de manu Parochi tempore Paſchatis,

tis, nihilominus teneatur hoc ipſo tempore communicare alibi, ſi poſſit; quia, inquit, quod Communio fiat tempore Paſchatis, eſt ſubſtantia Præcepti, & præcipue intenta, quæ non eſt omittenda, etiamſi modus ejus omnino impleri non poſſit. Rurſus *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *nu.* 8. docet: cenſeri neceſſitatem urgentem, communicandi tempore Paſchali extra Parochiam, quando perſona eſt impotens ad Communicandum in ſua Parochia, vel ad petendam facultatem a ſuo Parocho: tunc enim, ait, in ordine ad occaſionem implendi præceptum, eſt vera neceſſitas. Idem docet Diana *edit. coord. tom.* 2. *tr.* 6. *R.* 22. §. 4. & Franc. De-Lugo *de Sacram. l.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 2. *n.* 32. Atque hæc quidem videntur inconcuſſa. Adde quod circumſtantia ſumendi communionem de manu Parochi ſui, non urget ſervanda ex præcepto poſt tempus præfixum Communioni Paſchali, ut dicetur infra ſect. 5. qu 9. n. 130.

Nec obeſt, quod paſſim Auctores dicant, & nos etiam dicimus, minime ſatisfieri præcepto Paſchali, ſi communio non ſumatur de manu Parochi; Senſus enim eſt: minime impleri integre.

30 Inter hic 1. Utrum aſſertio prædicta procedat etiam in caſu, quo non adſit niſi Sacerdos, carens juriſdictione, (licet hæc quidem communiter præſumatur extra obligationem præcepti Paſchalis, & Viatici: uti notabimus ſect. 7. n. 146.) miniſtrandi communionem?

℞. Puto, quod ſic: quia præſumi poſſet, eo ipſo accedere facultatem Parochi; aut certe Eccleſiam conferre juriſdictionem. Favet Tambur. Meth. commun. c. 4. §. 4. num. 46. ubi cenſet: facultatem ad communicandum extra Parochiam, præſumi poſſe, a Summo Pontifice eſſe conceſſam in caſu, quo Parochus vel exequi per negligentiam ſuum recuſet munus, vel licentiam alibi communicandi; per malitiam deneget: Idem cum Leandro docet Diana *edit. coord. to.* 2. *tr.* 2. *R.* 22. §. 4. & 5. uti dicemus ſect. 5. qu. 4. n. 123.

Inter 2. Quid? ſi non adſit niſi ſolus Diaconus? 31

℞. Caval. comment in decr. S.C. R. tom. 4. c. 4. in d. 13. poſtquam n. 5. ſtatuiſſet, Diaconum in defectu Sacerdotis, & ex commiſſione (puta Parochi, vel alterius Sacerdotis attamen Regularis, ita idem n. 7.) poſſe in neceſſitate adminiſtrare Euchariſtiam: Deinde nu. 6. inquirit: quænam cauſa, aut neceſſitas requiratur, ut Diacono fiat ejuſmodi commiſſio? Et reſpondet: quod frequenter Doctores neque extremam expoſcant, nec admodum gravem; edoceantque ſufficere communem prudenti judicio taxandam, puta, inquit, ſi Sacerdos occupatus ſit in audiendis Confeſſionibus, aut ſit nimis debilis, vel infirmus, ſeu *ſi inſtet annui præcepti adimpletio*, ſive conſecutio Jubilæi, aut adſit multitudo magna communicantium, etiam ex ſola devotione: dummodo præſto non ſit Sacerdotum copia, qui id officii commode valeant præſtare; ita ille. Verum quoad præſentem attinet quæſtionem, non videtur, præceptum Paſchale, ut tale, inducere hanc neceſſitatem; eo quod non ſit fere in uſu Eccleſiæ, ut Euchariſtia per Diaconum adminiſtretur, uti cum Suarez obſervat Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 1. *de interd. pu.* 3. §. 2. *num.* 10. *fine*. Ad interrogationem

 ita-

Digitized by Google

itaque factam reſpondendum eſt; negative.

32 Qu. XVII. An tempore Interdicti localis generalis liceat adminiſtrare Euchariſtiam pro præcepto Paſchali: atque adeo fideles, exiſtentes in loco generaliter interdicto, teneantur communicare pro Paſchate?

Dubium oritur ex eo, quia etſi tempore Interdicti localis Generalis non liceat adminiſtrare Euchariſtiam niſi pro Viatico: nihilominus in feſto Paſchatis, ſive illud accipiatur pro ſola Dominica Reſurrectionis, ſive etiam extendatur ad ſequentes duos dies feſtivos; de qua re diſputabimus in Dom. Reſur. art. 7. qu. 1. in feſto, inquam, Paſchatis ſuſpenditur Interdictum, ut cit. art. notabimus, & celebrantur publice divina officia, puta Sacrificium Miſſæ, Horæ Canonicæ &c.

℞. & dico 1. quod, ſi ſermo ſit de iis, qui habent expreſſum privilegium communicandi tempore Interdicti localis generalis, puta ex conceſſione Bullæ Cruciatæ, de quo privil. egimus nos ubi de Bull. Cruc. hoc tr. 2. l. 4. par. 1. c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 8. hujuſmodi tenentur communicare tempore Paſchali, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, adeoque poteſt, ac debet illis miniſtrari Sacramentum Euchariſtiæ. Prædicti autem tenentur communicare in Parochia; quod ſi non poſſint in Parochia, tenentur in alia Eccleſia; Quod ſi nec valeant in aliqua Eccleſia, tenentur in Oratorio privato, ubi dicatur Miſſa. Probatur: ſi non eſſent obligati, ideo foret, quia eſt interdictum prædicto tempore ſumere Euchariſtiam, niſi pro Viatico; Sed hoc interdictum non afficit illos privilegiatos ad communicandum abſolute. Ergo manent obligati.

Confirmatur paritate præcepti audiendi Miſſam. Tempore enim Interdicti localis generalis tenentur ex veriori Doctorum ſententia audire Miſſam diebus feſtis ii, qui habent privilegium Bullæ Cruciatæ audiendi Miſſam prædicto tempore, in aliqua Eccleſia, vel Oratorio non privato, aut etiam in Oratorio privato, ſi ibi dicatur Miſſa: ſecundum ea, quæ docuimus ubi de Bull. Cruc. cit. ſect. 1. ſubſ. 6. qu. 12. quia illud præceptum obligat omnes non impeditos. Ergo a pari, qui tempore Interdicti localis generalis habent privilegium communicandi, tenentur communicare pro Paſchate, quia hoc præceptum obligat omnes non impeditos.

Nec obſtat, quod ſic teneantur uti privilegio; hoc enim cum ſit privilegium habilitativum, ideſt auferens impedimentum, non implicat, eſſe obligationem utendi eo. Vide La-Croix *lib. 1. de Legib. qu. 139. §. 6. n.* 847.

Dico 2. Tempore Interdicti localis Generalis, in feſto Paſchatis obligari, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali omnes fideles interdictos generaliter, præciſo etiam ſpeciali privilegio, affirmant alii, alii negant, & ne quidem licere contendunt; adeoque nec miniſtrare. Hi, qui pro parte ſtant negativa, probant ex eo, quia, etſi in feſto Paſchæ ſuſpendatur interdictum, non tamen ſuſpenditur quo ad omnia, quæ prius erant Interdicta: Sed quo ad aliqua, nimirum quoad ſola Divina officia celebranda, & publice celebranda. Atqui receptio, & adminiſtratio Euchariſtiæ non eſt ſimpliciter Divinum Offi- 33

Officium, ſed proprie Sacramentum, quod in Interdicto locali generali interdictum eſt recipere, & adminiſtrare, præter quam pro Viatico. Ergo &c. Hæc negativa ſententia eſt quidem communior inter Doctores. Vide Avil. *de cenſur. par.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *dubit.* 5. *& ſect.* 2. *dub.* 12. *concl.* 1. Bonac. *to.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. pu.* 3. §. 2. *nu.* 8. *& n.* 11. *& pu.* 4. *nu.* 16. *&* 17. Lezan. V. *Interd. n.* 16. *& n.* 27.

Qui autem affirmativam ſententiam tuentur, illam nonnulli probant ex eo, quia in feſto Paſchæ ſuſpenditur Interdictum. Ergo licet ſuſcipere Sacramentum Euchariſtiæ, quod erat interdictum ante ſuſpenſionem Interdicti.

Sed falluntur: quia verum eſt, quod ſupra audivimus ab Auctoribus ſententiæ negativæ, nimirum Interdictum ſuſpendi tantummodo quoad Divina Officia, non item quoad Sacramenta interdicta ſuſcipere, & miniſtrare, inter quæ eſt Sacramentum Euchariſtiæ, excepta ratione Viatici.

Itaque alii eamdem affirmativam ſententiam probant ex eo, quia poſito, quod conceditur aſſiſtere Sacrificio, videtur conceſſum etiam, poſſe de eodem participare: quod ipſum exprimi dicunt ipſo Cap. *Alma Mater;* per illa verba quæ in eo habentur: *participationem permittimus Divinorum*.

Admiſſo autem, quod liceat communicare in feſto Paſchatis, & miniſtrare communionem fidelibus etiam Interdictis generaliter, ſequitur etiam obligare præceptum Communionis Paſchalis. Probatur, quia ſi non obligaret, eſſet propter Interdictum. Sed hoc ſuſpenditur in Paſchate etiam quoad receptionem, & adminiſtrationem Euchariſtiæ, ut probatum eſt. Ergo &c. Confirmatur paritate præcepti audiendi Miſſam, ut ſupra. In feſto enim Paſchæ ſuſpenditur Interdictum quoad celebrationem publicam, & ſolemnem, & quoad auditionem Miſſæ; ita ut liceat quibuſcumque Interdictis fidelibus aſſiſtere Miſſæ: Unde omnes etiam Interdicti obligantur Miſſam audire in feſtivitate Paſchali. Ergo a pari: tenentur generaliter Interdicti Communicare, poſito, quod ſuſpendatur Interdictum etiam quoad ad receptionem, & adminiſtrationem Euchariſtiæ. Vide Chiavet. *Conſult.* 143. *n.* 8. *&* 9. Qui tamen, ait, aliquibus videri, quod ſtando verbis illius textus: *Participationem permittimus Divinorum:* Ex particulis conſecratis in Miſſa, quam Laici audiunt, participare, ideſt ſumere poſſe; non item ſuſcipere Euchariſtiam, quæ pro infirmis aſſervatur in alia Miſſa Conſecratam. Iſtud tamen rejice ex diſputatis in noſtro Diar. tr. 1. Menſe Novembr. n. 72. in reſponſ. ad 2. partem quæſiti. Hanc ſententiam affirmativam probabilem eſſe, dicunt Filliuc. *to.* 1. *tr.* 18. *&* 8. *de cenſur. c.* 2. *qu.* 5. *n.* 42. *&* Tambur. *de cenſur. tract.* 3. *de Interd. cap.* 1. §. 3. *nu.* 10. *& Meth. comm. cap.* 6. §. 7. *n.* 36. *&* 37. Item ut refert ex Turriano Diana *to.* 5. *edit. coord. tr.* 4. *R.* 10. §. 2. Illam judicarunt probabilem multi doctiſſimi viri in Hyſpania, præſertim in Academiis Complutenſi, & Salmanticenſi de hac re interrogati: quorum reſponſa ipſe Turrianus teſtatur ſe vidiſſe, & legiſſe: Erant autem plus quam quadraginta viri primarii, ſæculares, & Religioſi ex omnibus Religionibus, qui

qui ſenſui Patris Suarez hujuſmodi ſententiam putantis probabilem ſubſcripſerant. Eamdem probabiliorem eſſe, dicit Leander apud Chiavet. *Conſult.* 143. *nu.* 4. qui etiam Conſult. 151. num. 6. illam, dicit, eſſe probabiliſſimam, & ſuo judicio veram. Faber item apud Dian. R. 9. negativam ſententiam, dicit eſſe falſam, adeoque affirmativam, contendit, eſſe veram. Filliucius autem l. cit. concludit, in praxi ſervandam eſſe loci conſuetudinem; ſimiliter ipſe Suarez apud Dian. l. cit. Quod ſi nulla appareat introducta, Tambur. Meth. comm. cit. n. 36. docet alterutram ex dictis opinionibus ſectari poſſe.

34 Nota hic 1. appoſite ſupra ſæpius dictum fuiſſe: In diebus, quibus ſuſpenditur Interdictum, Auctores pleroſque docere, Communicare licere iis, qui ſunt *generaliter* Interdicti. Enimvero omnes docent: iis, qui ſunt *perſonaliter* Interdicti, ſeu propter quorum exceſſum Interdictum prolatum fuit, non licere extra mortis articulum communicare; adeoque nec poſſe iiſdem miniſtrari Sacramentum Euchariſtiæ, eo quod iis ſpecialiter interdictum ſit in ipſo Cap. *Alma Mater;* per illa verba: .... *præfatis diebus participationem, permittimus divinorum: Sic tamen quod illi, propter quorum exceſſum Interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent*. Quæ verba ſignificant tunc etiam localiter arcendos eſſe ab altari eos, qui in culpa ſunt, ut non tollatur Interdictum propter exceſſum eorum prolatum, & quod non poſſint ſuſcipere Euchariſtiam, nec offerre aliquid in Miſſa. Vide Chiav. conſult. 151. n. 8. & dicenda in Dom. Reſur. art. 7. n. 32. §. *Nota* 3. Excommunicatos autem, & perſonaliter interdictos teneri procurare abſolutionem a Cenſura tempore præcepti Paſchalis, ut poſſint communicare: docebimus ſect. ſequenti qu. 15. Reſp. 1.

Nota 2. Communionem Laicam, quæ conceditur Laicis, & Clericis non Sacerdotibus in prædicto caſu ſuſpenſionis Interdicti, a fortiori concedi Sacerdotibus; unde nonnulli ex iis, qui negant, communionem Laicis, & Clericis non Sacerdotibus in prædicto caſu ſuſpenſionis Interdicti, illam tamen concedunt Sacerdotibus, ſi nolint celebrare. Quod ſi dicatur: ne quidem Sacerdotibus licere communicare more Laico tempore Interdicti Localis generalis, cum tamen liceat ipſis celebrare; In hac ſententia: an teneantur celebrare ſaltem ſemel tempore Paſchali, ut ſic in Miſſa communicent, & communicando ſatisfaciant præcepto Paſchali? Examinabimus ſect. 5. qu. 3. n. 108.

Nota 3. Licet, ſecundum dicenda ſect. 5. Præcepti Paſchalis Communio ſumenda ſit in propria Parochia: ſi tamen hæc fuerit ſpecialiter interdicta, non poterit in ea adminiſtrari, adeoque nec ſumi Sacramentum Euchar. ne quidem pro Paſchate. Vide dicenda in Dom. Reſurrect. art. 7. num. 32. §. *Nota* 2. Unde in ſententia obligante generaliter interdictos ad Communicandum tempore Paſchali, neceſſe eſt, ut in alia Eccleſia non interdicta communicent Parochiani illius Eccleſiæ ſpecialiter interdictæ cum licentia Parochi ejuſdem Eccleſiæ; Quæ licentia in tali caſu non eſt deneganda, imo tacite conceſſa cenſetur, ut recte docet Chiavetta Conſult. 155. nu. 6. fine. Idem dic, ſi Pa-

Parochus fuerit perſonaliter Interdictus, cum non ſit de ipſius manu ſumenda communio Paſchalis; recole ſupra modo dicta §. *Nota hic* 1., & vide dicenda ſect. 5. qu. 4. n. 123. §. *cum in Eccleſia ſpecialiter interdicta*.

Nota denique 4.: Quod diximus de feſto Paſchæ, idem dicendum eſſe de aliis feſtivitatibus, in quibus ſuſpendatur Interdictum generale locale, puta in feſto Pentecoſtes, Nativitatis Domini, Aſſumptionis B. V. &c. Quod ſi in aliqua feſtivitate ſuſpendatur Interdictum per totam ejus Octavam, ut eſt in feſtivitate SS. Corporis Chriſti: tunc etiam hactenus dicta applicanda ſunt toti, & integræ Octavæ: ſicuti in feſtivitatibus Paſchæ & Pentecoſtes, & Nativitatis, in ſententia explicanda in Dom. Reſur. art. 7. qu. 1.

SECTIO III.

Quis teneatur Præcepto Communionis Annuæ, & Paſchalis?

35 OMNES baptizati tum mares, tum fœminæ cujuſcumque ſtatus exiſtant, poſtquam ad annos pervenerint diſcretionis, tenentur Euchariſtiam ſumere ſaltem ſemel ſingulis annis tempore Paſchali. Patet ex juribus ſuperius allegatis ſect. 1. nu. 2., & conveniunt Doctores omnes.

36 Qu. 1. An teneatur & Pontifex?

℞. Cum præceptum Communicandi ſaltem ſemel ſingulis annis ſit Eccleſiaſticum: licet ſit quoque divinum, quatenus reſpicit Communionis frequentiam a Chriſto præceptam: ſecundum dicta ſect. 1. n. 2. & præceptum ſumendi Communionem annuam in Paſchate ſit ſimpliciter Eccleſiaſticum; inde ſequitur, quæſtionem hanc; Utrum videlicet etiam Pontifex Summus teneatur communicare ſingulis annis in Paſchate? ſolvendam eſſe ex illa alia difficillima, & implicata quæſtione: An ſcilicet, & quomodo Princeps Supremus, & Legiſlator teneatur ſervare legem ad totum populum latam a ſe ipſo, vel ab æquali? In qua autem quæſtione non conveniunt Doctores, & nimium inter ſe diſcrepant.

Cæterum, quod attinet ad Papam, & præſentem materiam, La-Croix *lib. 6. par. 1. de Euch. qu.* 117. §. 1. teſtatur, Auctores communiter docere: Præcepto Communionis Paſchalis obligari etiam Papam; Et quidem volunt aliqui, ad id teneri ex quadam congruitate: etenim *Juſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis:* ut dicitur Cap. *Juſtum* 2. diſt. 9. Sed Franc. De-Lugo *lib.* 2. *de Euch. c.* 10. *qu.* 1. *n.* 4. docet: Papam obligari ſub mortali tam ad Communionem, quam ad Confeſſionem annuam, etiam quoad temporis determinationem, quamvis non quoad vim coactivam præcepti, ſed ſolum quoad directivam. Quare, licet peccet Pontifex, pœnas tamen juris non incurret. Probat ex eo, quia communis, inquit, ſententia, docet cum S. Thoma, obligari Principes ſuis legibus quoad directionem. Quia ratio recta poſtulat, ut caput toti corpori conformetur. Jura autem, quæ velle videntur contrarium, intelligenda eſſe, ait, de vi coactiva; Quod videlicet non debeant ſubire pœnas tranſgreſſionis legum ſuarum. Ex ſimili ratione idem docet Covarruvias apud Salas qu. 96. tr. 4. diſp. 14. ſect. 2. n. 20. ubi poſt relatam opinio-

Digitized by Google

nionem illorum, qui dixerunt: Pontificem non teneri Confiteri præciſe ſemel in anno, ut præcipit Canon *Omnis utriuſque ſexus:* illam opinionem, ait, in hoc ſenſu ſibi placere, ut ratione præcepti humani, ex ejus vi cogente non teneatur Pontifex ſemel in anno præciſe. Opinari ſe tamen, eum omnino teneri ad hanc confeſſionem ſemel in anno ex vi illius Canonis directiva, ratione, ſane, naturali, quæ docet: Principem etiam legibus humanis ſubditum eſſe; Et vult quidem teneri ſub peccato gravi, & mortali; Et ſtatim rem declarans, ait: Pontificem, ſi non ſumat Euchariſtiam in Paſchate, aut non confiteatur ſemel in anno, graviſſime peccare. Primo, quia licet Summus Princeps non ſubjiciatur legibus humanis, quoad earum vim præciſe cogentem, ſeu coactivam: tamen non eximitur a legibus humanis quoad vim directivam, quæ procedit a lege naturali, & ejus ratione, & ſimul a lege humana: Ratio enim naturalis dicit: Principem teneri ad ſervandam legem, quam ſubditis indixerit. Secundo, quia, licet præceptum Confeſſionis annuæ (idem eſt de Communione annua) aliqua ex parte humani juris ſit, non omnino divini, tamen vere eſt juris divini limitati per humanum: nam utriuſque juris violatio unum peccatum eſt, quoniam ambo illa præcepta unicum actum injungunt: Et alterum eſt alterius determinatio; Semel autem conſtituta lege a Pontifice, ut confeſſio fiat ſemel in anno, (idem eſt de Communione annua:) non poteſt ſine juſta cauſa, & graviſſima Summus Pontifex ſeipſum, vel alium liberare ab obligatione confitendi ſemel in anno; ita Covarruvias. Docet itaque etiam Covarruvias: Pontificem peccare mortaliter, ſi nolit præceptum ſervare Communionis annuæ, & Paſchalis, ad quam tenetur ex vi directiva, licet non ex vi coactiva. Ex eadem ratione eamdem ſententiam tuetur Diana tom. 3. edit. coord. n. 1. R. 51. §. 1.

Contrarium tamen ſentit ipſe Salas l. cit. Enimvero concedit, teneri quidem Principes ſuis legibus jure naturali, ſed hanc obligationem, negat, eſſe per ſe gravem, & ſub mortali. Quod idem negat Azorius: etenim *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 5. cap. 11. qu. 1. §. Hujus igitur:* poſt medium, concedit quidem, debere Principem ex quadam naturali æquitate, & honeſtate ſuas leges ſervare; negat tamen, iis ita teneri, ut ſi non ſervet, grave peccatum ſemper incurrat, quale nimirum privati contrahunt; nec enim, ait, qui contra naturalem honeſtatem rationis agit, eo ipſo propterea ſeſe gravi gravi peccato obſtringit. Hoc ipſum docent plerique alii, quorum ſententiæ tamquam probabiliori adhæret La-Croix *lib. 1. qu.* 104. ſubdit vero Salas nu. 20. *Unde non mihi placet, quod aliqui dicunt, peccare mortaliter etiam ſemoto ſcandalo, & aliis circumſtantiis, Pontificem, qui leges ſuas mere poſitivas non ſervet, ut ſi non confiteatur ſingulis annis, ſi non communicet in Paſchate &c.* Et inferius contra Covarruviam aſſerentem, ut vidimus, Pontificem peccare graviter, ſi non confiteatur ſingulis annis, & non communicet in Paſchate: id inferentem ex eo, quia ad id tenetur ex vi directiva, & ratione naturali; ait Salas: eum craſſo modo philoſophari. Nam, ex eo

quod

quod Princeps teneatur ſuis legibus quoad vim directivam ratione admixtæ rationis naturalis, non ſequitur, inquit, obligationem eſſe gravem, & ſub mortali; quoniam ratio ad multa leviter, & ſub veniali tantum obligat: ſimiliter, ex eo quod præceptum de confitendo ſemel in anno, vel communicando in Paſchate, ſit determinatio juris Divini, male colligitur violatio ejus eſſe peccatum mortale, quando non violatur, qua parte divinum eſt, ſed qua parte eſt humanum, nempe quoad determinationem temporis. Sic ſi Papa numquam confiteretur, & numquam communicaret, duo peccata committeret, alterum mortale contra præceptum Divinum, quo tenetur aliquando confiteri, & communicare; alterum vero contra præceptum naturale, quo tenetur propriam legem ſervare de confitendo, & communicando priuſquam obligetur præcepto Divino: & hoc peccatum eſſet veniale: quia natura ſolum ſub veniali obligat, ut Princeps propriam legem obſervet, ne in ſuo opere a ſuis præceptis, & monitis ſine cauſa diſcrepet; & ut corpori, cujus caput eſt, ſe conformet in oneribus, qui illi prælatus eſt in honoribus. Hæc Salas. Quæ cum præcedentibus ſufficiant pro quæſtionis ſolutione propoſitæ ad majorem potius eruditionem.

37 Qu. II. An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare aliquem a præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis, abſque gravi, & urgenti cauſa?

℞. Negat Covarruvias de Confeſſione annua; ex illius quidem ſententia hæc verba ſcripſimus in Reſp. ad qu. præc. *Semel autem conſtituta lege a Pontifice, ut confeſſio fiat ſemel in anno, non poteſt ſine juſta cauſa, & graviſſima Summus Pontifex ſeipſum*, vel alium *liberare ab obligatione confitendi ſemel in anno*. Ita ille; idem autem valet pro communione annua.

Sed dico 1. Pontificem non poſſe diſpenſare abſolute aliquem a communicando: ut ſcilicet numquam communicet; ſuppoſito quod præceptum Communicandi aliquoties in vita, ſit divinum: nam inferior non poteſt diſpenſare integre in lege Superioris. Videatur Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 51. §. 1.

Dico 2. Poſſe Pontificem diſpenſare etiam licite cum cauſa juſta, ut communio non fiat ſingulis annis; ſed determinare aliam frequentiam Communionis in vita ex. gr. pro tribus quibuſque annis. Probatur ex eo, quia licet ſit præceptum Divinum communicandi aliquoties in vita; determinatio autem pro ſingulis annis eſt ex præcepto Eccleſiaſtico; & licet hujuſmodi determinatione conſtituta, ipſa ſit ſimul ex præcepto Divino, nihilominus eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſeu Pontificis, illam variare, & aliam ampliorem, vel ſtrictiorem conſtituere. Ergo quoad hanc partem poteſt Pontifex diſpenſare. Confirmatur ex eo, quia olim determinatio erat pro pluribus vicibus, ſingulis annis, ut conſtat ex dictis ſect. 1. n. 1. & deinde reſtricta fuit ad unicam vicem ſingulis annis. Quod potuit præſtare Pontifex, quia, ut dictum eſt, in manu ejus poſita eſt determinatio præcepti Divini communicandi aliquoties in vita; & ſic poſſet Pontifex adhuc reſtringere determinationem hujuſmodi, ut communio a fidelibus fieret exempl. grat. alternis annis. Conſentit Diana

na *tom.* 3. *edit. coord. tract.* 1. *R.* 53. §. 1.

Quænam vero frequentia ſufficeret ad præceptum Divinum Communionis implendum? non conveniunt Auctores in ea ſtatuenda; Videri poteſt Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 69. *ſect.* 3. §. *Dico ergo tertio*. La-Croix *lib.* 6. *p.* 1. *de Euchar. qu.* 113. §. 9. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 4. *de Euch. cap.* 2. *num.* 50.

Dico 3. A fortiori poſſe etiam licite Pontificem diſpenſare cum juſta cauſa, ut non fiat communio determinate in Paſchate; ſed intra annum, quo die, ſeu tempore, cuique libuerit: quia præceptum ſumendi Communionem annuam in Paſchate, eſt mere Eccleſiaſticum: cum ad determinationem præcepti Divini, communicandi aliquoties in vita, pertineat, & ſufficiat ſolum præceptum communicandi ſaltem ſemel in anno; & communicando extra Paſcha, ſatisfieret præcepto communicandi aliquoties in vita: dummodo fieret ſingulis annis. Præceptum itaque ſumendi Communionem annuam in Paſchate eſt mere Eccleſiaſticum. Ergo ſi Pontifex poteſt diſpenſare, ut modo docuimus, ne quis communicet ſingulis annis; licet Præceptum Communicandi ſingulis annis, non ſit mere Eccleſiaſticum, ſed ſit determinatio præcepti divini communicandi aliquoties in vita; a fortiori poteſt diſpenſare, ne quis communicet in Paſchate: cum præceptum ſumendi Communionem annuam in Paſchate, ſit mere Eccleſiaſticum, & Pontificium reſpectu ſolius temporis Paſchalis.

Dixi: poſſe Pontificem diſpenſare etiam licite cum *cauſa juſta*: quia ſi Summus Pontifex ſine juſta cauſa diſpenſet, valebit quidem diſpenſatio, & non peccabunt, ſaltem mortaliter, ipſi diſpenſati, illa utentes; Vide dicta hoc tr. 2. l. 4. p. 1. c. 1. artic. 2. qu. 13. n. 25. Attamen abutens poteſtate ſibi a Deo data in ædificationem, non in deſtructionem, peccabit, ſive venialiter, ſive etiam mortaliter pro varietate opinionum. Vide Dianam *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 8. & duab. ſequ. Ratio autem, cur valide diſpenſet etiam in dicto caſu, eſt, quia præceptum Communionis, reſpectu determinationis factæ ad ſingulos annos, & ad tempus Paſchale, eſt de jure humano Eccleſiaſtico, ab ipſo ſcilicet Summo Pontifice latum, ut conſtat ex ſect. 1. num. 2. unuſquiſque autem poteſt leges a ſe latas, & a ſe pro ſua Diœceſi approbatas, valide etiam abrogare pro mera ſua voluntate, & abſque cauſa, quamvis cum peccato; non enim in hoc excedit ſuam poteſtatem; nam, ut ex Suarez, & Azorio notat Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. l.* 2. *c.* 1. *nu.* 12. & Diana *to.* 3. *edit. coord. tract.* 1. *R.* 52. §. 2. hæc eſt diſtinctio, quæ communiter invenitur apud Doctores, in diſpenſationibus: quod, nimirum, quando Prælatus, vel Princeps diſpenſat in lege Superioris abſque ulla legitima cauſa, diſpenſatio ſit injuſta, & invalida; quando vero diſpenſat in lege propria ſine eadem juſta cauſa, diſpenſatio ſit quidem injuſta, & diſpenſans peccet, ſed nihilominus ſit valida. Vide rurſus dicta cit. qu. 13. n. 25. & 26.

Dico 4. Pontificem non poſſe abſque gravi culpa abrogare in totum, & in ſolidum præceptum determinans certam frequentiam Communionis in decurſu vitæ; quia etſi valeret talis abro-

abrogatio, cum Summus Pontifex ſit ſupra omne jus Eccleſiaſticum: tamen numquam id poterit licite efficere; quia numquam poteſt dari juſta, & rationabilis cauſa auferendi abſolute, & univerſaliter tam utile, ac neceſſarium præceptum, quantumvis ſit juris Eccleſiaſtici, & humani; ita Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 52. §. 1. & 2.

38 Ex allegatis autem hactenus doctrinis ſolvi etiam poteſt quæſtio non inutilis: an ſcilicet, Summus Pontifex poſſet facultatem dare alicui, ut in eremum ſolus ſecedat in morem antiquorum Anachoritarum, toto reliquo vitæ ſuæ tempore: atque adeo diſpenſare, ut numquam communicet, nec Miſſam audiat, nec annue confiteatur?

℟. Pontificem Summum diſpenſare quidem poſſe in hujuſmodi præceptis, ex quo ſunt de jure Eccleſiaſtico, non tamen poſſe diſpenſare in iiſdem, ex quo eadem reputantur eſſe de jure Divino. Quapropter etſi aliquis eſſet ex Pontificia diſpenſatione ſolutus hujuſmodi præceptis reſpectu juris humani, attamen maneret adhuc iiſdem, reſpectu juris Divini, ligatus; & ſic diſpenſatus ex. gr. ut nec ſemel communicet ſingulis annis, maneret tamen adhuc obligatus ad communicandum ſaltem aliquoties in decurſu vitæ, ex jure Divino, juxta doctrinam traditam ſect. 1. n. 1. initio, puta tertio quoque anno. Item ſolutus obligatione audiendi Miſſam in diebus feſtis; attamen maneret adhuc ligatus obligatione colendi Deum per Sacrificium aliquoties; ſeu deberet aſſiſtere aliquoties illi ſaltem parti Miſſæ, in qua conſiſtit eſſentia Sacrificii novæ legis, puta conſecrationi Hoſtiæ, & Calicis: ex ſententia illorum, qui probabiliter dicunt: Præceptum aſſiſtendi Sacrificio Miſſæ, in communi ſumptum, eſſe de jure Divino. Vid. Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 88. *ſect.* 1. *ante medium*. Fagundez. *in* 1. *præc. Eccl. l.* 2. *c.* 1. *n.* 6. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 159. §. 16. *n.* 691.

Ab his itaque ſimilibuſque præceptis Divinis ut quis ſe eximat antiquorum etiam Anachoritarum morem imitandi cauſa, indiget ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti: quem habuiſſe, nullo prorſus dubio, creduntur, veteres illi Anachoritæ, qui quidem ideo a Theologis excuſantur in eo, quod annis pluribus Sacrificio Miſſæ non interfuerint, neque communicaverint; ut conſtat de Sancta Theoctiſte Virgine ſolitaria in Inſula Paro, quæ triginta ſex annorum ſpatio, quibus degit in Eremo, non communicavit: ut ipſamet, narravit cuidam venatori, & refertur in ejus vita apud Lippomanum 10. Novembr., & apud Croiſet. *in Vit. Sanctor.* eodem die, & menſe. Idem conſtat de S. Maria Egyptiaca, quæ per annos quadraginta ſeptem non communicavit in deſerto; quod ipſa teſtata eſt Zoſimæ viſitanti illam: ut narratur in vita ejus ex S. Sophronio Epiſ. Jeroſol. interpr. Paulo Diac. Eccl. Neapolit. cap. 20. apud Roſweyd. *in Vit. Patr. lib.* 1. his uſa verbis: ***Divini Corporis, & vivifici Sanguinis portionem in vaſe ſacro, dignoque tanti Myſterii affer . . . Ex quo enim in Eccleſia Beatiſſimi Præcurſoris, priuſquam tranſirem Jordanem, communicavi, deinceps uſque nunc numquam Communicavi, numquam uſque nunc Sanctificationis hujus uſa ſum portione.*** A die autem illa, qua tranſierat Jordanem, uſque ad illam

G 2 diem,

diem, qua laudata ſolitaria prædictum Abbatem alloquebatur, præterierant quadraginta ſex anni, anno autem ſequenti ad illam rediens Sanctus vir, communicavit eam, ut ipſa rogaverat. Idem prudenti judicio de aliis ſimilibus Anachoritis poterit judicari. Etſi probabile etiam ſit, eorum aliquibus ſpeciali Dei munere, aliquoties fuiſſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Angelorum opera, miniſtratum. Ita Onuphrio Anachoritæ per annos ſexaginta, vel ſeptuaginta in vaſta Eremo diverſanti Euchariſtiam ſingulis diebus Dominicis, vel Sabbatis, Angelus miniſtrabat: cap. 11. Vitæ ejus apud Roſweyd. *de Vit. Patr. l.* 1. Non de omnibus tamen hoc conſtat, imo conſtat oppoſitum, ut jam vidimus. Et licet in eadem vita S. Onuphrii l. cit. ſignificetur, omnes etiam alios Anachoritas Sacram Communionem, Angelorum miniſterio, ſuſcepiſſe: verbis illis: *Verum etiam omnes, qui vitam ſpiritalem ducunt in Eremo Monachi, tali participantur gaudio:* id intelligi poteſt, ac debet non omnino generaliter, & pro omni tempore, ac loco: ſed ſolum de iis Anachoritis, qui in ſolitudinibus illis tunc temporis verſabantur. Ita omnino id intelligere cogunt exempla præfata in contrarium allegata. Cum autem de tranſgreſſione ulla præcepti alicujus certiſſime arguendi non ſint; dicendum eſt: eos ab hujuſmodi præceptorum obſervatione exemptos, ſe reputaſſe, ex tacita ſaltem Eccleſiæ diſpenſatione, quæ tunc temporis reputabatur adeſſe, & revera creditur adfuiſſe, ſcientibus, & tacentibus Eccleſiæ Paſtoribus, ipſiſque Summis Pontificibus, qui ideo tacite diſpenſabant quoad illam partem, ex qua hujuſmodi præcepta ſunt de jure Eccleſiaſtico. Præterea quæ Spiritu Dei aguntur, humanis legibus non ſubſunt. Ex qua autem parte præcepta eadem ſunt de jure Divino, ſe reputabant exemptos ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti, qui ad illud Sanctiſſimum, ac ſingulare, & plane arduum genus vitæ capeſſendum eos impellebat: ut ſignificat Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 1. *qu.* 1. *fine*; ubi ſermonem habens de obligatione audiendi Miſſam in diebus feſtis, ait: *Veteres autem illi Monachi, cum Divini obſequii cauſa in ſolitudinem ſeſe conferebant, putabant ſe hujuſmodi more, & conſuetudine minime teneri, cum procul ab hominum frequentia remoti a Sacris Ædibus abeſſent*. Conſonat Raynaudus *to.* 16. *ſect.* 1. *par.* 4. *n.* 10. ubi loquens de Communione, hæc habet: *Alios in Eremi latebris longiſſime ab omnium convictu ſepoſitos, Divino Spiritu ad hoc genus vitæ illos agente, a frequentia communicandi excuſabat defectus Sacerdotis, qui Sacramenta porrigeret*. Ita Raynaudus, & meminit exempli, quod ſupra protulimus, Sanctæ Mariæ Egyptiacæ, quam, dicit, non communicaſſe per annos decem, & octo: corrige: per annos quadraginta ſeptem: ut ipſemet Raynaudus habet to. 9. ubi de S. Maria Egyptiaca diſſert. 17. & ita dicendum eſt. Denique Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. l.* 2. *c.* 1. *n.* 5. differens de obligatione audiendi Miſſam in diebus feſtis, ait: *Veteres autem Monachos, & Eremitas ideo excuſari exiſtimo, quia procul ab Eccleſia in vaſta ſolitudine degebant; & quia per aſtum divini ſpiritus, recenti adhuc Chriſti Sanguine, illuc ſe conferebant ... Præterea hoc præceptum Eccleſiaſticum,* ac

ac humanum eſt, contra quod prævalere poteſt conſuetudo ſcita, & tolerata ab Eccleſiæ Paſtoribus; & tunc quidem ea conſuetudo vigebat, quæ modo jam non viget. Si quis autem nunc vellet laudatorum Anachoritarum morem imitari, indigeret Pontificia facultate expreſſa, ut non communicaret quotannis in Paſchate: ut Miſſam non audiret diebus feſtis &c. quia nunc, ut jam audivimus ex Fagundez, non amplius viget in Eccleſia antiquus ille mos prædictæ licentiæ tacitæ, quæ quidem facultas poſſet a Pontifice Summo concedi in ordine ad illud, quod in prædictis præceptis eſt de jure Eccleſiaſtico; licet non poſſet concedi in ordine ad illud, quod in præceptis iiſdem eſt de jure Divino, ut ſuperius eſt explicatum, & evincunt rationes, ac doctrinæ traditæ quæſtione præſenti. Unde La-Croix loco ſupra cit. docet: quod *Ne Papa quidem poteſt abſolute, & totaliter diſpenſare cum aliquo ſuper obligatione audiendi Miſſam, ſaltem quoad illam partem, in qua eſſentia Sacrificii conſiſtit, quia colere Deum per Sacrificium, ſpectat ad jus naturale, & in lege nova ſpectat per ſe ad jus poſitivum divinum; In neutro autem etiam poteſt diſpenſare Papa, nec poteſt eſſe cauſa deobligandi abſolute, & totaliter eum, qui eſt & manet potens.* Hæc La-Croix qui etiam citat pro ſe Paſqualigum. Accedit Fagundez, qui cum *in 2. præc. Eccl. l. 1. c. 3. nu.* 8. ſcripſerit: *Dubium etiam hic eſſe poteſt: utrum Summus Pontifex diſpenſare poſſit in hoc præcepto* (Confeſſionis annuæ) *cum aliqua perſona v. c. cum Eremita vivente extra humanum conſortium, vel cum tota aliqua Provincia, ut numquam confiteatur per totam vitam? Cui dubio reſpondit idem Soarius* to. 4. de pœnit. diſp. 36. ſect. 1. *non poſſe juſte, & rationabiliter Summum Pontificem per totam vitam diſpenſare in hoc præcepto cum aliquo, vel cum aliqua Provincia: quia diſpenſatio, ut legitima ſit, requirit legitimam cauſam: nulla autem cauſa legitima, & rationabilis dari poteſt, ad concedendam talem diſpenſationem: Nec etiam diſpenſare poterit cum aliquo, ut raro confiteatur in vita, ob defectum etiam prædictæ cauſæ rationabilis, quæ poſſit talem diſpenſationem juſtificare.* Deinde *in 3. præc. Eccl. l. 1. c. 6. n. 9.* hæc habet: *Dubitant aliqui: an Summus Pontifex poſſit, aliquem eximere a præcepto annuæ Communionis? Et hoc vel poteſt intelligi, an poſſit Summus Pontifex diſpenſare in obligatione hujus præcepti cum aliqua perſona particulari, veluti cum Eremita vivente extra humanum conſortium; vel cum aliqua Provincia in particulari, Urbe, aut Oppido? Sed hoc dubium magna ex parte jam ſolutum eſt in præcepto de annua Confeſſione: ibi enim etiam quæſivimus: utrum Summus Pontifex poſſit cum aliquo diſpenſare in præcepto Confeſſionis? Et quod ibi diximus, hic ſimiliter erit applicandum ob parem rationem. Breviter tamen dico,* poſſe Summum Pontificem *licite, ex cauſa rationabili, cum aliqua perſona particulari, imo & cum aliqua Provincia, Oppido, aut Urbe,* in præcepto humano, & Eccleſiaſtico Euchariſtiæ diſpenſare: non tamen in præcepto Divino illius, *quatenus eſt medium, & remedium neceſſarium ad ſalutem: poſſe, inquam, ad tempus v. c. per tres aut quatuor annos; non tamen poſſe cum aliqua perſona in particulari, Oppido, aut Provincia per totam vitam licite diſpenſare. Et ratio eſt:*

quia

quia licet in omnibus præceptis humanis, & Eccleſiaſticis, qualia ſunt præcepta annualis Euchariſtiæ, & Confeſſionis, ex juſta cauſa poſſit Papa diſpenſare: ut patet ex Gloſſa textus in Cap. Propoſuit. de Conceſſione præbendæ; *numquam tamen poterit licite per totam vitam cum aliquo diſpenſare, vel cum aliqua Provincia. Enim vero diſpenſatio, & exemptio, ut legitima ſit, & licita, requirit legitimam cauſam: at nulla cauſa legitima dari poteſt, ut Papa concedat talem, & tam abſolutam diſpenſationem, atque exemptionem per totius vitæ ſpatium. Ita docet Soarius &c.... Et quamvis omnes loquantur de exemptione, & diſpenſatione præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis; tamen eadem eſt ratio de præcepto Eccleſiaſtico annuæ Communionis quoad hunc effectum, ut conſideranti patebit.* Hucuſque Fagundez. Quæ etiam approbativo modo reſcribit, recitatque Diana edit. Coord. to. 3. tr. 1. R. 26. §. 4. & R. 11. §. 1.

39 Denique nota hic ad uberiorem doctrinam, quoad Anachoritas, de quibus mentio occurrit: Anachoritam Sacerdotem indigere etiam diſpenſatione Pontificia, ut ſolus celebret ſine Miniſtro. Ita ſentit Suarez. to. 3. par. diſp. 87. ſect. 1. prope finem, ubi hæc habet: *Mihi videtur hoc* (celebrare Miſſam ſine Miniſtro) *non ſine diſpenſatione agendum ob cauſam aliquam regularem, ut ſic dicam, ſeu ordinariam, ut verbi gratia, ſi quis Eremita omnino ſolus viveret ſine ſocio, non poſſet licite, nec quotidie, nec diebus feſtis ſolus celebrare ſine diſpenſatione: quia illa non poteſt proprie dici neceſſitas, ſed voluntas; nemo autem poteſt ſua voluntate inſtituere talem vivendi modum, in quo præter communem Eccleſiæ conſuetudinem, & contra ordinariam legem celebret.* Hæc Doctor Eximius; Id etiam docent Tambur. & alii cum Averſa, quibus ſe adhærere, ſignificat La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 54. §. 3. num. 387. eo quod nullum pro eo reperiatur privilegium, nec de Eccleſiæ permiſſione tali ſciatur. Oppoſitum tamen putant Sot. Paludanus, & alii, quibus favet Paſqualigus teſte eodem La-Croix loc. cit. Exemplum autem Sacerdotis Anachoritæ celebrantis quotidie ſine Miniſtro indicatur in vita Sanctæ Theoctiſtes Virginis Solitariæ, de qua ſupra meminimus, illud vide ſi lubet, apud Scriptores ſupra citatos. De quibuſdam vero caſibus aliis neceſſitatis gravis, in quibus excuſari poſſit Sacerdos, ut celebret ſine Miniſtro; breviter agit Meratus tom. 1. part. 2. tit. 2. n. 5.

Qu. III. Cum ex una parte ſit 40
neceſſaria Confeſſio habentibus conſcientiam peccati mortalis, ut digne recipiant Euchariſtiam; ex Trident. ſeſſ. 13. c. 7. *de præpar. ad Commun. & Can.* 11. ex alia parte vero cum præceptum præmittendi Confeſſionem Communioni, quoniam eſt affirmativum, obliget quidem ſemper, ſed non per ſemper, ac ſubinde licitum ſit interdum ſine prævia Confeſſione communicare, dum adſit contritio, & deſit Confeſſarius, urgeatque neceſſitas communicandi; quod etiam docet Tridentinum cit. cap. 7. conſentiuntque Doctores; Vid. Suarez *to. 3. in 3. par. diſp. 66. ſect. 4. initio*. Hinc quæres: utrum qui habet conſcientiam peccati mortalis, & caret Confeſſario, teneatur præcepto Communionis Paſchalis; ita ut debeat communicare, etiam non præmiſſa Confeſſione, ſed elicito tantum per-

fectæ

ſectæ contritionis actu; an potius debeat omittere Communionem?

℞. 1. Si careat ſolum Confeſſario ſuo ordinario, videlicet eo, cui peccata ſua confiteri ſoleat; ſed adſit alter Confeſſarius, apud quem non conſuevit peccata deponere, ſed jam poteſt, ſi velit: in hoc caſu tenetur præcepto Communionis Paſchalis; & in eodem caſu non poteſt communicare, niſi præmittat Confeſſionem mortalium: quidquid in contrarium docuerint nonnulli apud Suar. loc. cit. quorum ſententiam communiter rejiciunt Doctores, & tamquam practice improbabilem damnat.

41 ℞. 2. Si careat omnino, ita ut nullus adſit Confeſſarius pro ſe approbatus; in hoc altero caſu tres invenio Doctorum ſententias. Prima docet: Præceptum Paſchale non inducere neceſſitatem Communicandi abſque prævia confeſſione mortalis: quia præceptum præmittendi Confeſſionem Communioni, cum ſit Divinum, prævalet Eccleſiaſtico, communicandi tempore Paſchali, quod non obligat, niſi quando rite communicari poteſt. Ita Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 10. *c.* 31. *qu.* 4. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *ſect.* 4. verſus finem. Bonac. *de Euchar. diſp.* 4. *qu.* 6. *p.* 1. *n.* 25. & alii, quorum ſententiam putat probabiliorem Buſemb. *tr.* 3. *de Euchar. c.* 2. *dub.* 2. *art.* 1. Quod autem præceptum præmittendi Confeſſionem mortalium ſumptioni Euchariſtiæ ſit divinum; probant Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *ſect.* 3. §. *Dico tertio*. Azor. *Inſtit. par.* 1. *lib.* 10. *c.* 31. *qu.* 2. Cardinalis De-Lugo *cit. ſect.* 4. *a n.* 69. Bonac. *n.* 35., & alii. Secunda ſententia contra docet: in prædicto caſu Euchariſtiam recipi poſſe cum ſola contritione; quia præceptum Communionis Paſchalis non eſt prorſus Eccleſiaſticum, ſed eſt præceptum Divinum determinatum ab Eccleſia quoad tempus, ne diu careamus hujuſmodi cibo Cœleſti plane neceſſario ad Animæ ſuſtentationem: ſecundum dicta ſect. 1. initio; Quare ſicut præcepto urgente Divino ſumendi Viaticum, noluit Deus obligare ad Confeſſionem mortalium præmitendam, ſi non ſit copia Confeſſoris; ſic urgente præcepto Divino communionis etiam extra mortis articulum, idem credi poteſt; præſertim cum præceptum Divinum Communionis extra mortis articulum, reſpiciat etiam neceſſitatem, quam habemus illius cibi, quem, quia neceſſarius eſt ad ſuſtentationem animæ ſpiritualem, ut dictum eſt, ideo præcipit nobis Deus, aliquandiu in vita ſumere. Ergo hoc præceptum etiam extra mortis articulum debebat permittere Communionem abſque Confeſſione mortalis, quando non eſſet copia Confeſſoris, utpote præceptum de cibo neceſſario, & de re neceſſaria. Adde, quod non eſt abſolute certum, præceptum præmittendi Confeſſionem mortalium Communioni, eſſe juris Divini; ſed probabile reputatur, eſſe tantum juris humani, ſeu Eccleſiaſtici, teſte Cardenas in Criſi *theol. tract.* 1. *de probab. diſp.* 8. *c.* 2. *n.* 8. Et ita quidem ſuſtinent Navarrus, Medina, Ricard. Palud., & alii apud Leandrum a SS. Sacramento *part.* 2. *de Sacram. tract.* 7. *diſp.* 7. *qu.* 12. Hanc ſententiam, tradit, eſſe communem, Cardinalis De-Lugo *De Sacram. Euchar. diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 116., eamque aſſerit, ſibi placere, & pro ea expreſſe laudat Henriqu. & Konink, quibus Diana *to.* 1. *edit.*

edit. coord. tr. 3. *R.*154. §. 2. addit Toletum, Leandrum, Fagundez, Averſam; Eamque reſolutione 152. §. 2. dixerat, eſſe probabiliorem. Similiter Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 6. *qu.* 4. *num.* 53. etiam dicit, eſſe probabiliorem, & communiorem; ſed & ipſe Suar. *cit. ſect.* 4. prope fin. fatetur eſſe probabilem & practice tutam. Hinc Tertia ſententia fluit eorum, qui attentis explicatis rationibus, ſtatuunt; in prædicto caſu optionem dari, ut fidelis, vel prudenter ſe reputet excuſatum ab Eccleſiaſtico præcepto Paſchali propter Confeſſionem Communioni præmittendam; vel a præcepto præmittendæ confeſſionis propter obſervantiam Eccleſiaſtici præcepti Paſchalis: Cum utrinque ſint doctores, rationeſque probabiles.

32 Verum nos in hac quæſtione adhibendam eſſe, dicimus, diſtinctionem eamdem, qua uſi ſumus ſect. 2. qu. 2. ubi examinavimus: an poſſet, ac teneretur communicare, qui ultima die præcepti Paſchalis non inveniretur jejunus? Quemadmodum igitur diximus ibi, diſtinguendam eſſe Communionem Paſchalem, ſimpliciter talem, a Communione Paſchali, quæ ſimul contineat rationem Communionis annuæ. Id ipſum hic volumus, ac dicimus: habentem Conſcientiam peccati mortalis in abſentia Confeſſoris pro ſe approbati, non poſſe communicare in Paſchate, ſola contritione præmiſſa, ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis ſimpliciter talis; ſecus autem ſi ſimul communicare deberet ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Annuæ. Profecto ut l. cit. notavimus, præceptum Communionis Paſchalis pro ut obligat ad communicandum hoc determinato tempore anni, videlicet in Paſchate: eſt ſimpliciter humanum. Prout autem obligat ad communicandum ſemel in anno, licet ſit adhuc Eccleſiaſticum, atque adeo humanum, attamen ſimul eſt Divinum, ex eo quod reſpiciat frequentiam Communicandi in vita a Christo præceptam. V. omnino quæ diximus ſup. ſect. 2. qu. 5. n. 10. & ſeqq.

Quod ſi præceptum Communionis Paſchalis ut etiam Divinum eſt, concurrat cum Eccleſiaſtico, quatenus toto anno aliquis non communicavit ante Paſcha, nec poſt Paſcha communicare poterit (quod vix poſſibile videtur) ſi utrumque præceptum urgeat, videlicet Divinum communicandi, & Eccleſiaſticum confeſſionis præmittendæ, dicendum eſt in dicto caſu licere communicare ſola contritione præmiſſa. Vel enim concurrere dicantur hic duo præcepta, humanum unum Confeſſionis prædictæ: alterum Divinum Communionis præfatæ, & ſic prævalet præceptum Divinum. Si autem dicamus, concurrere duo præcepta ambo Divina: præceptum Divinum Communionis annuæ videtur magis urgere, præ Confeſſionis Euchariſtiæ ſumptioni præmittendæ præcepto; quemadmodum patet ex præcepto ſumendæ Communionis in fine vitæ. Si quis enim debet Communicare ex Viatico, & reus mortalis non poſſit confiteri; Certum eſt, poſſe, & debere communicare in articulo mortis ſola contritione præmiſſa. Similiter autem dicendum de Communione ſumenda ex ſimili præcepto Divino per vitæ decurſum; cum ſimilis ſit (etſi nunc urgentior,) neceſſitas ſpiritualis.

Tunc

Tunc autem Communio Paſchalis continet rationem communionis annuæ, quando quis poſt Paſcha non poterit communicare infra annum, uſque dum novum Reſurrectionis Paſcha recurrat, ſi computetur annus a Paſchate ad Paſcha; Si vero computetur annus civilis a prima die Januarii, ad ultimam Decembris, tunc Communio Paſchalis continet rationem Communionis annuæ, ſi quis nec ante Paſcha communicaverit, nec poſt Paſcha communicare poterit intra annum Civilem.

43 Ex dictis colliges 1. non ſolum in Paſchate, ſed etiam extra Paſcha, poſſe dari caſum, quo liceat communicare, confeſſione non præmiſſa mortalis in abſentia Confeſſoris, pro adimplendo præcepto Communionis annuæ; nimirum quando hoc præceptum ita urgeat, ut non poſſit differri.

Colliges 2. Non poſſe communicare, confeſſione non præmiſſa mortalis ob defectum Confeſſoris, eum, qui Communicare tenetur ex quolibet ſimpliciter humano præcepto, aut etiam voto: quia hæc non obligant, quando eſt moralis impoſſibilitas, implendi debite, & legitime. Ita Cardinalis De-Lugo *de Sacr. Euchar. diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 117. Diana *to.* 1. *edit. coord. tr.* 3. *R.* 152. *fine*, La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 105. §. 3. *fine*. Idem monet Franc. De-Lugo *l.* 4. *de Euch. c.* 6. *qu.* 6. *num.* 54., qui laudat etiam Azorium, & reprobat aſſertum Patris Henriquez volentis: ſi quis pro more ſuæ Religionis, vel Collegii, debeat tali die Communicare, nec habeat copiam Confeſſarii, poſſe contritum Communicare, confeſſione non præmiſſa mortalis, cujus forte ſit reus: quoniam habet, inquit, jus communicandi pro more, quamvis ſine nota poſſit omittere Communionem, quæſito colore aliquo, ſeu ſub aliquo prætextu. Ita Henriquez. Sed contra eſt: nam certe, inquit Lugo, ceſſante nota, (quod tamen raro continget:) Jus illud eſt valde debile nec ſubinde prævalebit contra præceptum præmittendæ Confeſſionis; ita recte Franc. De-Lugo.

Tandem quoniam dictum eſt: urgente Communione annua ſive tempore Paſchali, ſive extra Paſcha; licere Communicare, confeſſione non præmiſſa mortalis, ob defectum, & abſentiam Confeſſarii; Explicare hic neceſſe eſt: quænam diſtantia Confeſſoris ſufficiat, ut urgente prædicta, & ſimili neceſſitate Communionis, excuſetur quis a præcepto Confeſſionis? 44

Pro qua re dico: Gobat, & Marchant apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 105. §. 2. *n.* 134. deſignant diſtantiam duarum horarum; ita ut, ſi quis deberet, ad Confeſſarium adeundum, inire iter horarum duarum, & totidem ad redeundum, excuſari, dicunt, hunc a Confeſſione præmittenda in urgenti neceſſitate communicandi. Canus autem apud eumdem La-Croix, abſolute vult: ſufficere quinque quadrantes, aut tria milliaria. Nonnulli alii vero deſignant unam Leucam, alii tres Leucas. Verum Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *ſect.* 24. §. *Ex his igitur*. Bonac. *n.* 3. Reginal. *lib.* 29. *n.* 107. Buſemb. *l. cit. dixi*. Franc. De-Lugo *c.* 6. *qu.* 5. *n.* 32. La-Croix *loc. cit.* & alii melius dicunt cum communi, prudentis arbitrio eſſe hoc decernendum; pendet enim ex circumſtantiis temporis, perſonæ, difficultatis

tatis itinerum, diſcriminis, infamiæ, vel ſcandali, & ſimilibus. Tunc igitur reputatur Confeſſor abeſſe, & excuſamur confeſſionem præmittere in urgenti neceſſitate communicandi, quando, vel ob urgentia negotia, vel ob periculum imminens non poſſumus adire Confeſſarium ſine magno, ac gravi moraliter incommodo.

45 Nota hic: quod, qui more laico communicavit, confeſſione mortalium non præmiſſa, ob neceſſitatem urgentem, probabilius communiter dicatur, non teneri præcepto illo Tridentini ſeſſ. 13. cap. 7. de præparat. ad Commun. obligante Celebrantem quam primum, ſi neceſſitate urgente abſque prævia Confeſſione mortalis celebravit. Quamvis aliqui contrarium teneant, putantes prædictum præceptum extendi ad Communionem Laicam. Videatur Franc. De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 6. qu.* 8. *a n.* 65. Buſemb. *tr. 3. de Euch. cap. 2. dub. 2. art. 1. fine*. La Croix *lib. 6. par. 1. qu. 106. §. 2. nu.* 144. Suarez *to. 3. in 3. par. diſp. 66. ſect. 7.* Azor. *Inſtit. moral. par. 1. lib.* 10. *c.* 31. *qu.* 5. Card. De-Lugo *de Euchar. diſp.* 14. *ſect. 7. n.* 138.

46 Huc uſque reſpondimus ſecundo ad principalem quæſtionem præſentem, quæ eſt: an teneatur præcepto Communionis Paſchalis, qui careat Confeſſario: cum cæteroqui ſit reus peccati lethalis? Cui quæſtioni ut plenius ſatisfaciamus, danda eſt alia quædam reſponſio præter duas hactenus datas. Itaque

℞. 3. Ad eamdem propoſitam quæſtionem: ſi non careat ſimpliciter Confeſſario pro ſe approbato, ſed careat Confeſſario approbato ad reſervata: Cum ipſe ſit reus mortalis reſervati: In hoc tertio caſu docet Armilla V. *Communio n.* 20. cum aliis: quod imminente communione Paſchali, ſi aliquis velit communicare, & habeat caſum reſervatum Superiori, ad quem non poſſit pro nunc accedere, valeat communicare contritus vel ratione ſcandali, vel infamiæ. Idem docet Azor. *Inſtit. moral. par. 1. l. 10. c. 31. qu. 4. & 7.*

Verum hujuſmodi reſponſio non ſolvit penitus quæſtionem propoſitam; dubium enim adhuc eſt, ſi nullum timeatur ſcandalum, vel infamia ex ommiſſione Communionis; vel ſi adſint; vitari tamen poſſint; an, qui habet reſervatum, & non adeſt ſuperior, ſed inferior, excuſetur a Communione Paſchali; vel debeat communicare ſola contritione præmiſſa; vel debeat communicare etiam Confeſſione præmiſſa apud præſentem Sacerdotem inferiorem?

Profecto etiam præciſa reſervatione peccati, & obligatione præcepti Paſchalis: abſolute, & ſimpliciter, ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, licet communicare ſola contritione præmiſſa, in caſu, quo hæc requiratur ad ſtatum gratiæ ſanctificantis acquirendum ante ſumptionem Euchariſtiæ. Præceptum enim vitandi ſcandali, utpote naturale, prævalet humano & poſitivo etiam Eccleſiaſtico; & ita cenſent communiter Doctores, teſte Suarez, qui univerſaliter docet *to. 3. in 3. par. diſp. 68. ſect. 5. fine*, hanc exceptionem vitandi verum ſcandalum activum, vel veram infamiam, habere locum in omnibus præceptis, ubi contrarium non eſt intrinſece malum: quia præfertur ſalus Animarum, & obligatio Charitatis; & rurſus communiter leges poſitivæ non obligant cum famæ, vel honoris diſcrimine; atque

iſtud

Digitized by Google

iſtud principium applicat Confeſſioni præmittendæ l. cit. *diſp. 66. ſect.* 4. *§. Tertia ab omnibus*.

In hoc itaque caſu liceret utique communicare, ſola contritione præmiſſa. Atque adeo ſi is, qui habet peccatum reſervatum, cum debeat omnino communicare pro Paſchate, non adſit ſuperior, nec inferior Confeſſarius ullus, & timeat cauſare verum ſcandalum, vel incurrere infamiam ex omiſſione Communionis Paſchalis, poteſt communicare ſola contritione præmiſſa, ſive Communio Paſchalis habeat in eo reſpectum Communionis annuæ, ſive non; juxta ſuperius dicta.

47 Dixi ſuperius: *Contritione præmiſſa in caſu, quo hæc requiratur ad ſtatum gratiæ ſanctificantis acquirendum ante ſumptionem Eucharistiæ:* Primo, ut ſignificarem, eum, qui habet conſcientiam peccati mortalis, & confiteri non poteſt, per ſe loquendo, teneri ad habendam prius perfectam contritionem, quam ad Sacramentum Communionis accedat, quod non poſſit omittere. Atque adeo numquam digne accedere, niſi probabiliter, & inculpabiliter exiſtimet, ſibi eſſe peccatum per contritionem perfectam remiſſum. Hanc aſſertionem Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.*66. *ſect.* 5. affirmat, tam certam eſſe, ut contraria nonnullorum recentiorum, nec probabilis ſit, nec ſine temeritate defendi poſſe videatur; & in hac veritate conſentire, teſtatur, omnes Theologos, quos præcedentibus Sectionibus tertia, & quarta laudaverat; Videri etiam poteſt Diana *edit. coord. tom.* 1. *tract.* 3. *R.* 158. §. 2. Franc. De-Lugo *de Sacr. lib.* 4. *de Euch. c.* 6. *qu.* 7. *n.* 56. Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 14. *ſect.* 6. *initio*. Rurſus ideo dixi: *Contritione præmiſſa in caſu, quo hæc requiratur &c.* ut innuerem, non ſemper tamen neceſſariam eſſe contritionem perfectam, ubi quis ſibi conſcius ſit peccati mortalis nondum confeſſi, & communicare debeat, & non poſſit præmittere Confeſſionem: Sed dari caſum aliquem, quo non ſit obligatio, & neceſſitas eliciendi actum perfectæ contritionis; nimirum ſi quis prius confeſſus, poſtea recordetur peccati mortalis obliti, quod jam confiteri non poteſt. Profecto qui confeſſus eſt, ſed inculpabiliter omiſit mortale, tenetur hoc confiteri, antequam communicet: nec poteſt Communicare non præmiſſa Confeſſione illius mortalis obliti: quantumvis ſtatum gratiæ ſanctificantis habeat: in neceſſitate vero urgenti communicandi, quam in præſenti caſu adeſſe ſupponimus; ſi quis in illa Confeſſione elicuerit dolorem univerſalem moraliter omnia peccata deteſtantem; in iſto caſu non habet obligationem novæ contritionis eliciendæ; ita tenent Cardinalis De-Lugo cit. *ſect.* 6. *n.* 122. Diana *edit. coord. to.* 1. *tr.* 3. *R.* 164. & duabus ſequentib. Franciſcus De-Lugo *de Sacram. lib.* 4. *de Euch. c.* 6. *qu.* 7. *n.* 58. & alii apud ipſos. Qui id probant ex eo, quia, cum illud peccatum jam fuerit indirecte remiſſum per confeſſionem antecedentem, ceſſat obligatio naturalis, ſe conterendi, quæ ſolum ordinatur ad obtinendam remiſſionem peccati. Præceptum vero poſitivum Divinum, vel humanum talis contritionis non apparet: quia nec Eccleſia præcipere poteſt actus mere internos, inquit Franc. De-Lugo: nec Deus præcepit juſtificatis contritionem, niſi quando

confeſſuri ſunt. Igitur poteſt fidelis, communicare tunc ſine contritione, poſteaque confiteri peccatum oblitum, & tunc debet de illo conteri, vel atteri, ut debitam Sacramento materiam præbeat; ita Franciſcus De-Lugo. In qua tamen ipſius ulteriori ratione non placet, nec admitto illud, quod dicit, & etiam aliqui alii dicunt, hoc eſt: Eccleſiam præcipere non poſſe actus mere internos; quam quidem propoſitionem, & ſententiam bene impugnat Cardenas in Criſi *par.* 4. *diſſert.* 34. *c.* 2. *art.* 4. Et videri etiam poſſunt, quæ idem habet, & diſputat in præcedentibus articulis 2. & 3.

48 Si quis vero conſcius ſibi mortalis nondum abſoluti, nequidem valeret elicere actum perfectæ contritionis, in caſu, quo hæc requiritur, peccaret, ſi adhuc pro communione annua communicaret indigne, id advertens; eſſet enim intrinſece malum, etſi id faceret, ne infamiam ſubiret. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 105. §. 5. *n.* 53. & rurſus docebimus *qu.* 6. ubi etiam notabimus: eum, qui ita indiſpoſitus communicaret, ne quidem ſatisfacturum præcepto Communionis annuæ, cum non faceret Communionem fructoſam.

Poterit autem aliter declinare infamiam, vel vitare ſcandalum, ut ex Gobat monet La-Croix loc. cit. Et eſſet bona ratio vitandi infamiam in præſenti materia, illa, quam communiter proponunt Auctores, teſte La-Croix *nu.* 536. nimirum, ut qui eſt in mortali, nec poteſt confiteri, vel conteri, comedat, aut bibat aliquid coram aliis, quaſi per incogitantiam, ſicque ſe excuſet ob defectum jejunii; & quamvis forte naſcatur levis ſuſpicio mali ſtatus, hæc non eſt tanti facienda, debetque hoc attribuere ſuæ malitiæ, & impœnitentiæ; ita La-Croix.

Ad neceſſitatem hic ratione ſcandali, vel infamiæ, requiritur prudens metus, non cujuſcumque ſcandali, vel infamiæ, ſed ſcandali gravis, vel infamiæ notabilis, & inevitabilis. Hinc non ſufficit, quod aliquis ſit habendus minus devotus, quam alii; aut quod alii in genere mirabuntur; Et quamvis aliqui Summiſtæ putaverint, ſufficere metum admirationis in populo: Doctores tamen communiter ſentiunt contrarium; ideo limitant, & dicunt: tunc ſufficere, quando timetur, ne ex illa admiratione leves homines accipiant occaſionem temere judicandi, & detrahendi; ita Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *qu.* 4. §. *Quarta etiam*. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 105. §. 4. *n.* 536. aliique apud ipſum. Videri etiam poteſt Diana *edit. coord. to.* 1. *tract.* 3. *R.* 159. Quamvis cum hujuſmodi etiam limitatione diſpliceat Cardinali De-Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 118. Fatetur vero Suarez loc. cit., admirationem prædictam, moraliter loquendo, ſolere eſſe conjunctam cum ſcandalo, vel infamia; ex hac enim admiratione, orta ex omiſſione Communionis, in circumſtantia nimirum alicujus quaſi obligationis aliis notæ, communicandi, ſolet vulgus, & leves homines occaſionem facile ſumere, aut judicandi de aliquo temere, aut de eo murmurandi, & conſequenter infamandi proximum; quando ergo hujuſmodi periculum merito timetur, eſt cauſa juſta, & ſufficiens; ita Suarez citans Cordubam, qui alios refert; & ſic approbat ipſemet Cardinalis De-Lugo loc. cit. Idipſum confirmat 49

Sua-

Suarez eadem ſectione cit. §. *Sexta cauſa ;* ubi poſtquam cum aliis docuiſſet: poſſe communicare ſola contritione præmiſſa, eum, qui recordatur peccati mortalis nondum confeſſi, poſtquam jam eſt altari admotus, ad communicandum; dummodo non poſſit recedere ſine aliquo ſcandalo, vel nota; deinde ſubdit: Moraliter, & practice loquendo, quando Communio fit publice, & coram aliis, numquam deeſſe aliquam notam, vel obmurmurationem, ſi quis poſtquam eſt Altari admotus, ad Communicandum, ab eo recedat; Vel ſi Celebrans ad finem communicandi alium, conſecravit formulam, vel Pixidem e ſuo loco duxit. Addit item, non eſſe autem conſulendum, ut in eo caſu, is, qui communicare vult, confiteatur Sacerdoti miniſtranti Sacramentum: quia neque locus eſt aptus ad munus hoc, minuſque decet, & aliunde majorem admirationem aliis ingerit.

Quando, qui Communicare debet, eſt Religioſus, & ſolum habet præſentem Sacerdotem ſæcularem, & habet aliqua peccata gravia; refertur Roſella in Summa V. *Communio* dicens: poſſe differre Confeſſionem, & interim communicare, ut deinde more ſuo intra Religionem confiteatur, & ut aliquam ſuæ Religionis infamiam excuſet. Verum Suarez. *to. 3. in 3. par. diſp. 66. ſect. 4. §. Circa primum.* Opinionem hujuſcemodi rejicit tamquam nec ſecuram, nec practice probabilem; & quo ad timorem infamandæ Religionis apud Sacerdotem ſæcularem: dicit: perſonalem lapſum Religioſi per ſe non eſſe Religionis infamiam. Idem dicit Diana *edit. coord. to. 1. tract. 3. R. 157.* §. 1. Hanc etiam opinionem tamquam nimis laxam rejicit Andreas Mendo in *Statera opin. benign. diſſert. 11. qu. 1. n. 13.* Qui etiam teſtatur, ſe illam apud Roſellam loco allegato non reperiſſe.

50 Hactenus de caſu, quo timetur ſcandalum, vel infamia. Quæſtio autem in præſenti procedit de eo, qui habet peccatum reſervatum, & non adeſt ſuperior, ſed Confeſſarius inferior. Et ſic propoſita quæſtione, ad illam reſpondeo, dicendo: quod univerſaliter, in neceſſitate urgenti communicandi, ſi quis habeat peccatum reſervatum, & non adſit ſuperior, ſed inferior Confeſſarius, aliqui dicunt, eum minime teneri confeſſionem præmittere, ſed poſſe ſola contritione diſpoſitum ad communicandum accedere; ſive ſola habeat reſervata, ſive etiam ſimul non reſervata mortalia. Alii ſecundo obligant, ad præmittendam Confeſſionem, etiamſi habeat ſola reſervata, & volunt teneri ea confiteri una cum aliquo mortali alias confeſſo, ſi habuerit, aut ſaltem aliquo veniali; ut a mortali non reſervato, aut ſaltem veniali abſolutus directe, abſolvatur indirecte a peccato reſervato cum onere comparendi, & confitendi deinde ſuperiori ſuo, ſeu Confeſſario ad illud reſervatum approbato. Alii tertio docent, non teneri confeſſionem præmittere, ſi habeat ſola reſervata; teneri vero, ſi ſimul habeat non reſervata mortalia: Et ex his aliqui obligant ad confitenda ſola non reſervata; alii, etiam ſimul reſervata. In tanta varietate opinandi tutior ſententia in praxi hic conſulenda videtur, eſſe, ut pœnitens in tali caſu judicetur tanquam actu indiſpoſitus; cui conſequenter imponenda ſit dilatio, applicando re-

re-

Digitized by Google

reſpective, quæ dicta ſunt in antecedentibus, præſertim *n. 7. & n. 41.* ubi de defectu Confeſſarii & ſeqq.

51 Quod ſi ſcandalum timeatur ex dilatione, & neceſſitas communicandi omnino urgeat; tenebitur confiteri etiam reſervata inferiori approbato quidem, quamvis non habenti juriſdictionem in reſervata, qui pœnitentem ita conſtitutum abſolvere poterit, cum onere comparendi, ſeu confitendi reſervata ſuperiori.

Nota demum Cavalerii hallucinationem, ubi ſcripſit (*Comment. to. 5. c. 7. n. 1.*) Concilium Tridentinum ſtatuiſſe expreſſe, ſumptioni Euchariſtiæ *neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem ſub pœna excommunicationis ipſo facto*. Hanc enim pœnam Tridentinum ſtatuit non contra eos, qui omittunt confeſſionem in caſu dicto, ſed contra eos qui aſſerant, doceant, prædicent, non eſſe neceſſario confeſſionem præmittendam. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat*. verba ſunt Tridentini loc. ſup. cit.

52 Qu. IV. An teneatur præceptò Communionis Paſchalis, qui, cum non adſit niſi Confeſſarius ignarus ſuæ linguæ, & ſibi ſit conſcius mortalis, nolit confiteri per interpretem: cum ad id non teneatur, ut docet Franc. De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 6. qu. 5. n. 33. initio*.

℞. Si debet communicare non ſolum ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali ut ſic, ſed etiam ut habet rationem Communionis annuæ, puta ſi nec ante Paſcha communicavit, nec poſt Paſcha communicare unquam poterit intra annum Confeſſione præmiſſa: dicendum: In hoc caſu poſſe eum in Paſchate communicare confeſſione non præmiſſa mortalium, ſed ſola contritione diſpoſitum. Probatur: ex una parte, qui non poteſt niſi per interpretem confiteri, excuſatur a præcepto præmittendæ confeſſionis mortalium in neceſſitate ſumendæ Euchariſtiæ: ut docet Lugo loc. cit. & videri poſſunt dicenda in Appendice ad calcem Diarii *c. 13. n. 64.* Ubi tamen etiam habes, teneri aliquod ſaltem peccatum confiteri, ſi aliquo modo explicare verbis poſſit, aut nutu. Ex alia parte admittitur in dicto caſu neceſſitas urgens communicandi in Paſchate. Ergo &c.

Hinc colligitur, non ſolum in Paſchate, ſed etiam extra Paſcha, ſi eſt communicandum ad ſatisfaciendum præcepto Communionis annuæ, ut non poſſit amplius differri: idem licere. Non licebit autem in prædicto caſu communicare in Paſchate ſola contritione præmiſſa: ſi ſit communicandum ſimpliciter ad ſatisfaciendum Præcepto Paſchali, ut ſic: & ut non habet rationem communionis annuæ; quemadmodum eſt in eo, qui ante Paſcha communicavit, vel communicare rite poterit poſt Paſcha intra annum. Pro iſtorum plena intelligentia. Vide dicta quæſ. præc. in Reſp. 2. ex noſtra ſententia *num* 42.

Qu. V. An mutus, qui nec nutibus, & ſignis poſſit confiteri, ſuaque explicare peccata, teneatur id facere per ſcripturam Confeſſario quidem præſenti manifeſtatam: ut ſatisfaciat præcepto Confeſſionis, & Communionis annuæ? 53

℞. Pro ſolutione hujus quæſtionis vide dicenda in Appendice ad calcem Dia-

Digitized by Google

Diarii *cap.* 3. *articul.* 4. *quæſt.* 11. & 12.

54 Qu. VI. An teneatur præcepto Communionis annuæ, qui, cum ſibi ſit conſcius mortalis nondum remiſſi, & non poſſit confiteri, atque adeo teneatur elicere actum perfectæ contritionis, ut docuimus *num.* 47., attamen illum non valeat in ſe excitare, quantumvis cupiat, & conetur? Certe quamvis caſus rarus erit, quo nequeat, recepturus Eucharistiam, vel aliud Sacramentum Vivorum, etiam moraliter elicere contritionem, ſi conari velit, cum divina gratia: Poſſibilis tamen eſt, & interdum eveniet.

℞. Nec teneri, nec poſſe communicare in dicto caſu. Primo, quia eſt intrinſece malum, communicare in Mortali, ut communiter docent Doctores apud Franc. De Lugo *l.* 4. *de Euchar. c.* 6. *qu.* 3. *nu.* 12. Unde nec ad vitandam infamiam liceret communicare, ut docuimus *quæſt.* 3. *n.* 48. Secundo, quia cum non Communicaret fructuoſe, ſeu nullam reciperet gratiam Sacramenti Euchariſtiæ, non faceret communionem illam, quam præcipit Chriſtus, & Eccleſia, ſcilicet fructuoſam. Unde licet ſupponamus, aliquem hujuſmodi conſtitutum in tali neceſſitate, ut fas illi ſit ſine novo peccato, non elicita contritione communicare, de quo caſu videri poteſt Laudatus De-Lugo *qu. cit.* Sic communicando, etiamſi concedatur excuſari a novo peccato, & ſacrilegio, adhuc tamen minime ſatisfaceret præcepto Communionis annuæ, ob rationem dictam; quia ſcilicet adhuc non faceret communionem fructuoſam; ſi autem timeretur ſcandalum, vel infamia ex omiſſione Communionis: quomodo poſſent hæc vitari? Inſinuavimus *qu.* 3. *cit. n.* 48.

Qu. VII. An, qui non eſt diſpo- 55
ſitus ad abſolutionem, teneatur præcepto Communionis Paſchalis?

℞. 1. Si per ſeipſum ſtet, ut diſponatur; tenetur præcepto Communionis Paſchalis, & conſequenter tenetur, ſe diſponere ad abſolutionem, & tollere impedimentum ex. gr. removendo occaſionem proximam ſui peccati; reſtituendo famam, aut rem alienam, deponendo odium &c. intra tempus a jure communi, vel non conſuetudine particulari præfixum pro adimplenda Communione Paſchali.

℞. 2. Si per ſeipſum non ſtet, quia ex. gr. indiget longiori tempore, ut ſe diſponat, reddatque aptum ad abſolutionem: in hoc caſu non tenetur, imo nec debet communicare intra tempus prædictum, ſed debet differre communionem, judicio Confeſſarii prudentis: uſque dum ſe diſponat; ſic ex. g. ſi quis accedat ad deponenda peccata in Dominica in Albis, ſeu ultima die præcepti Paſchalis, ut prædicta die præcepto Communionis Paſchalis poſt Confeſſionem ſatisfaciat: ſi Confeſſor videat, hujuſmodi pœnitentem habere conſcientiam implicatam ob multitudinem peccatorum, & quia ex multo jam tempore non ſit confeſſus, & examen ſufficiens peccatorum non inſtituit; debet remittere, ut pergat diligentius conſcientiam examinare, ad aliquos etiam dies, adeoque prædicto pœnitenti eſſet Paſchalis Communio differenda. Similiter ſi quis, ut frequentiſſime evenit, accederet longo, & inveterato aliquo habitu pravo affectus, & prudenter Confeſſarius judicet hujuſmodi ſtatim ad vomitum reverſurum: non debet cum ab-

abſolvere; ſed, datis monitis ſalutaribus, differre abſolutionem, adeoque & Communionem. Hoc expreſſe habetur ex ipſo cap. *Omnis utriuſque*. Quod nos notavimus etiam *ſect.* 2. *n.* 7. §. *Sed quid?* & videantur item dicta eadem *ſect.* 2. *qu.* 11. *n.* 24.

56 Q. VIII. An amentes teneantur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis?

℟. Hujuſmodi quæſtionem poſſe procedere primo de amentibus perpetuo, qui numquam rationis uſum habuerint; & de his dicendum 1. non teneri eos præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis; ita La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 120. §. 1. *nu.* 642. Tambur. *de exped. Commun. c.* 4. §. 1. *n.* 4. Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 9. Reginal. *lib.* 29. *qu.* 4. *nu.* 78. & eſt Communis Doctorum. Ratio eſt, quia cum numquam præditi fuerint rationis uſu: ideo ſicut Infantes non ſunt capaces obligationis. Quæ ratio eſt Divi Thomæ 3. *par. qu.* 80. *art.* 9. *ad* 3. & eamdem aſſignant Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 10. *n.* 2. aliique Doctores communiter.

Dicendum 2. de iiſdem perpetuo Amentibus, qui numquam habuerunt rationis uſum: eos, ſi baptizati ſint, poſſe quidem cum fructu ſuſcipere Euchariſtiam: nam æquiparantur Infantibus. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 5. *qu.* 1. qui adhuc ante uſum rationis poſſent Euchariſtiam cum fructu ſpirituali ſuſcipere: quia per baptiſmum ſunt Oves Chriſti, capaces nutritionis, & augmenti gratiæ: uti docebimus infra *qu.* 21. *fine*; attamen non legitur, data eſſe præfatis Amentibus Euchariſtia; nec dari debet, inquit S. Thomas quæſt. 80. art. 9. in O. *quia in eis nullo modo præexiſtit hujus Sacramenti devotio*. Id etiam prohibet Rituale Rom. Pauli V. *de Sacram. Euch. poſt init.* Et quidem docet Franciſcus De-Lugo *loc. cit. qu.* 3. *nu.* 14. & Cardinalis De-Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 13. *ſect.* 4. initio, hujuſmodi Eccleſiæ conſuetudinem in Rituali laudato traditam habere vim præcepti.

℟. 2. Quæſtionem poſſe procedere ſecundo de perpetuo amentibus, qui tamen aliquando uſum rationis habuerint; nec conſtet, illum amiſiſſe in ſtatu malo peccati lethalis. His autem non ſolum dari poſſe, & debere Viaticum: ut videre eſt apud Cardinalem De-Lugo *de Sacr. Euch. diſp.* 13. *ſect.* 3. *init.* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 69. *ſect.* 2. *dub.* 3. La-Croix *ſupr. cit. qu.* 120. §. 3. *n.* 644. Reginal. *lib.* 29. *qu.* 4. *nu.* 79. Franc. De-Lugo *loc. cit. c.* 5. *qu.* 3. *n.* 29. Dian. *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 95. §. 1. & *R.* 96. §. 1. Verum etiam iiſdem poſſe extra mortis articulum adhuc aliquoties miniſtrari Euchariſtiam, contra Baun. apud La-Croix l. cit. docet Villalob. relatus a Tamb. l. cit. Cujus hanc ſententiam tamquam piam, & probabilem laudat, præſertim ſi retineant reverentiam huic Sacramento, luceque aliqua rationis fruantur aliquando; quales plerumque eſſe, ait, Religioſos, qui quamvis in amentiam inciderint, retinent fere ſemper bonos habitus. Accedit Jo: Sanchez, qui cenſet: quod, ſi quis non quidem ſemper fatuus fuerit, ſed aliquando uſum rationis habuerit, attamen a longo tempore hactenus fatuus cum aliis accedat ad ſcamnum Communicantium, ſi devotionem aliquam oſtendat, etſi non plane deliberatam, dari tamen ei poſſit Commu-

Digitized by Google

munio: cum credibile fiat, non omni rationis uſu deſtitui, qui ſe communicantibus miſcet, genuflectit, percutit pectus, aliaque præbet devotionis indicia. Quæ approbat Franciſcus De-Lugo *l. cit. qu.* 2. *num.* 10. Sed La-Croix *l. cit.* §. 6. *n.* 647. exponens prædictam ſententiam Joannis Sanchez, illi contradicit cum Gob. quia, inquit, ſtulti agunt, ut Simiæ, quod ab aliis fieri vident; Hujuſmodi quoque ſententiam rejicit Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 96. §. 2. una cum ſententia Joſephi Angles volentis, prædictos Amentes quotannis communicare debere. Et vero ſupra laudatum Rituale Rom. Pauli V. *l. cit.* manifeſte habet, Amentibus, dum manent amentes, non licere Euchariſtiam extra Viaticum miniſtrare. Sic enim ait: *Amentibus præterea, ſeu phreneticis communicare non licet: licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit:* Notatque ex Suarez Reginaldus *loc. cit.* Eccleſiam in praxi non ſolere, Euchariſtiam prædictis Amentibus miniſtrare, extra probabile mortis periculum; & idem tradit Diana *loc. cit. R.* 95. §. 2. *fine*. Itaque nec in Paſchate, & multo minus extra Paſcha miniſtranda eſt Euchariſtia plene, & perpetuo Amentibus, etſi poſt uſum rationis tales evaſerint, non eſt, inquam, his miniſtranda Communio, dum in ſtatu amentiæ perſeverent, nec ſufficienti requiſito rationis uſu fruantur; idque ex veneratione tanto debita Sacramento; quod poſtulat, nonniſi gravi de cauſa illis conferri, qui non ſe poſſint ad illud per devotionem propriam præparare: ut ex Suarez animadvertit ipſe Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 9. *qu.* 6. *n.* 64.

Supra etiam loquens de Communione ex Viatico, quæ prædictis Amentibus dari tamen poteſt, ac debet, dixi: *Nec conſtet, uſum rationis deinde amiſiſſe in mortali:* quia ſi certo ſciatur, aliquem paulo poſt mortale commiſſum incidiſſe in amentiam: nec habeantur poſitiva fundamenta pœnitentiæ: in ſua præſumitur perſeverare malitia; Hinc nec ex Viatico erit illi danda communio. *Gob.* quem ſequitur *La-Croix l. cit.* §. 3. *n.* 616. *Diana l. cit. R.* 94. §. 2. & *R.* 95. §. 4. Hoc ipſo autem quod non ſciatur, amiſiſſe uſum rationis in mortali, præſumendum eſt, eſſe in gratia: quia potuit vel ſine ulla, vel in levi tantum culpa amiſiſſe. La Croix, Diana, Reginal. ll. cit.

℞. 3. Quæſtionem poſſe procedere de perpetuo Amentibus, qui tamen habeant aliquando aliquod lucis rationis intervallum: His autem dandam eſſe Communionem, docet La-Croix *l. cit.* §. 5. *n.* 658. & ita etiam cenſet Tamburinus *loc. cit.* adducens pro ſe Jo. Sanchez in Select. diſp. 38. Profecto ſi ſermo ſit de Communione miniſtranda prædictis amentibus, dum aliquo rationis uſu fruantur, & ſufficientem devotionem oſtendant, nec timeri poſſit, ne aliquid agant contra reverentiam Sacramento debitam: id licere, ſatis conſtat ex Rituali Rom. Pauli V. his verbis ſupra laudatis: *Amentibus præterea, ſeu Phreneticis communicare non licet: licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant*, dum in eo ſtatu manent, *ſi nullum indignitatis periculum adſit:* Nihilominus expedire videtur, ut etiam

etiam in hoc caſu prædictis Amentibus Communio coram populo non miniſtretur, ne aliquod ſcandalum ſequatur.

℞. 4. Quæſtionem poſſe procedere quarto de Amentibus non in omni linea. Jamvero Amentes non in omni linea, ſi uſum rationis adhuc habere oſtendant in hac materia Sacramenti Euchariſtiæ, & illud cum debita reverentia ſuſcepturi putentur, debent admitti ad Communionem, & tenentur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis. Colligitur ex Doctrina Thomæ Sanchez in Decalog. *lib.* 1. *c.* 12. *nu.* 4. ubi docet: eos, qui in quadam ſola materia amentes ſunt, at in cæteris rationis uſu perfruuntur, non excuſari a legum obſervatione in ea materia, in qua ſunt ſui compotes. Quod probaverat *lib.* 1. *de Matrimon. diſp.* 8. *num.* 23.

57 Qu. IX. An ſemifatui, ac ſtolidi, quales eſſe, dicuntur, multi Africani, ſimileſque debilem uſum rationis habentes, teneantur præcepto Communionis Paſchalis?

℞. Affirmative, ſi judicentur capaces abſolutionis, abſit que periculum irreverentiæ: poſtquam fuerint de hoc Sacramento juxta eorumdem capacitatem inſtructi. D. Thomas 3. *par. qu.* 80. *art.* 9. *O.* Cardinalis de Lugo *de Sacr. Euchar. diſp.* 13. *ſect.* 5. Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 5. *qu.* 3. *n.* 30. Diana *to.* 2. *edit. coord. tract.* 2. *R.* 93. §. 2. La-Croix *loc. cit.* §. 5. *n.* 658. Tambur. *loc. cit.* & alii apud ipſos: atque ita ſentire omnes, teſtatur Gobat. apud laudatum La Croix.

Nec obſtat; hujuſmodi homines aliquando debiliori rationis uſu pollere, quam polleant pueri decennes ex. gr. quibus tamen nonnulli, ut inferius dicemus, Communionem interdicunt; non obſtat hoc: Enim vero pro his eſt ſpes judicii perfectioris, ad quod ubi pervenerint, Euchariſtia dignabuntur; at illis, cum non ſit ſpes plenioris uſus rationis, ſemper deneganda eſſet; quod non patitur pia Mater Eccleſia.

Bene autem animadvertit Cardinalis De Lugo *nu.* 51. in hujuſmodi adultis debilem uſum rationis habentibus; poſſe, quemadmodum in pueris, prius quam admittantur ad Communionem, ut inferius dicemus: conſiderari etiam progreſſum aliquem; quia primum inſtrui poſſunt, quantum ſufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ; nec dum ſtatim ad Euchariſtiam recipiendi, ſed expectandum eſt, donec juxta eorum capacitatem magis inſtruantur ad hoc Sacramentum. Si tamen mortis periculo præveniantur, debere illis dari Viaticum, quemadmodum etiam de pueris Sacramentalis Confeſſionis capacibus dicemus inferius: docet idem De-Lugo, conſentitque Viva in prop. 23. Alexandri VIII. *n.* 11.

Deinde Jo. Sanchez apud Franc. De-Lugo *loc. cit.* cenſet, Communionem ſemifatuis concedi poſſe frequenter ſicut cæteris: quia ait, ſi dum ſemel tempore præcepti communicant, nullam irreverentiam committunt, nec illam committent ſæpius communicando: Cum tam homo ſuſcipiens, quam Sacramentum ſuſceptum ſint ſemper unum, & idem; nec gratia comparata per heſternam communionem Communioni hodiernæ videatur irreverentiam afferre; Ita Jo. Sanchez. Quem tamen rejicit Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 96. §. 2. & illius hujuſmodi

di opinionem tamquam nimis laxam reprehendit: Gobat autem apud La-Croix l. cit. inquit, ſe daturum Communionem ſemiſatuis omni menſe. At Cardinalis De-Lugo hujuſmodi ſtolidis hominibus concedit Communionem ſemel tantum in anno, & in aliquo magno Jubilæo. Melius cum Franc. De-Lugo l. cit. *num.* 31. dicetur: juxta capacitatem, diſpoſitionemque ſubjecti, frequentiam Communionis metiendam eſſe prudenter; ipſe quidem Franc. De-Lugo cenſet, pueris, & ſemiſatuis aliquam frequentiam concedi utique poſſe, minorem tamen, quam maturioribus: Quia licet Sacramentum ſit idem, & frequentia illius ſit utiliſſima, nihilominus qui debilioris judicii ſunt, facilius in contemptum ex frequentia delabentur. Si autem quis adeo ſtolidus ſit, ut plane fatuo poſſit æquiparari: ſi a nativitate ita fuerit: diſcutiendum eſſet de eo ſicut de perpetuo amente, qui numquam habuerit rationis uſum; diximus, in reſp. 1. ad qu. præc. Videlicet, neganda eſſet illi Communio. Si vero nequaquam perpetuo a nativitate ſtolidus fuerit, ſed ita evaſerit poſt uſum rationis: diſcurrendum eſſe, puto, de eo, quemadmodum diximus in reſp. 2. ad quæſtionem eamdem præcedentem de illo, qui factus eſt plane, ac perpetuo fatuus; amenſque poſt rationis uſum: quia illi videtur hic poſſe æquiparari; atque adeo non poſſe huic ſtolido miniſtrari communionem, niſi ſolum ex Viatico.

58 Qu. X. An teneantur præcepto Communionis Paſchalis, qui a nativitate ſunt ſurdi ſimul, & muti?

℟. Affirmative, nam inſtructionem neceſſariam ad ſumptionem Euchariſtiæ habere poſſunt per ſigna: ut exempla docent: hujuſmodi enim eſſe ſolent perſpicacioris ingenii; & deinde ſufficit in ipſis, ſi mediocri rationis uſu potiantur, ob ſimilem rationem, ex qua conceſſimus quæſtione præcedenti ſemiſatuis, aliiſque adultis debiliorem uſum rationis habentibus: Tambur. *meth. expd. Commun. c.* 4. §. 1. *nu.* 4. & alii apud La-Croix *l. cit.* §. 10. *n.* 663.

Qu. XI. Utrum, qui a nativitate ſunt ſurdi, ſimul muti, atque Cæci, teneantur hoc præcepto? 59

℟. Negative: nam cenſendi ſunt veluti Infantes, aut perpetuo a nativitate Amentes, cum nullo modo inſtrui poſſint, vel reſcire de hoc Miſterio; unde hujuſmodi hominibus non debet dari Euchariſtia. La-Croix *l. quæſt. præc. cit.*

Qu. XII. An teneantur Communionis præcepto, qui ſurdi, ſimul muti, atque Cæci facti ſint poſt uſum rationis? 60

℟. Iis, qui tales facti ſunt poſt uſum rationis, & inſtructionem aliquam; ſecundum Lohner apud La-Croix l. cit. dari poſſe ſolam extremam Unctionem. Sed ait La Croix, ſe non videre, cur non etiam Euchariſtiam, ſaltem pro Viatico? Ego inſuper nec video, cur non etiam in Paſchate, ſi ſciantur, ſufficienter inſtructi fuiſſe circa requiſita? Sed etiam frequenter dari poſſet, ſi ſigna darent, ſe velle Euchariſtiam ſuſcipere; nec videtur in eo caſu poſſe de hoc dubitari.

Qu. XIII. An teneantur præcepto Communionis Paſchalis Energumeni? 61

℟. Communis ſententia, teſte Franciſco De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 5. *qu.* 2. *num.* 12. docet: Energumenos pollentes uſu rationis, eſſe capaces Euchariſtiæ, non minus quam alios fide-

fideles; Nam hominem a Dæmone poſſideri, non eſt culpa, ſed pœna, quæ non reddit illum incapacem Euchariſtiæ, immo nec indignum Communione, neque tales alicubi illa ſimpliciter prohibentur: ut traditur apud Caſſianum *Collat.* 7. *c.* 3. his verbis: *Communionem vero eis* (vexatis a Spiritibus Immundis) *Sacroſanctam a ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam*. Cujus teſtimonii meminit etiam Divus Thomas loco ſtatim laudando.

Quod autem S. Dionyſius Areopagita de Eccl. hierarch. (ſive qui ſit alius Auctor hujuſmodi Operis; vide dicta 9. Octobr. *n.* 3.) lib. 2. c. 3. de Sacramento collectionis, ſeu Communionis, negare videatur; Energumenis eſſe dandam Euchariſtiam, dicens: eos ab inſpectione hujus Sacramenti arcendos eſſe; illum, de Energumenis nondum baptizatis, in quibus ſcilicet nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum: intelligit Divus Thomas 3. *par. qu.* 80. *art.* 9. *ad* 2. & conſentire videtur Suarez ibi *diſp.* 69. *ſect.* 2. *prope fin.* Quod item Concilium Elibertinum Energumenis Euchariſtiam denegare videatur can. 29. dicens: *Energumenum, qui ab erratico Spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione eſſe recitandum:* hujuſmodi Canon ex Suarez, & Franciſco De-Lugo ll. cit. exponendus videtur de iis Energumenis, qui propter publica aliqua ſcelera, publice etiam a dæmonibus vexentur, & ab Eccleſia excommunicentur, juxta exemplum Apoſtoli 1. ad Cor. 5. *Indicavi . . . . tradere hujuſmodi* (fornicarium habentem uxorem patris ſui) *Satanæ, in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Idque arguit Suarez ex eo, quod in eodem allegato Concilio Elibertino Can. 37. dicatur: *Eos, qui a Spiritibus Immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. Si vero fideles fuerint, dandam eis eſſe Communionem*. Nec addatur particula nlla excluſiva; quapropter non eſt intelligendum hic de illo tantum neceſſitatis articulo. Ne igitur Concilium dicatur ſibi contrarium, ſentiendum eſt, in objecto ejuſdem Canone loqui de illis Energumenis, qui propter peccata publica, publice etiam a dæmonibus vexantur; quibus utique denegandam eſſe Communionem, docebimus ex aliis Doctoribus infra.

Verum objecta licet teſtimonia omnino velint intelligi de aliis etiam Energumenis; ita ut in primitiva Eccleſia fuerit iis Communio denegata; reſpondetur, poſtea fuiſſe conceſſa, præſertim poſt Concilium Arauſicanum I. anno Domini 441. celebratum, quod Can. 14. ita habet: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſolicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimode communicent: Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur; vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Energumenis igitur non eſt Euchariſtia deneganda, ſi abſque periculo irreverentiæ poſſint communicare: nam ejus virtute, & auxilio, aut dæmon expelletur, ſi ad hominis bonum expediat: vel certe juvabitur ad hoc, ut patienter, & cum fructu laborem ſuum homo ſuſtineat; ita Suarez. Quam quidem ſententiam, ut dixi, communem, tacite videtur admittere Rituale Rom. Pauli V.

li V. ubi de adminiſtr. Sacr. Euch. dum enumeratis aliis, quibus eſt communio deneganda, de Energumenis nihil dicit, ut animadvertit Cardinalis De-Lugo *de Sacr. Euchar. diſp.* 13. *ſect.* 5. *fine*.

Ex quibus inferunt Layman, & Gob. apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 120. §. 9. *n.* 662. illis dari poſſe etiam crebro, ſi hoc ad ſolatium eorumdem ſpirituale conducat: & favet Caſſianus Collat. 7. c. 30. ubi poſt ſuperius laudata verba: *Communionem vero eis* (Energumenis) *Sacroſanctam a ſenioribus noſtris numquam meminimus interdictam*: ſubdit: *Quinimmo, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertiri eam debere, cenſebant*. Refert attamen Suarez l. cit. o. Timotheum Alexandrinum in ſuis reſponſionibus, capitul. 3. dicentem: Obſeſſos a Dæmone communicandos eſſe non ſingulis diebus, ſed ſtatis temporibus. Quibuſnam vero? Suarez dicit: prudentis arbitrio Paſtoris relinquendum eſſe. Maxime autem dari debet pro Viatico, & Paſchate, quamvis Dæmon impediat, quominus profiteantur Chriſtum præſentem; *Layman*, *Gob. Lobner apud La Croix l. cit.* Semper tamen abeſſe debet periculum irreverentiæ; ut monent La-Croix l. cit. Tamb. *Meth. exped. comm. c.* 4. §. 1. *n.* 3. Reginal. *l.* 29. *qu.* 4. *n.* 80.

Quod autem Divus Thomas loc. cit. ait: de baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſſe rationem eamdem, ac de aliis amentibus: id procul dubio dicit propter illos Energumenos, qui rationis uſu privantur; profecto, ut recte monet Suarez l. cit. ſi Energumenus privetur omnino rationis uſu, eadem ſervati debent cum eo, ac cum amentibus hujuſmodi, de quibus nos egimus qu. 8.

Quoties vero Energumeni ob ſua ipſorum peccata poſſideantur a Dæmone, negandam illis eſſe Communionem, docent Alenſis, Sylv., Palud. & alii innominatim apud Franc. De Lugo loc. cit. *num.* 11. eo quod tales Energumeni quaſi publici peccatores reputentur. Hoc tamen eſt admittendum in eo tantummodo caſu, quo certum ſit, & non dubium; ob ſua ipſorum crimina traditos fuiſſe Satanæ; Rurſus ob peccata publica; inſuper adde, de quibus conſtet, eoſdem pœnitentiam non egiſſe; Conſentit Franc. De-Lugo *n.* 12. favetque Concilium Arauſicanum I. ſuo ipſius Decreto ſuperius allegato; & huc etiam facere videtur, quod ſcribit S. Gregorius P. lib. 2. indict. 10. epiſt. 5. ac refertur *C. Cum percuſſio* 2. 7. qu. 1. *Cum percuſſio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur: & ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio: ne nos culpæ (quod abſit,) offenſa reſpiciat*.

Qu. XIV. An teneantur infirmi, qui non poſſunt domo exire? 65

℞. 1. Cum Parochus teneatur per ſe ipſum, vel per alium deferre Paſchali tempore Sacram Euchariſtiam ad infirmos, ut communicent; (*Ritual. Rom. de Comm. Paſch.* Vide dicenda *ſect.* 8. & de obligatione miniſtrandi Euchariſtiam Parochianis videri poteſt Reginaldus *l.* 29. *c.* 5. *qu.* 5. *n.* 65. & 96. Barboſa *de offic. Paroch. par.* 2. *c.* 20. *a n.* 13.) Hinc quando Parochus potens, & volens ſatisfacere huic ſuæ obligationi, deferat ad infirmos tempore Paſchali Euchariſtiam: Certum eſt, infirmos tene-

Digitized by Google

teneri tunc communicare, ad implendum præceptum Communionis Paſchalis; Cum jam ceſſet impedimentum ex infirmitate, quod obſtabat.

℞. 2. Si infirmus habeat privilegium audiendi domi ſuæ Miſſam, & inſuper Communicandi: puto eum teneri communicare tempore Paſchali, ſaltem ſi Miſſa ibi dicatur; Etſi Parochus eidem non deferat Euchariſtiam, ſeu non mittat Communionem. Ratio eſt eadem, imo potior, ac pro Miſſa: Sicut enim tenetur audire Miſſam in diebus feſtis domi ſuæ, ac uti privilegio ſuo, ad implendum præceptum auditionis Miſſæ, ſi in Oratorio ſuo privato de facto dicatur: Franc. De-Lugo *l.* 5. *de Miſſ. cap.* 6. *qu.* 5. *num.* 39. La-Croix *l.* 3. *p.* 1. *qu.* 159. *§.* 1. *nu.* 676. & alii: Vide dicta hoc *tract.*2. *lib.* 4. *p.* 1. *cap.* 2. *art.* 1. *ſect.* 1. *ſubſ.* 6. *qu.* 12. *n.* 233. ita ſimiliter communicare tenetur in Paſchate ac uti ſuo privilegio communicandi, ad implendum præceptum Communionis Paſchalis, ſaltem ſi ibi Miſſa dicatur. Et ratio pro utroque eſt, quia tenetur quis uti privilegio ſuo habilitativo, id eſt auferente impedimentum, vel difficultatem implendi præceptum; Vide La-Croix *lib.* 1. *de legib. qu.* 139. *§.* 6. *n.* 847.

Dices: Pontificem in Bulla Cruciatæ concedendo, ut in Oratorio privato quis poſſit Euchariſtiam recipere: expreſſe excipere diem Paſchæ.

℞. Per hujuſmodi Exceptionem, vel prohibetur communio ſolum in Dominica Paſchæ, & abſolute, hoc eſt, etiam ex alia intentione, quam ſatisfaciendi præcepto Paſchali; ita ut ſimpliciter non poſſit fieri communio in Oratorio privato ab hujuſmodi privilegiatis in ſola Dom. Reſurrectionis. Vel prohibetur Communio ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali toto Paſchali tempore, ſeu tempore præcepti Paſchalis; ita ut ſenſus tantummodo ſit: non ſatisfieri ab hujuſmodi privilegiatis præcepto Paſchali, communicando in Oratorio privato. Jamvero ſi primum; poterit prædictus Ægrotus communicare in Oratorio pro Paſchali præcepto alia die, quam in Dominica Reſurrectionis. Si ſecundum: reſpondetur: illam exceptionem Cruciatæ præſcindere ab urgenti neceſſitate, vel licentia Parochi: quemadmodum præſcinditur in ſimili exceptione facta in privilegio Mendicantium, qui nimirum poſſunt aliis miniſtrare Communionem in ſuis Eccleſiis, præter quam in die Paſchæ; ita Quintanadvennas, & De-Lugo apud ipſum *to.* 1. *ſingular. tr.* 4. *de Euch. ſingul.* 12. *num.* 6. Vide dicenda *ſect.* 5. *nu.* 93. *prope fin.* & ibidem *qu.* 2. 4. & 5.

℞. 3. Ad quæſtionem propoſitam: Infirmi, quibus tempore Paſchali non defeatur communio, nec habent privilegium communicandi domi ſuæ, ſi non poſſunt exire domo; non tenentur præcepto communicandi in Paſchate. Ratio eſt, quia ad impoſſibile nemo tenetur. An autem teneantur communicare extra tempus Paſchale, ubi primum convaluerint? Examinavimus *ſect.* 2. *qu.* 11. Quæ diximus de Infirmis, eadem die de càrcere detentis.

In quibuſdam locis mulieres poſt partum non ingrediuntur Eccleſiam, niſi poſt quadraginta dies; de qua conſuetudine egimus *tr.* 1. 2. Febr. *art.* 1. *a nu.* 5. Jam vero quod hic ſpectat quoad hujuſmodi puerperas, ſta-

ſtatuit Synodus Colonienſis ſub Maximo Henrico pag. 85. *Ut Paſchalem Communionem domi ſaltem ſumant, neque, donec in Eccleſiam introductæ fuerint, eam differant, niſi Parocho aliud videatur*. Ita refert La-Croix *lib. 6. par. 1. de Euch. qu. 117. §. 12. num. 625.*

63 Qu. XV. An infirmi, carcere detenti, excommunicati, interdicto ſubjecti, vel ſuſpenſi, & quicumque alii ſimiliter impediti, teneantur procurare ſanitatem, excarcerationem, abſolutionem, & remotionem impedimenti, ut poſſint communicare in Paſchate?

℞. Et dico 1. Excommunicatos, & ſimili cenſura innodatos teneri quam primum tollére hoc impedimentum Communionis Paſchalis; Unde ſi ſint in hoc negligentes, & ideo non communicent tempore Paſchali, fore reos tranſgreſſi præcepti Paſchalis, docent Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp. 16. ſect. 2. n. 17.* Franc. De-Lugo *lib. 1. de Sacr. c. 6. qu. 12. Theor. 3. n. 17. & lib. 4. de Euchar. c. 10. qu. 1. n. 7. & lib. 5. de Miſſ. c. 15. qu. 2. nu. 32. & 38.* Navarr. *in man. cap. 21. numer. 45.* Azor. *par. 1. cap. 30. qu. 3.* Tamb. *Meth. exp. comm. c. 4. §. 4. num. 40.* La-Croix *l. 1. qu. 134. §. 13. nu. 794. & l. 6. par. 1. qu. 117. §. 2. n. 615.* Chiavet. *to. 2. conſult. 143. n. 8.* & alii apud ipſos. Contra Dianam *to. 2. edit. coord. tract. 2. R. 14. §. 2.*; & quoſdam alios apud Franc. De-Lugo *lib. 4. de Euch. l. cit. n. 5.*

Præfatæ ſententiæ affirmativæ ego ſubſcribo, maxime quando Communio Paſchalis habeat ſimul reſpectum Communionis annuæ, pro ut explicavi *qu. 3. n. 42.* Hujuſmodi autem ſententiæ ratio eſt, quia præceptum Communionis Annuæ, ſicut & Confeſſionis maxime confert ad animæ ſalutem, & ideo rigide obligat, & conſequenter obligat ad removenda ea præſertim mala ſpiritualia, quæ poſſunt obſtare ipſius præcepti adimpletioni.

Sed Objic. Excommunicatus, & 64
ſimili cenſura innodatus non tenetur procurare abſolutionem, ut audiat Miſſam. Ergo nec tenetur, ut faciat Communionem annuam, aut Confeſſionem.

℞. Negat antecedens Gobat apud La-Croix lib. 1. loco ſupracit. Cæterum, quia plerique alii apud eumdem ibidem id concedunt: dato antecedenti; nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia præcepta Confeſſionis, & Communionis annuæ ſunt multo graviora; quam præceptum audiendi Miſſam, vel jejunandi &c. cum ſint de mediis neceſſariis ad ſalutem; Nec ſunt pure humana, ſed ſimul divina; Quemadmodum reſpective explicatum eſt hic *ſect. 1. x. 1. & 2.* & rurſus in Appendice ad calcem Diarii *c. 13. nu. 1.* & per conſequens ſtrictius obligant ad tollenda impedimenta impletionis, quam præceptum audiendi Miſſam. Franc. De-Lugo *l. cit. n. 7.* Tambur. *l. cit. n. 41.* La-Croix *lib. 6.* ubi ſupra & alii. Dicit etiam eum aliis La-Croix *lib. 1. loco cit.* Eccleſiam noluiſſe præcepto de Miſſa audienda comprehendi excommunicatum, ſed excludi: ſoloſque diſpoſitos obligare ad audiendum: non autem, ut ſe diſponant.

Inſtab. Ergo tenetur etiam infir- 65
mus procurare ſanitatem, & carcere detentus excarcerationem, ut poſſit communicare.

℞. Concedi poſſet conſequentia, ſe-

ſecundum aliquos; etſi alii illam negent, qui diſparitatem aſſignant, ut videbimus modo in Reſp. 2. ad quæſtionem propoſitam. Interim

66 Nota : quod ii, qui ſuſpenſionis pœna mulctantur, non omnes generatim a Sacramentis prohibeantur. Tunc ergo prædicti ſunt impediti quoad communicandum, ſi quando arceantur, vel ſpeciatim ab Eccleſia, (vide tamen dicenda ſequ. qu. 16.) aut generatim a Sacramentis, vel expreſſe a Sacra Communione; ita Azorius l. ſupra cit. Si excommunicatus nequeat adire Superiorem pro abſolutione; ad quid teneatur, quidve ei liceat in ordine ad Communionem annuam, & Paſchalem? intelligi poteſt ex dictis qu. 3. Tempore Interdicti generalis localis, utrum poſſint, & teneantur Communicare pro Paſchate ii, qui non ſunt excommunicati, aut perſonaliter Interdicti? Examinavimus ſect. præc. qu. 17. Excommunicatos paulo ante Paſcha non eſſe moleſtandos, ſi non communicaverint in Paſchate: notabimus ſect. 6. n. 136. §. *Nota* 4.

67 Deinde ad eamdem hic propoſitam quæſtionem dico 2. infirmos, & carcere detentos ſimileſque impeditos procurare teneri ſanitatem, excarcerationem, & remotionem impedimenti, ut poſſint in Paſchate communicare: ſicut de excommunicatis, vel ſimili cenſura impeditis diximus ſupra reſp. præc. volunt aliqui, quorum ſententiam, in ſpecie loquens de carcere detentis, tamquam probabiliorem, cum Salmanticen. tuetur Ligorius *lib. 6. tr. 3. c. 2. dub. 2. art. 3. dubit. 4. nu. 299.* Sed communior ſententia cum Suar. Bonac. Fagund. & aliis negat, teſte La-Croix *lib. 1. l. ſupra cit.* Diſparitatem vero, quæ hic eſt, inter excommunicatum, & infirmum, aut carcere detentum, aſſignat Tamburinus l. cit. nu. 40., quia nimirum, cum carcer, & infirmitas ſpiritualia mala non ſint, quemadmodum eſt excommunicatio &c. ideo non tam rigide ad illa removenda præceptum Confeſſionis & Communionis obligabit: ut ipſi etiam timoratæ conſcientiæ, inquit, oſtendunt, qui non multum ſoliciti ſunt de tollendo carcere, vel ægritudine ad hunc finem, ut poſſint confiteri, vel communicare. Enimvero naturalis ad hæc mala corporalia avertenda, ſolicitudo ſatis ſuperque eſt: ita Tamb. Aliam diſparitatem dat Gobat apud La-Croix lib. 1. loco ſupra cit. nimirum quia qui excommunicatur, peccavit contra Eccleſiam, & illi eſt contumax, ſed qui ægrotat, vel tenetur carcere, per hoc non peccavit contra Eccleſiam, nec illi contumax eſt. Ergo Eccleſia reſpectu hujus merito eſt indulgentior, & non adſtringit præceptis illis. Sed quidquid ſit de hac re, quæſtio non videtur multum intereſſe pro praxi. Nam quis eſt infirmus, qui ſanitatem ſolicite non quærat? aut carcere detentus, qui non moveat omnem lapidem, ut libertatem conſequatur? Profecto maxima cura cuique eſt, mala temporalia, & corporalia excutere, & a ſe quanto poteſt longius repellere. Adeoque opus non habet moneri, & excitari, ad quærendam ſanitatem, aut procurandam libertatem, ut poſſit communicare. Quod ipſum intendit Tamburinus, & ipſe quoque notans, ut modo vidimus: naturalem hæc mala temporalia avertendi ſolicitudinem ſatis ſuperque eſſe.

Dixi ſupra: Infirmos, & carcere de-

detentos, *ſimileſque impeditos*. Id eſt *involuntarie* impeditos, enim vero impedimenta voluntaria, & quæ abſque gravi difficultate tolli poſſunt, debere tolli, ut quis confiteri, & communicari poſſit; extra controverſiam eſt; ut animadvertit ipſe Tamburinus l. cit.

68 Qu. XVI. An Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, teneatur communicare pro Paſchate?

℟. Affirmative: non autem poteſt intra, ſed extra Eccleſiam. Hoc indiget explicatione, pro qua ſciendum 1. nomen Eccleſiæ in pœnalibus debere ſtrictiſſime ſumi; ideo nomine Eccleſiæ hic, ex Communi Doctorum ſenſu, venit Templum ab Epiſcopo deputatum ad publice ſacra facienda, ſive autem ſit conſecratum, ſive non. Vide Chiavet. *Conſult.* 152. *nu.* 7. & 12. Sciendum 2. quod is, cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, etſi non poſſit in ea recipere Sacramenta, poteſt tamen extra eam, puta in Oratorio privato approbato, aut etiam in Cœmeterio. Vide Chiavet. l. cit. *n.* 7. & 11.

His poſitis, jam patet aſſertio; patet enim, eum, cui interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, poſſe tempore Paſchali Communicare extra Eccleſiam. Ergo tenetur communicare extra Eccleſiam, ad ſatisfaciendum Præcepto Paſchali.

Nota hic; hujuſmodi interdictum, etſi in feſtivitate Paſchali poſſit ingredi Eccleſiam, non poſſe tamen adhuc in ea recipere Sacramenta. Vide dicenda in Dom. Reſurrect. art. 7. qu. 3.

69 Qu. XVII. An infirmus, qui non valeat communicare, & ſumere Euchariſtiam ſub ſpecie panis; poſſit, debeatque ſumere ſub ſpecie vini, tempore Paſchali, ad ſatisfaciendum præcepto?

℟. Negative: quia præceptum Communionis annuæ, & Paſchalis vel primo conſideretur ex ea parte, qua Eccleſiaſticum eſt, & non obligat in propoſito caſu: eo quod ubi concurrunt duo præcepta Eccleſiaſtica, quæ non poſſint ſimul ſervari, ſervandum eſt, quod gravius eſt; & alterum, dicendum eſt, non obligare in hujuſmodi circumſtantia; jam vero in propoſito caſu concurrit præceptum Eccleſiaſticum Communionis Paſchalis cum præcepto Eccleſiaſtico non communicandi ſub ſpecie vini, niſi ratione conſumandi Sacrificium Miſſæ: de qua re videri poteſt Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 71. ſect. 2. §. *Altera vero pars:* & ſect. 3. §. *dico ſecundo*. Quod præceptum eſt gravius præcepto Communionis Paſchalis: ut patet ex more Eccleſiæ Latinæ, & ex rigore maximo, cum quo in eadem Eccleſia Latina ſervatur. Ergo potius debet omitti præceptum Paſchale, quam communicare ſub ſpecie vini. Ergo in propoſito caſu non poteſt communicari ſub ſpecie vini ad ſatisfaciendum Præcepto Paſchali, quod in poſita circumſtantia non obligat, ſi conſideretur ex ea parte, qua Eccleſiaſticum eſt.

Nec in eodem propoſito caſu obligat præceptum Communionis Paſchalis, etiamſi conſideretur ſecundo ut Communio Annua, unde Divinum eſt, ſeu determinativum præcepti Divini; nam hoc præceptum Divinum non obligat, niſi quando ſervari poteſt cum debita reverentia, principalibus ritibus, & quaſi ſubſtantialibus cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis. Quod ſi in communiori ſententia, ut videre eſt apud Platell. *par.* 5. *de Sacr.*

Digitized by Google

Sacr. c. 4. §. 5. *n.* 454. *fine*, Mend. *in ſtatera opinion. benign. diſſert.* 11. *qu.* 2. *n.* 27. *fine*, La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *de Euch. qu.* 114. §. 8. *n.* 600. Benedict. XIV. *de Miſſa ſect.* 2. *c.* 6. §. 4. id docent Auctores de ipſo præcepto Viatici: non poſſe videlicet ſumere Viaticum ſub ſpecie vini eum, qui non valeat ſub ſpecie panis: a fortiori dicendum eſt, non licere ad Communicandum pro Communione annua: cujus præceptum minus urget, quam illud Viatici. Quamvis ergo præceptum non communicandi ſub ſpecie vini ſit Eccleſiaſticum; Et præceptum Communionis annuæ ſit Divinum, ſeu determinativum præcepti Divini frequentandæ Communionis in decurſu vitæ: tamen in prædicta circumſtantia hoc Divinum præceptum non obligat. Non quod præceptum humanum prævaleat Divino; ſed quia hoc præceptum Divinum non obligat, niſi quando obſervari poteſt cum requiſitis modo ſignificatis. Vide Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 71. *ſect.* 3. circa finem, & La Croix loc. cit.

Nota hic: in prædicto, & ſimili caſu poſſe dari ægro minimam particulam etiam in liquore, vel juſculo: licet hoc moraliter certo ſit prius deſcenſurum; ita Auctores apud La-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *qu.* 107. §. 2. *n.* 142. quod ipſe approbat *qu.* 114. §. 8. *n.* 600. fine, & veterum etiam quibuſdam exemplis confirmat Zacharias in illum locum Patris La-Croix, animadverſione 3.

70 Qu. XVIII. An præcepto Communionis Paſchalis teneantur Hæretici?

℟. Etſi nonnulli id negaverint, probabilior tamen, communiorque ſententia affirmat. Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *de præcept. Commun. Reſol.* 3. §. 6. La-Croix *lib.* 6. *part.* 2. *qu.* 117. §. 3. *nu.* 626. Ratio eſt 1. quia ex Cap. *Omnis utriuſque ſexus fidelis*: Præceptum Communionis annuæ, & Paſchalis ad omnes fideles adultos dirigitur; nomine autem Fidelium omnes baptizati intelligi ſolent: ut notat Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 1. *initio*. Ergo & ad ipſos Hæreticos adultos hoc præceptum dirigitur: nam ipſi ſunt baptizati. Ergo Hæretici adulti tenentur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis. Probatur 2. quia Pontifex in laudato Cap. *Omnis*; tulit legem generalem pro Eccleſiæ ſubditis; Sed Hæretici ſunt ſubditi Eccleſiæ; Ergo comprehenduntur in illo præcepto generaliter, & abſolute prolato; Et lex generaliter loquens, generaliter intelligenda eſt, & ubi abſolute loquitur, abſolute, & ſine ulla diſtinctione ſumi debet, ex juribus vulgatis; ita Diana l. cit.

Qu. XIX. An Infideles, ſeu omnes non baptizati teneantur præcepto Communionis? 71

℟. Negant cum Soto Diana l. cit. *R.* 4. §. 2. Tambur. *Meth. exped. Comm. c.* 4. §. 1. *n.* 2. Th. Sanchez in Sum. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 12. *num.* 15. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. cap.* 10. *n.* 2. Reginal. *lib.* 29. *num.* 82. Alii vero affirmant (intellige in quantum eſt præceptum Divinum); & quidem ſententiam affirmativam communiorem eſſe, teſtatur Cardinalis De-Lugo *de Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 2. *n.* 17. Eam exiſtimat veriorem Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 69. *ſect.* 2. *init.* eamdem probabiliorem videri, ait La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 113. §. 5. *nu.* 585. licet etiam fateatur, oppoſitam eſſe valde probabilem. Rationes pro utraque ſententia videri poſ-

Digitized by Google

ſunt apud eoſdem Laudatos Auctores & videri poſſunt dicenda in Appendice ad calcem Diarii cap. 13. num. 56.

Si autem interroges: An infideles non baptizati teneantur etiam ad determinationem factam ab Eccleſia circa frequentiam Communionis, puta ſingulis annis in Paſchate?

Negat ipſemet Suarez *diſp.* 70. *ſect.* 1. initio, docens, determinationem prædictam explicatam in Cap. *Omnis*; ſolum obligare fideles baptizatos. Similiter La-Croix *lib.* 1. *qu.* 134. §. 6. *n.* 787. docet, Legem de Communione *annua* non obligare Judæum aut ad Communicandum, aut ad hoc, ut fiat Chriſtianus, ſicque incipiat obligari; & poſſit explere (Vide tamen dicenda in Append. l. cit.) Contra vero Cardinalis De-Lugo loc. cit. *nu.* 19. docet: determinationem quoque prædictam ab Eccleſia factam obligare etiam non baptizatos: non quidem per modum præcepti, ſed ut conditionem: qua poſita, obliget illos Chriſti præceptum determinate; atque adeo peccent contra Chriſti Præceptum, ex quo deberent reddi habiles, ad ſumendam Euchariſtiam tali tempore per Eccleſiam determinato, videlicet ſingulis ſaltem annis: Porro uti docuimus *nu.* 1. *&* 2. Eccleſiæ eſt, determinare tempus, quo ſatisfaciendum ſit præcepto Divino ſumendi Euchariſtiam, ſæpius in vitæ decurſu; qua determinatione facta ab Eccleſia pro omni anno ſemel, jam præceptum Divinum Communicandi obligat omni anno ſemel.

72 Qu. XX. An adultus baptizatus tempore Paſchali, vel etiam ultima die, qua exſpirat præceptum Paſchale, teneatur communicare pro Paſchate?

℞. Affirmative reſpondet Jo: Sanchez apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 113. §. 7. *n.* 597. Dicendum quidem eſt: Neophytos ob præciſam recentem converſionem non prohiberi communione, ſed eſſe capaces Euchariſtiæ cum fructu recipiendæ. Quare ſi quis baptizetur adultus, & ſatis ſit inſtructus Myſteriis fidei Chriſtianæ; quam toto corde præſumatur amplecti: poteſt mox poſt baptiſmum, Euchariſtiam accipere. Quin hoc videtur conſultius, inquit Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euch.* *c.* 5. *qu.* 2. *num.* 13. Sic enim præſcribit Rituale Romanum Pauli V. in Adultorum baptiſmo. Si vero Neophyti, vel ob minorem rationis uſum, vel ob infirmiorem affectum honeſtatis, inepti videantur Communioni; in hoc caſu, & ex hoc capite reputandi ſunt tamquam pueri, & ſimiliter cum ipſis agendum in ordine ad Communionem, ac de pueris dicemus mox qu. ſequenti; Et ita docet Franciſcus De-Lugo loc. cit. & videri poſſunt dicta ex Cardinali De-Lugo *qu.* 9.

Qu. XXI. Quoniam fideles obligantur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis, *poſt quam ad annos diſcretionis pervenerint*: Quæres: quandonam homines ad prædictos annos perveniant? Et an teneantur ſtatim, & illico, poſt quam ad annos diſcretionis pervenerint? 73

℞. Pro ſolutione quæſtionis hujus poſſem remittere ad ea, quæ dixi *tr.* 1. *l.* 2. *in fer.* 6. *art.* 1. ubi de præcepto abſtinentiæ a carnibus *qu.* 8. Cæterum ibi dicta, præſenti quæſtioni magis accomodando, repetere non gravabor. Reſpondeo itaque primo ad primam quæſtionis propoſitæ partem, & dico: non una, & eadem eſt Auctorum ſententia de tempore,

& ætate, qua homo pollere uſu rationis incipiat. Dixi: *incipiat*. Enimvero uſus rationis in homine non contingit in inſtanti, uti experientia docet, ſed æquiparatur Soli, qui non æque ſplendet, & illuminat noſtrum aerem abortu ad Meridiem, ſed procedit a claritate, in claritatem, & creſcit uſque ad perfectam diem. Jam vero alii initium ſufficientis uſus rationis in homine arguunt ex ætate; alii ex aliquibus ſignis; & indiciis, dicunt, eſſe diſcendum. Multi itaque arguentes uſum rationis ex ætate, apud La Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 148. §. 3. *n.* 615. dicunt, contingere uſum rationis circa finem ſeptennii. Tamburinus autem *lib.* 1. *in decal. c.* 3. §. 7. *nu.* 6. Franciſcus De Lugo *lib.* 5. *de Miſſa c.* 14. *qu.* 2. *nu.* 15. & aliqui apud laudatum La-Croix *lib.* 1. *qu.* 105. *num.* 676. volunt, non contingere communiter uſum rationis ante ſeptennium completum; quod etiam oſtendit Sanchez *de Matr. lib.* 2. *diſp.* 16. *n.* 2. Gobat vero apud eumdem La-Croix *lib.* 3. *loc. cit.* concedit quidem, pueros educatos in urbe incipere uſu rationis pollere circa finem ſeptennii: quibus utpote melius cultis communiter citius oritur plenum lumen; de ruſticanis autem, aliiſque ſimilibus ſecus judicandum, docet: & contendit cum Kon. Pueros inter nonum, & decimum annum; puellas vero inter octavum, & nonum communiter prius aſſequi plenam diſcretionem. Et idem Gobat apud eumdem La-Croix *eod. lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 106. §. 6. *n.* 387. loquendo de ſuis partibus ſeptentrionalibus, abſolute dicit: ibi ſerius aſſequi plenum uſum rationis; & ut ſignificat, communiter non ante nonum expletum. Hi quidem colligunt ex ætate.

Verum Layman, & Sporer pueros, & puellas eſſe capaces peccati mortalis, & conſequenter ſufficientem uſum rationis habere, non ex ſola ætate, ſed multo magis ex ingenii, & educationis qualitate colligendum eſſe, docent: Et plures alii Doctores apud Franc. De Lugo loc. cit. *n.* 16. dicunt: circa initium rationis in pueris, cum non poſſit regula generalis aſſignari, pro eo dignoſcendo, nam aliis citius, aliis tardius illucet: proinde hujus rei judicium in ſingulis pueris ad Parentum, Parochorum, & Confeſſorum curam pertinere; qui nimirum id arguant ex aliquibus ſignis, & indiciis. Itaque alii uſum rationis in pueris argui volunt ex ingenii, & educationis qualitate, ſeu ex aliquibus ſignis, & indiciis: qualia eſſe poſſent; ſi pueri pudefiant de Mendacio, aut de aliqua impudicitia commiſſa: ſi laudent obedientiam &c. indirecte colligi, quod ſufficienter ratione utantur, quantumcumque parvæ ſint ætatis; cui ſententiæ favet, quod narrat S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialog.* 18. Puerum videlicet damnatum ob peccatum blaſphemiæ, cum nonniſi quinque eſſet annorum. Leſſius putat, pueros tunc eſſe capaces abſolutionis ratione ætatis, ſeu tunc oſtendere uſum habere rationis requiſitæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, & conſequenter ad Sacramentum etiam Euchariſtiæ, ſi ſciant, quid mali malis ſit eventurum; quid boni bonis?

Ex iis ſententiis, ſenſus communis fidelium videtur probare, & confirmare ſententiam illam, quæ docet: pueros, & puellas communiter incipere, pollere ſufficienti rationis uſu, completo ſeptennio a Nativitate.

te. Enimvero ex una parte, præcepta Eccleſiæ non obligant Fideles ante rationis uſum. Profecto qui non habet uſum rationis, non poteſt ligari præceptis; cum nullam actionem humanam valeat exercere. Ex alia parte vero illi, quibus cura eſt de bono ſpirituali puerorum, non ſunt ſolicici, ut a pueris præcepta ſerventur Eccleſiæ ante ſeptennium. Completo autem ſeptennio, ſtatim diligenter curant, ut aſſiſtant Miſſæ, ut abſtineant a carnibus, & lacticiniis. Ergo ſenſus communis fidelium putat, homines ſufficienti rationis uſu pollere incipere poſt ſeptennium; qui ſenſus utpote communis, facit ſententiam probabiliſſimam, ac tutiſſime amplectendam: maxime, quia Paſtores, & Prælati Eccleſiæ hoc ſciunt, nec contradicunt. Ergo & ipſi probant, atque confirmant. Itaque ad primam partem propoſitæ quæſtionis, in qua quæritur: quandonam homines ad annos diſcretionis perveniant? Reſpondetur: communiter pervenire completo ſeptennio.

74 Reſpondeo nunc ad ſecundam partem quæſtionis ejuſdem, in qua quæritur: An ſtatim, & illico, quod fideles ad annos diſcretionis pervenerint, obligentur ad communionem annuam, & Paſchalem? Ad quod, omiſſa aliquorum opinione, qui, etiam generaliter loquendo, putarunt, fideles non teneri uſque ad duodecimum, vel adhuc decimum quartum annum ſumere Euchariſtiam Paſchali tempore: quæ opinio tamquam nimis laxa rejicitur communiſſime: Itemque omiſſa opinione altera omnino oppoſita Joannis Sanchez, qui teſte Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.*96. voluit, pueros, ſtatim ac habent uſum rationis, eſſe communicandos: Dico igitur, quod cum ad ſuſceptionem Euchariſtiæ per ſe non ſufficiat perveniſſe ſimpliciter ad annos diſcretionis, ſed etiam requiratur, ut reverenter, quemadmodum par eſt, ſuſcipiatur; unde conſulto Eccleſia de præcepto Communionis loquuta eſt limitate, dicens: ſuſcipiens *reverenter* Euchariſtiæ Sacramentum. Quam limitationem non adhibuit pro Sacramento pœnitentiæ: Dixit enim ſimpliciter: *ſemel in anno confiteatur;* innuens, pro illo Sacramento ſufficere ſimpliciter uſum rationis, ad hoc ut illo teneantur fideles: ſecus vero pro Sacramento Euchariſtiæ, ad quod exigitur adhuc, *ut reverenter* ſuſcipiatur: quemadmodum animadvertit Cardinalis De-Lugo *de Euch. cit. ſect.* 4. *n.*36. Thom. Sanchez. in Sum. *tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. & Salas *qu.* 96. *tr.* 14. *ſect.* 13. *n.* 127. §. *Dico tertio*. Conſonat Rituale Rom. *tit. de Euch. Sacram.* monens quod *iis, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet*. Hinc non ſtatim ac pueri, & puellæ uſu rationis pollere incipere animadvertuntur, illico ad Communionem annuam, & Paſchalem cogendi ſunt; ſed expectandum eſt, donec lucifer magis elucescat in cordibus eorum, & pleniorem uſum rationis acquirant, magiſque videantur inſtructi in ordine ad ea, quæ conferunt ad Sacramentum Euchariſtiæ reverenter ſuſcipiendum. Et hæc quidem eſt praxis Eccleſiæ, de qua teſtantur Suarez, & Cardinalis De-Lugo ll. cit. Dicaſtill. apud La-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *qu.* 118. §. 5. *n.*649. Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 5. *qu.* 3. *n.* 26. & 27. & Viva *in prop.* 23. *Alex. VIII. nu.* 11. *ubi*

Digitized by Google

ubi ait: in tota Eccleſia moris eſſe, pueris Communionem Paſchalem differri per tres, vel quatuor circiter annos poſt uſum rationis; id ipſum ſignificat Cardinalis De-Lugo loc. cit.

Non obligantur ergo pueri, & puellæ ad communicandum, etiam ex præcepto Divino (extra tamen articulum mortis. vid. dicen. inferius *n.* 75.) hoc ipſo quod tantum lumen rationis habeant, ut diſcernant hunc cibum Spiritualem a Corporali: ſed tum tenentur, quando a parentibus, vel aliis, qui ſint loco Parentum, (qui tenentur curare, ut interrogentur proprii Sacerdotes;) vel a Parocho, ſeu proprio Sacerdote, ſive Confeſſario fuerint moniti. Suar. cit. §. *Deinde*. Platell. *par.* 1. *de Sacr. c.* 4. §. 5. *n.* 430. Franc. De Lugo *lib.* 1. *de Sacram. c.* 6. *qu.* 6. *Theor.* 3. *nu.* 16. & rurſus loco ſupra cit. Cardinal. De-Lugo *numer.* 33. *fine*. Qui attendere debent non ad annos præciſe, ſed potiſſimum ad maturitatem judicii, & ſpem reverentiæ debitæ ab illis exhibendæ. Imo Reginal. *lib.* 29. *qu.* 4. *n.* 84. Salas *loc. cit.* Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *qu.* 10. *fine*. Emman. Rodriq. *in ſum par.* 1. *c.* 64. *nu.* 2. docent, admodum parvulis, etiamſi polleant judicio, & maturitatem habeant, non eſſe dandam communionem, ne alii offendantur, qui eorum prudentiam ignorant; Vide tamen dicenda inferius num. ſequ. fine. Utque magis inutiles ſcrupulos caveamus in hac materia, & magis reverentiæ tanto debitæ Sacramento conſulamus; Addimus ex Cardinali De-Lugo l. cit. *n.* 39. multos etiam eſſe, quibus licite adhuc differtur ad annum ſequentem, ut nempe melius ſe præparent, & cum majori reverentia accedant.

Verumtamen ſicuti puerorum Communio non ita eſt properanda, ut impediat congruum diſpoſitionis augmentum juxta capacitatem ſubjecti; ita nec eſt tamdiu differenda, ut in detrimentum magis, quam profectum vergat ipſorum. Hac itaque in re Confeſſarii requiritur prudentia non mediocris, qui ſolerter perpendat pueri captum, educationem, inſtitutionem; ut in re, quæ pertinet ad congruentiam prudentialem, attingat medium convenientiæ majoris, & ad neutrum vitioſum declinet extremum; ut recte monet Franc. De-Luuo *l.* 4. *cit. n.* 27.

Si vis autem ſufficientem uſum rationis, & ſpem reverentiæ debitæ ad ſuſceptionem hujuſmodi Sacramenti, & obligationem præcepti Paſchalis communiter colligere ex ætate, potes reſpicere conſuetudinem communiorem fidelium, ex qua, ut ſupra diximus ex Viva, miniſtratur pueris Communio Paſchalis poſt tres, vel quatuor circiter annos ab uſu rationis. Uſus autem rationis *initium*, ſecundum ſupradicta, ſenſus communis eorumdem fidelium videtur ponere poſt ſeptennium completum. Ergo praxis fidelium habet, ut pueri communicent poſt decimum, vel undecimum circiter annum. La Croix *ſupra cit. qu.* 118. §. 2. *n.* 646. ait: uſum habere, ut pueri non communicent ante annum decimum, vel undecimum; Et deinde notat cum Averſa intra latitudinem ætatis a decimo ad decimum quartum annum debere pueros ad Communionem admitti; quod etiam docet Suarez cit. §. *Deinde*. Si qui tamen poſt decimum quartum annum adhuc habeant debi-

debilem rationis uſum, inſtrui debent, quoad poſſint, de neceſſariis ad Euchariſtiam recipiendam: quia jam ligantur ejus præcepto, cum attigerint pubertatem, in qua ex jure cenſentur apti Matrimonio, quod magnam deliberationem requirit: nec ſperatur diſcretionis augmentum in ætate robuſtiori: cum tamen in illa propter debilem rationis uſum Euchariſtia non ſit deneganda, ſecundum dicta qu. 9. Profecto Pia Mater Eccleſia, de fidelium ſalute ſolicita, neminem adultorum, capacem peccandi, vult defraudare tam neceſſario Sacramento per totam vitam, nec per diuturnam moram; ut cum aliis totat Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 5. *qu.* 3. *n.* 28.

Doctrinas hactenus traditas reſpective confirmant adhuc Reginal. *lib.* 39. *qu.* 4. *a num.* 82. Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. c. 4. *num.* 8. Salas *qu.* 96. *tr.* 14. *ſect.* 13. *n.* 127. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 30. *qu.* 10. Thom. Sanch. *in ſum. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *num.* 6. Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr. de præc. comm. Reſol.* 5. & 6. Emm. Rodriqu. *in ſum. c.* 64. *n.* 2. Armilla V. *Communio n.* 3. Felix Poteſtas *to.* 1. *par.* 3. *de* 3. *præc. Eccl. n.* 2926. La-Croix *lib.* 6. *de Euchar. par.* 1. *qu.* 118. §. 5. & 6. *nu.* 649. & *ſequenti*. Raynaud. *to.* 6. *Candel. Sanct. Euch. Onomaſt. Euchar. ſect.* 5. *lit. c.* ad illa verba *Cibus grandium*. §. *poteſt ſecundo loco. in fin.*

75 Nota hic 1. quod, etſi nonnulli apud Franc. De-Lugo *lib.* 4. *cit. nu.* 30. velint: Pueris urgente præcepto dumtaxat miniſtrandam eſſe Communionem: dicendum tamen, & his poſſe adhuc frequenter concedi; non tam frequenter vero, quemadmodum & cæteris maturioribus, ut eam permittit Jo: Sanchez *diſp.* 26. *numer.* 5. ex eo quia ſi dum ſemel tempore præcepti communicant, nullam irreverentiam committunt: nec illam committent, inquit, ſæpius communicando: cum tam homo ſuſcipiens, quam Sacramentum ſuſceptum ſint ſemper unum, & idem, nec gratia comparata per heſternam Communionem Communioni hodiernæ videatur irreverentiam afferre; ita ille. Sed huic rationi obſtat, quod, qui debilioris judicii ſunt, facilius, ex frequentia divinorum, labuntur in contemptum eorum. Unde Joannis Sanchez hujuſmodi ſententiam rejicit Diana *to.* 2. *edit. coord. tract.* 2. *R.* 96. §. 2. ubi etiam illam tamquam nimis laxam reprehendit. Pueri itaque cum per ætatem non habeant judicium, quo ſufficienter æſtiment hoc diviniſſimum Sacramentum, ideo etiam poſteaquam cœperint communicare pro præcepto Paſchali, raro admittendi ſunt ad Communionem, & nonniſi quando aviditatem, & ſpiritualem quamdam famem oſtendant, ac ſe diligentius ſolito præpararent: ne frequentia magna paulatim gignat contemptum, & quoddam faſtidium: ut etiam monet La-Croix l. cit. qu. 119. fine; & conſentit Franc. De-Lugo cit. lib. 4. num. 31.

Nota 2. quod cum docuerimus hu. præcedenti; pueros non obligari ad Communionem etiam ex præc. divino faciendam, ſtatim ac habeant plenum uſum rationis, ſed poſſe expectari &c. addidimus: *extra tamen articulum mortis*: quæ exceptio facta eſt, quia ad Viaticum dandum pueris, minor ætas, & minor rationis uſus, quam ad Communionem annuam, & Paſchalem ſufficit; nimi-

rum

rum ſi habeant ſufficientem rationis uſum ad peccandum, & jam capaces ſint Sacramentalis Confeſſionis, dandum eſt ipſis Viaticum, etiamſi nondum cœperint communicare pro præcepto Paſchali. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 1. *fine*. Cardinalis De-Lugo *de Euchar. diſp.* 13. *ſect.* 4. *n.* 37. Reginal. *loc. cit. n.* 84. Salas *l. cit. n.* 127. §. *Dico tertio*. Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 1. La Croix *loc. cit. qu.* 118. §. 3. *n.* 647. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 5. *qu.* 3. *a n.* 22. contra alios ab ipſo adductos *n.* 15. An autem dandum ſit Viaticum, quando dubitatur de pueri capacitate? Examinat Cardinalis De-Lugo *cit. ſect.* 4. *a n.* 40. qui videri poteſt. Quod ſi puer ſumpto Viatico convaluerit, teneri eum deinceps communicare in Paſchate, utpote ad Euchariſtiam ſuſcipiendam jam admiſſum: opinionem omnium eſſe, teſtatur Hippolytus Tonellius *in Enchiridio de cærem. Miſſ. lib.* 1. *c.* 1. §. 6. *nu.* 21. *fine*.

76 Nullo autem modo dari debet, nec poteſt Communio pueris ante uſum rationis; Etſi enim mos iſte per aliquot ſæcula fuerit in Eccleſia, ut tradunt plures Auctores apud Raynaud. *to.* 6. *Candelabr. Sanct. de Euch. ſect.* 5. *Onomaſt. Euch. lit. C.* in illa verba: *Cibus grandium:* §. *poteſt ſecundo loco;* Et apud Cardinal. De-Lugo *de Sacram. Euchar. diſp.* 13. *ſect.* 2. *n.* 11. Et habemus etiam ex Tridentino ſeſſ. 21. c. 4. Et quidem cum fructu eorumdem Infantium, & gratiæ in illis augmento, ut probat laudatus Cardinalis De-Lugo *citat. ſect.* 2. Raynaud. *loc. cit.* & Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. cap.* 5. *quæſt.* 1. & habet communis cum Di-caſtill. *d.* 9. *d.* 11. contra Major. Sot. Cathar., & alios apud Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp. d.* 62. *ſect.* 4. & apud Cardinal. De-Lugo *cit. ſect.* 2. *n.* 9. & apud Raynaud. & Franc. De Lugo ll. cit. Deinde vero, & nunc in Eccleſia Latina: ut proſpiceretur reverentiæ tanti, ac talis Sacramenti, graviter prohibitum eſt, præbere, ſeu admittere ad Communionem ſacram Infantes, ſeu pueros, & puellas ante uſum rationis. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 69. *ſect.* 2. *dub.* 2. *fine*. Raynaud. *loc. cit. & præc. ſect.* 4. *c.* 4. *num.* 19. Benedictus XIV. *loc. cit.* Et licet Tridentinum *l. cit. & can.* 4. ſolum dicat: non eſſe neceſſariam Euchariſtiam parvulis: nec addat: nunc illicitum eſſe dare: nec alibi reperiatur tale præceptum: tamen Eccleſiæ Romanæ conſuetudo tradita jam in Rituali Romano Pauli V. *de Sacr. Euch. poſt init.* vim habere præcepti prohibentis communicare parvulos, & Amentes, qui numquam fuerint rationis compotes: docet Cardinalis De-Lugo *cit. diſp.* 13. *ſect.* 4. *initio*. Franc. De-Lugo *l. cit. qu.* 3. *num.* 14. Jam enim exiſtimatum eſt, conſiderata perſonarum, & temporum qualitate, ad debitam hujus Sacramenti venerationem ita expedire; ut notat Suar. cit. dub. 2. fine. Et quamvis hactenus permiſſum fuerit Græcis miniſtrare Euchariſtiam pueris ante uſum rationis, noviſſime tamen id eſt ipſis etiam interdictum ex Benedicto XIV. Bull. 57. *Etſi Paſtoralis* §. 2. *n.* 7. *to.* 1. ſui Bullar.

Qu. XXII. An ſit certa aliqua ætas, ad quam perveniendo fideles, 77
excuſentur a præcepto Communionis Paſchalis?

℞. Affirmavit quidam apud Chiavettam conſult. 174. nu. 1. dicens: octo-

octogenarios eſſe a præcepto Communionis Paſchalis, auditionis Miſſæ, cæteriſque Eccleſiaſticis, inſuper & divinis præceptis ſolntos, eo quia fiant veluti parvuli ante ſeptennium, qui nullis legibus tenentur.

Sed omnino dicendum eſt: Octogenarios, & cujuſcumque alterius devexioris, & gravioris ætatis ſenes non excuſari, nec ſolvi ratione ſolius ætatis, præcepto Communionis Paſchalis, ſed teneri uſque dum ſufficienti rationis uſu fruantur. Patet ex *Cap. Omnis;* quod ſect. 1. allegavimus, ex quo obligatur ad Communionem Paſchalem *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſt quam ad annos diſcretionis pervenerit.* Et non apponitur tempus ullum, quo hujuſmodi præceptum deſinat obligare. Et merito quidem, nam præter alias congruentias, hoc præceptum eſt determinativum præcepti Divini communicandi ſæpius in vita, ut docuimus initio ſectionis primæ, unde ſi non adeſſet præceptum Eccleſiæ Communicandi in Paſchate, alias eſſet obligatio communicandi ſæpius in vita ex præc. Divino. Vide dicta qu. 2. Præceptum autem Divinum communicandi ſæpius in vita obligat omnes ratione utentes, & non admittit tempus ſolutionis, durante rationis uſu.

Nec obſtat, quod, ſecundum aliquos Doctores, excuſentur a jejunio ſenes etiam ſeptuagenarii, & tamen illud præceptum abſolute feratur, & non apponatur ab Eccleſia terminus illius obſervationi. Hoc, inquam, non obſtat; enim vero, ideo aliqui Doctores excuſant ſeptuagennarios a jejunio, quia dicunt, per ſe ſeptuagenariam ætatem afferre defectum virium talem, ac tantum, ut cum eo defectu minime ſit compoſſibile jejunium; Porro humana præcepta non obligant cum notabili, & gravi detrimento. Quodnam autem ſalutis corporalis detrimentum poteſt afferre communio Paſchalis, propter quod octogenarii excuſari dicantur ab ea? ut etiam obſervat Chiavetta loc. cit. *n.* 4. Non ergo præciſe propter ætatem excuſari quis umquam poterit, a præcepto Paſchali, ſimilibuſque præceptis Eccleſiaſticis, atque Divinis.

Quod ſi hujuſmodi, ſimileſque ſenes decrepiti, propter maximam debilitatem virium, Eccleſiam adire non valeant, tunc quidem de illis dicendum erit, quod de infirmis diximus qu. 14. Similiter ſi in iiſdem rationis uſus multum, vel plane defecerit: etiam de illis dicendum erit quod de amentibus, & ſtolidis diximus qu. 8. & 9.

Qu. XXIII. An poſſis, & teneaaris communicare pro Paſchate ex manu Miniſtri, quem ſcias peccaturum in adminiſtratione Euchariſtiæ? 78

℞. Vel hujuſmodi miniſtraturus cum peccato, eſt tuus Parochus, aut ejus delegatus, vel non? Si eſt proprius tuus Parochus, aut ejus delegatus; potes, & teneris de ipſius manu Communicare in Paſchate, quia eſt neceſſitas ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ, communicandi in Paſchate, & quidem de manu ſui Parochi, aut ipſius delegati: ut dicemus ſect. 5. Neceſſitas autem hæc excuſat te, & facit tibi licitum, petere, & recipere Communionem ab hujuſmodi Miniſtro. Cum autem licite poſſis petere, & recipere, non eſt, cur excuſeris a petendo, & recipiendo id, ad quod teneris. Vide Franc. De-Lugo *lib.* 1. *de Sacr. c.* 5. *qu.* 3. Quod autem Parochus, aut ejus

ejus delegatus peccet miniſtrando, ſibi imputet; Ex una parte etenim tenetur miniſtrare, ſi eſt Parochus; aut libere ſe obtulit, aut acceptavit miniſtrare, ſi eſt Parochi delegatus; Ex altera parte poſſet quidem licite, & digne miniſtrare, ſi vellet, puta confitendo, aut conterendo ſe &c. Ita quidem ſi eſt tuus Parochus, aut ejus delegatus, ac ſubſtitutus. Si autem in peccato miniſtraturus Sacerdos, non ſit tuus Parochus, nec ipſius delegatus: ſubdiſtinguo: vel adeſt alter Sacerdos, qui ſine peccato, ut putetur, miniſtrare poteſt; vel non? Si non adeſt alter, & non potes differre communionem in alium diem intra tempus Paſchale: potes petere, & recipere, quia eſt neceſſitas communicandi, ut jam dictum eſt; dummodo Miniſter nequaquam ſit excommunicatus non toleratus, ut infra dicemus num. 80. Si adeſt alter, qui ſine peccato, ut putetur, miniſtret; teneris quidem communicare pro præcepto Paſchali, ſed non potes petere ab illo priori, qui cum peccato miniſtraturus erit; ratione ducta ex communi regula Charitatis, præſcribente generaliter: ut, ſi commode poſſumus, & ſine gravi detrimento, tollamus proximis occaſionem peccandi, quamvis ex fragilitate, vel etiam malitia ſua lapſuri ſint. Ergo quando poſſumus recipere Sacramentum ab alio, qui pari ſatisfactione miniſtrabit, & ſine peccato; non licebit inducere Miniſtrum, qui ſacrilege miniſtraturus ſit. Ita Franc. De-Lugo l. cit. nu. 25. Ex qua etiam ratione habes: quod ſi non ſit alter, qui ſine peccato miniſtret, teneris differre Communionem in alium diem intra tempus præcepti Paſchalis, ſi potes; ideo ſupra dicens: *ſi non adeſt alter*: addidi: *& ſi non potes differre*.

Quale peccatum ſit, recipere Sacramentum ab indigno Miniſtro, quando poſſumus æque commode recipere ab altero, qui digne, ſeu ſine peccato miniſtret; vel quando ſine diſpendio poſſumus differre receptionem, ita ut vere deficiat neceſſitas? Examinat laudatus De-Lugo *loc. cit. a n.* 28. qui videri poteſt.

79 Interim objic. contra priorem reſponſionem factum S. Hermenegildi Regis, & Martyris, quod refert, & laudat S. Gregorius *lib.* 3. *Dialog.* *c.* 31. & ipſa Eccleſia approbat, dum proponit in lectionibus 2 Noctur. in offic. prædicti S. Martyris die 13. April. his verbis: ... *Superveniente autem Paſchalis feſtivitatis die, intempeſtæ noctis ſilentio, ad eum perfidus Pater Arianum Epiſcopum miſit, ut ex ejus manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad Patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus; Ariano Epiſcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejuſque a ſe perfidiam dignis increpationibus repulit:* Commendatur itaque S. Hermenegildus, eo quod Communionem etiam Paſchalem de manu Epiſcopi procul dubio ſui, ut ex circumſtantiis colligitur, recipere noluerit, cum ille eſſet hæreticus, atque adeo in peccato adminiſtraret Euchariſtiam. Ergo non licet Communicare in Paſchate per manus ſui etiam Parochi, quem quis noverit in peccato adminiſtraturum Euchariſtiam; ſed potius debet communio Paſchalis omitti, ſi alter Sacerdos non adſit de cujus manu rite recipi communio poſſit.

℟. Sanctum Hermenegildum in expoſito caſu non recuſaſſe, ſumere Euchariſtiam, quia Miniſter erat præciſe in

Digitized by Google

in peccato mortali, ſed quia erat miniſter non toleratus, utpote Epiſcopus Hæreticus. Imo ſi quis velit laudatum S. Martyrem tunc fuiſſe in articulo, ſeu proximo periculo mortis, quam quidem impius & perfidus Pater poſt prædictam recuſationem ipſi ſtatim intulit: dici poſſet: Eum nec quia Epiſcopus ille erat præciſe hæreticus, & Miniſter non toleratus, recuſaſſe ab illo Communionem recipere, ſed quia in illis circumſtantiis ſi recepiſſet, præbuiſſet ſcandalum, & ſequuta fuiſſet infamia Religionis Catholicæ, adeoque non licebat; ita Franc. De-Lugo *loc. cit. qu.* 1. *num.* 9.

80 Ex quibus tantum ſequitur primo, Præceptum Paſchale non eſſe tantæ neceſſitatis, ut liceat ſumere Communionem a Miniſtro cenſura ligato non tolerato. Collige ex laudato De-Lugo *cit. qu.* 1. Illi autem dicuntur non tolerati, qui ſunt nominatim excommunicati, & publice denunciati, notorii percuſſores Clerici, publice in perpetuum degradati, publice; & nominatim ſuſpenſi, publice irregulares per ſententiam; ita ex Henriq. La-Croix *lib. 6. par.* 1. *qu.* 38. §. 2. *n.* 210. qui etiam ex Platell. addit publicos fornicarios, vel concubinarios in quibuſdam Diœceſibus Belgii: A Sacerdote autem tolerato poteſt, atque adeo debet peti Communio Paſchalis, ſi alter non adſit, qui miniſtrari poſſit nulla Cenſura ligatus; Si autem adſit, qui nulla ſit cenſura ligatus, tunc, vel putatur ille, qui eſt cenſura ligatus toleratus, miniſtraturus cum peccato, vel ſine peccato: Si putetur miniſtraturus cum peccato, non debet, nec poteſt ab hujuſmodi etiam tolerato peti, ſed ab altero, qui nulla cenſura ligatus digne, & ſine peccato miniſtret, ob rationem ſupradictam vitandi ſcandali. Si vero putetur ille excommunicatus toleratus ſine peccato miniſtraturus, probabile eſt, poſſe adhuc peti ab hujuſmodi Sacerdote tolerato. Quamvis probabilius ſit oppoſitum; Vid. Franc. De-Lugo *qu.* 2. & La-Croix *l. cit.* §. 3. *n.* 211. & 212. Ex eiſdem autem De-Lugo *loc. cit. nu.* 17. & La-Croix *l. cit.* §. 4. *nu.* 215. etiam habes: Non poſſe Miniſtrum excommunicatum, quamvis toleratum, ſe offerre, aut ingerere, ad miniſtrandum Sacramentum; Sed in caſu, quo rogetur a volentibus recipere, poſſe illis miniſtrare, dummodo prius conteratur, & abſolutionem cenſuræ procuret, vel ſi nequeat illam obtinere, proponat, ſe petiturum, & ſic licite miniſtrare poterit Sacramentum. Vide Franc. De-Lugo cit. n. 17. & 18.

Sequitur 2. ex prædicto S. Hermenegildi exemplo, nec in articulo mortis poſſe recipi Sacramentum Euchariſtiæ a Miniſtro hæretico, ſi tales fuerint circumſtantiæ, quod ſequeretur ſcandalum, & infamia Religionis Catholicæ. Franc. De-Lugo qu. 1. n. 9. Monemus autem hic: recipientem Sacramenta non debere miniſtrantis conſcientiam indagare; nec inquirere: an ſit miniſtraturus in peccato? quoniam hæc cura non eſt ipſi commiſſa; dum enim nobis morali certitudine non conſtat, Miniſtrum indigne miniſtraturum; præſumere debemus, vel eſſe probum, vel digne miniſtraturum. Quivis enim præſumitur bonus, & operari recte, donec oppoſitum conſtet manifeſte. Quare licet viderimus, Sacerdotem paulo ante peccaſſe mortaliter, credere poſſumus, conterendum, priuſ-

quam adminiſtret; niſi conſtaret, illum jamdiu alicujus peccati mortalis conſuetudine detineri ſine cura ſalutis propriæ; tunc etenim major prudentia requiritur, ut Sacramentum ab hujuſmodi Miniſtro petatur. Uti cum aliis monet Franc. De-Lugo *qu.* 30. *n.* 20. & videri etiam poteſt La-Croix *loc. cit.* §. 5. *n.* 216. Difficultas ergo initio propoſita procedere poteſt, quando prudenter quis conjectetur ex circumſtantiis: Miniſtrum ſacrilege miniſtraturum. Quo caſu gerere ſe debet, ut jam reſolvimus.

81 Qu. XXIV. An poſſet dari pecunia, aut aliquid ſimile temporale, pro recipienda Communione Paſchali: ſi Miniſter nollet miniſtrare, niſi pro hujuſmodi pretio; Vel potius deberet omitti prædicta Communio?

℞. Si pecunia, aut quid ſimile temporale non peteretur, nec offerretur in pretium Sacramenti, ſed ex alio fine, puta, propter laborem, & difficultatem aliquam, quæ miniſtro ſubeunda foret, vel ad redimendam ejus vexationem, & pravum affectum, ex quo negaret: putat Petrus Hurtado apud Franc. De-Lugo *lib.* 1. *de Sacr. c.* 5. *qu.* 5. *n.* 39. videri dicendum: quod liceret, adeoque deberet, ſi commode poſſet, præberi pecunia, aut quid temporale, ut miniſtretur Communio in Paſchate, quæ ſecus eſſet omittenda. Idem docet de Confeſſione annua. Videri etiam poteſt La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 32. §. 2. *n.* 159. Sed lege etiam eumdem Franc. De-Lugo *cit. qu.* 5. *per tot.* & Chiavet. *Inſtit. jur. Can. l.* 3. *par.* 2. *c.* 6. §. 3. *qu.* 4.

82 Qu. XXV. Cum ex dicendis ſect. 5. Communio Paſchalis ſumenda ſit de manu Parochi ſui: quæritur: an teneatur communicare in Paſchate, qui nullo modo poteſt communicare de manu Parochi ſui?

℞. Affirmative, ad ſatisfaciendum nimirum præcepto, communicandi in Paſchate, quod diſtinctum eſt, obligatque per ſe, & independenter ab alia obligatione ſumendi communionem Paſchalem de manu Parochi. Vide dicta ſect. 1. nu. 3. & ſect. 2. qu. 16. & dicenda ſect. 5. qu. 3. & 4.

Qu. XXVI. An ſit ſacrilegium, omittere communionem præcepti Paſchalis? 83

℞. Dici poſſet, quod ſic, in quantum uſus hujus Sacramenti pertinet ad quamdam venerationem ejus. Vide Suar. *de Relig. to.* 1. *n.* 3. *lib.* 3. *c.* 7. *nu.* 3. & 5. Tancredi *de Relig. tr.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 4. *qu.* 1. *n.* 2.

SECTIO V.

Qualis Communio præcipiatur in Paſchate?

PRÆCIPITUR I. Communio Sacramentalis, & actio humana. Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 3. *ante medium*. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *de Euchar. qu.* 117. §. 3. *nu.* 627. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. cap.* 10. *qu.* 3. *nu.* 27. & alii: ſeu quod ſuſcipiatur reipſa Sacramentum Euchariſtiæ, & voluntarie. Unde ſequitur; non ſatisfieri per Communionem ſpiritualem tantum, ſeu per merum deſiderium recipiendi Euchariſtiam. Suar. l. cit. Reginal. lib. 29. qu. 4. n. 86. Nec item ſatisfieri per Communionem involuntariam omnino, ut ſi quis ſumpſiſſet Hoſtiam conſecratam, id neſciens, ſed purans, & intendens manducare ſimplicem hoſtiam, & merum panem: Quia ſic ignorans recipiens Euchariſtiam, 84

ſtiam , non acciperet ejus fructum , adeoque non faceret Communionem fructuoſam , qualem a Chriſto , & Eccleſia exigi , nunc dicemus: S. Th. 3. *par. qu.* 80. *art.* 3. *fine*. Suar. *loc. cit.* Cardinal. De-Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 13. *ſect.* 2. *n.* 23. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 5. *qu.* 1. *n.* 8. & *c.* 10. *qu.* 3. *n.* 26. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 33. §. 6. *nu.* 178. Quommodo autem in dicto caſu diſcurrendum eſt de plane amentibus, adultis , & de pueris ratione carentibus? Videri poteſt apud Franc. De-Lugo *cit. c.* 5. *qu.* 1. *a n.* 7. & apud Cardinal De-Lugo *loc. cit.* & *ſect.* 3. *a n.* 26.

Præcipitur itaque 2. Communio utilis, & fructuoſa , ſeu ut non ſuſcipiatur cum impedimento , & obice augmenti gratiæ ſuſcipiendæ ex hoc Sacramento, quale eſt peccatum mortale. Hinc non ſatisfit huic præcepto per Communionem ſacrilegam. Et licet communiſſime aliquando Doctores docuerint, ſatisfieri: ipſos tamen in hoc mirabiliter eſſe deceptos, certum eſt, poſtquam Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem, inter ab ipſo proſcriptas quinquageſimam quintam, dicentem: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Vid. Lumbier *obſerv.* 14. §. 1. *num.* 478. Fel. Poteſt. *to.* 1. *par.* 1. *num.* 187. Chiavet. *tom.* 2. *conſult.* 119. Platell. *par.* 5. *c.* 4. §. 5. *a num.* 437. *uſque ad* 447. La-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *de Euch. qu.* 117. §. 4. *n.* 628. & præſertim Cardenas *part.* 4. *diſſert.* 34. qui propoſitam a nobis veram Doctrinam tuentur, apud quos videri poſſunt validiſſimæ quoque pro ea rationes.

85 Sed Quæres I. Suppoſita ſententia, quod poſſit quis recipere Sacramenta in ſtatu medio, ſcilicet ita ut non peccet mortaliter, recipiendo Sacramentum, ſed nec recipiat gratiam cum illo: Si nimirum exiſtens in mortali, non habeat ſaltem veram attritionem, & invicibiliter exiſtimet, ſe rite diſpoſitum eſſe: (Quam ſententiam admittunt magnæ notæ Doctores, quos ſequuntur Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 63. *ſect.* 2. §. *Ex his infero*. Pelliz. *in man. Regul. tract.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *qu.* 19. *n.* 108. & Franc. De-Lugo *lib.* 1. *de Sacr. c.* 3. *qu.* 3. *n.* 22. *fine*.) Hac ſuppoſita ſententia quæres: An ſatisfiat huic præcepto per Communionem materialiter tantum ſacrilegam: ut eſt, ſi quis communicet cum peccato mortali quidem, ſed invincibiliter ignoret, ac putet bona fide, ſe perfectam peccatorum contritionem habere: aut rite confeſſum eſſe; ipſe tamen non ſit vere attritus?

℞. Videtur, quod ſatisfiat, ſi dicatur, Eccleſia tantum damnaſſe Communionem formaliter ſacrilegam: ne videlicet quis communicet cum conſcientia, & affectu peccati mortalis; ita ut mortaliter peccet communicando; qui enim ſic indigne manducat Corpus, & Sanguinem Domini bibit, judicium ſibi manducat, & bibit; ſecus autem qui invincibiliter ignorans ſumit indigne: hic enim non peccat mortaliter. Accedit, quod niſi hoc admittamus, opus erit, ut continuis animi perplexitatibus agitemur: nam cum neſciamus, utrum amore, an odio digni ſimus: ut animadvertit Eccleſiaſtes cap. 9. v. 1. & rurſus moneamur Eccleſiaſtici c. 5. v. 5. ut de propitiato peccato nolimus eſſe ſine metu: ſemper dubitandum nobis eſſet, an Paſchali præcepto

pto

Digitized by Google

pto ſatisfecerimus ? Et hac ratione motus Reginaldus, ſententiam hanc affirmativam ſuſtinere, videtur *l. 29. qu. 5. n.* 88.

Sed contra eſt : dubium enim eſſe, non debet : Chriſtum, & Eccleſiam præcipere Communionem vere, & in actu ſecundo utilem, & fructuoſam. Ergo qui etiam materialiter tantum ſacrilege communicet, cum nullum recipiat ſpiritualem fructum gratiæ Sacramenti, non ſatisfacit communicandi præcepto; quamvis ignorans, quod indigne communicet, novi criminis reus non judicatur.

Hanc ſententiam tamquam probabiliorem docet La Croix *lib. 6. par. 1. qu.* 117. §. 5. *num.* 629. & hanc dat rationem : *Quamvis enim*, (inquit) *in rigore non communicaſſet ſacrilege, cum ſic communicando non peccarit, tamen non communicavit cum fructu, quod fieri vult Chriſtus, & Eccleſia. Nec obſtat, quod finis præcepti non cadat ſub præceptum, uti habet commune Axioma ; Nam ſæpe poteſt cadere, uti recte Suar. d. 70. ſect. 2. ſi nempe finis ipſe præcipiatur, ſicque fiat etiam materia legis, ſeu res præcepta, & ita hic eſſe, colligimus inde, quia Chriſtus præcipiens Communionem, indicavit hunc finem, dicendo, eſſe cibum, eſſe vitam animæ. Quando autem Legislator ſimul indicat finem legis, etiam hunc præcipit.* Platell. n. 438. *Quando vero finis præcepti dicitur non cadere ſub præceptum, ſenſus eſt, ad ſatisfaciendum præcepto non requiri intentionem ſatisfaciendi præcepto, aut attingendi omnes fines, quos forte habuit præcipiens : cum hoc tamen ſtat, quod poni debeat illud, quod hic poni voluit.* Hæc La Croix. Nec omnino contrarius eſſe videtur ipſe Reginaldus loco objecto ; Nam etſi dicat : *eum, qui peccati mortalis reus eſt revera, ſed id neſcit, putatque bona fide, ſe legitimam peccatorum contritionem habuiſſe, aut rite de eis confeſſum eſſe ; ſuſcipiendo Sacramentum Euchariſtiæ, ſatisfacere tam Divino, quam Eccleſiaſtico præcepto* : ſupponit tamen ſic accedentem juſtificari, & recipere primam gratiam in actu, & per actum ipſum Communionis, adeoque facere Communionem fructuoſam. Subdit enim : *Quamvis talis ſumat Sacramentum ſine gratia antecedente, non tamen ſine comitante, quæ per Sacramentum acquiritur, dum pravæ voluntatis obex non ponitur.* Qui tamen caſus eſt diverſus ab eo, quem propoſuimus ; Et de eo erit agendum qu. ſequenti ; Nunc autem quærimus : an qui ſic communicet, ut nec peccet, & nec fructum recipiat ex opere operato communicando, ſatisfaciat præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis ?

Deinde illa altera Reginaldi ratio, ducta ex dubiis, & perplexitatibus, ac perpetua inquietudine, quibus anima divexaretur : nulla eſt ; Enimvero ſicuti qui in Paſchate non potuit communicare, poſtquam omnes morales diligentias adhibuit, & fecit quantum potuit, ut communicaret : non eſt cur turbetur, & angatur, & perpetua inquietudine ejus anima divexetur, ob omiſſam Communionem Paſchalem : cum eam in dicto caſu omittendo, non peccaverit, nec tranſgreſſus fuerit præceptum Divinum, & Eccleſiaſticum ; quod ſi anxium ſe oſtenderet, & dubium tamquam de tranſgreſſo præcepto, & de peccato commiſſo ; illum de inſcitia ſua moneremus, & ut anxietates illas, dubia, & perple-

xita-

xietates tamquam vanum, & merum ſcrupulum deponeret, hortamur: ita ſimiliter in caſu noſtro poſtquam quis morales, & requiſitas diligentias adhibuit, ut fructuoſe communicaret; non eſt cur dubius, anxius, & perplexus remaneat; an præcepto Communionis ſatisfecerit? Licet enim in dicto caſu forte non ſatisfecerit, nec tamen tranſgreſſus eſt præceptum, adeoque non peccavit; ſufficit itaque, ut ſit ita diſpoſitus, quod communicaret iterum, ſi ſciret non communicaſſe fructuoſe, & non recepiſſe gratiam Sacramenti. Quod ſi oppoſitis, & objectis dubiis perplexitatibus, & animæ inquietudine divexetur, de inſcitia ſua animadvertatur, & ut illa tamquam vanum, & merum ſcrupulum abigat, moneatur.

Ex his ſequitur: eum, qui dicto modo materialiter tantum ſacrilege communicavit, ſi ex divina revelatione, vel aliunde cognoſceret, ſic communicaſſe; Teneri iterum in Paſchate communicare, ſi adhuc daret tempus præcepti Paſchalis; ſi autem præteriit, tenetur communicare extra Paſcha, ut nimirum ſatisfaciat præcepto ſaltem communionis annuæ, ſecundum dicta *ſect.* 2. *qu.* 11. An diu poſt Paſcha differre poſſit Communionem annuam, qui in Paſchate non communicavit? examinavimus *l. cit. qu.* 14. Non teneri autem iterum in Parochia communicare, qui tempore Paſchali communicavit ſacrilege, ſive materialiter, ſive etiam formaliter: docebimus *ſect.* 5. *qu.* 8.

86 Qu. II. An ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis, qui licet cum peccato mortali communicet, deinde tamen ex vi ipſius Sacramenti Euchariſtiæ, & illius ejuſdem Communionis recipiat gratiam; adeoque verificetur, quod faciat Communionem fructuoſam: quæ eſt voluntas Chriſti Domini, & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ. Quod quidem poteſt multipliciter evenire. Primo, communicet quis cum conſcientia, & affectu peccati mortalis: adeoque formaliter, proprieque communicet ſacrilege; ita ut etiam peccet, ſic communicando; ſed antequam conſumentur ſpecies Sacramentales, (Incertum eſt, intra quod tempus ſpecies corrumpantur; porro id pendet ex variis diſpoſitionibus ſtomachi: qui enim calidum habent, citius concoquunt: atque adeo in his citius Sacramentales ſpecies corrumpuntur; & contra qui frigidum, & pituitoſum, tardius, maxime ſi ægroti ſint. Præterea Sacerdotes celebrantes ſumunt præ reliquis fidelibus Hoſtiam grandiorem: Vid. Decretum Innocentii XI. circa Communionem quotidianam incip. *Cum ad aures;* quod dedimus *tr.* 1. *l.* 1. *c.* 3. ad calcem. Caval. *to.* 4. *cap.* 4. *d.* 2. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 50. §. 2. *nu.* 362. Atque adeo in Sacerdotibus celebrantibus tardius ſpecies corrumpuntur; unde quidam peritiſſimus Medicus apud Lugo, ut refert La-Croix loco ſtatim laudando, putavit Sacramentales ſpecies in laicis corrumpi intra minutum, ideſt intra ſexageſimam partem horæ: in Sacerdotibus autem celebrantibus immutari intra medium quadrantem; Arriaga vero apud eumdem La-Croix exiſtimat, in laicis corrumpi intra quinque *Pater*, & *Ave*. In Sacerdotibus autem celebrantibus immutari abſoluta Miſſa, & veſtibus ſacris exutis; in quibuſcumque autem ſanis hominibus immu-

mu-

mutari ſaltem intra quadrantem, credit La Croix *lib. 6. par. 1. qu. 89. §. 6. nu. 466.* ubi etiam tradit, atque teſtatur, immutari regulariter in omnibus ſaltem intra horam docere omnes cum Jo: Sanchez.) Antequam igitur conſummentur ſpecies Sacramentales, eliciat actum veræ, & perfectæ contritionis, per quam juſtificetur & recipiat primam gratiam, conſequenter evadat diſpoſitus ad recipiendam gratiam ex opere operato Sacramenti Euchariſtiæ. In hoc caſu probabile eſt, recipi de facto augmentum gratiæ ex Sacramento Euchariſtiæ adhuc manente, & conferri fructum Communionis ex opere operato. Ita docent cum Div. Thoma, & aliis Franc. De-Lugo *lib. 1. de Sacr. c. 3. qu. 4. n. 35.* & rurſus *lib. 2. de Euch. cap. 4. qu. 1. fine*, & La-Croix *lib. 6. par. 1. de Sacr. qu. 36. n. 200.*

Secundo, ſuppoſita ſententia communiori inter Doctores, ut videre eſt apud Suarez *to. 3. in 3. par. diſp. 63. ſect. 1. §. Dico tertio.* Franc. De-Lugo *cit. c. 3. qu. 2. n. 15.*, & Andream Mendo in ſtatera opin. benign. diſſert. 11. qu. 2. n. 14., quod, nimirum, Sacramentum Euchariſtiæ in actu ſuæ receptionis, aut dum eſt manens, ſpeciebus nondum conſumptis poſt ſuſceptionem, conferat aliquando primam gratiam. Si quis communicet in mortali, id invincibiliter ignorans, ſed putet, ſe rite diſpoſitum, quia poſt diligens examen, de eo non meminit; vel quia, ſi meminit, confeſſus eſt illud, a quo tamen, ob aliquam rationem occultam ſibi, non fuerit abſolutus; hic, dummodo ante Communionem, eliciat actum ſaltem attritionis, etiam ut talis cognitæ, ex motivo univerſali; Communicando recipit primam gratiam, & juſtificatur, adeoque facit Communionem fructuoſam; Vide Suarez *cit. diſp. 63. ſect. 2. a §. Dico tamen*; & Franc. De-Lugo *qu. 5. nu. 41.* Similiter eſt de illo, qui habeat conſcientiam peccati mortalis, ſed putet, de eo elicuiſſe actum perfectæ contritionis, in caſu, quo licet cum hac ſola accedere, abſque prævia Confeſſione mortalis; vel putet ſufficere actum attritionis ad recipiendum Sacramentum Euchariſtiæ cum conſcientia peccati mortalis abſque confeſſione in neceſſitate: Adeoque adhuc putet ſe rite diſpoſitum; hic, dummodo ſit vere ſaltem attritus, communicando recipit primam gratiam, & juſtificatur, adeoque facit Communionem fructuoſam; Vid. Franc. De-Lugo *qu. 3. n. 21. & 22.* Suar. *tom. 3. in 3. part. diſ. 66. ſect. 5. verſus finem*, Pelliz. *Man. Regul. tr. 5. cap. 3. ſect. 2. qu. 22. num. 117.* Fagundez, *in 3. præc. Eccl. lib. 4. c. 2. a n. 9u.* Eamdem probabiliter reciperet, ſi habens mortale, de quo non meminit, actum attritionis eliceret, etiam ut talis cognitæ ex motivo univerſali, dum manent ſpecies Sacramentales poſt ſumptam Communionem: militant enim rationes eædem, quæ faciunt, ad dicendum: hoc Sacramentum ei, qui in peccato mortali cognito illud ſuſcipit, conferre ſecundam gratiam; poſtquam elicuerit actum perfectæ contritionis, manentibus adhuc ſpeciebus, ut ſupra dictum eſt; & rurſus militant rationes eædem, quæ faciunt, ad affirmandum: hoc Sacramentum ei, qui in peccato mortali invincibiliter ignorato illud ſuſcipit, conferre primam gratiam, ſi antequam communicet, ſit ſaltem attritus.

Ter-

Tertio, ſuppoſita ſententia, quod Sacramentum Euchariſtiæ reviviſcat poſt conſumptas etiam ſpecies, remoto obice negativo, ut loquuntur Doctores apud laudatum De-Lugo qu. 5. nu. 37. ſive quod in peccato mortali invincibiliter ignorato ſuſceptum, hoc deinde ſublato poſt conſumptas etiam ſpecies, conferat gratiam Sacramentalem; ut cum aliis tamquam probabile docet idem De-Lugo *qu.* 4. *n.* 36. Si quis Communicet in peccato mortali, id invincibiliter ignorans, & poſt conſumptas ſpecies eliciat actum perfectæ contritionis, vel per Sacramentum Confeſſionis recipiat primam gratiam: Probabile eſt, ex opere operato Sacramenti Euchariſtiæ prius ſumptæ, recipere adhuc augmentum gratiæ poſt ſcilicet talem contritionis actum, aut factam Confeſſionem. Idem eſt, ſi quis communicet in peccato mortali, de quo putet, ſe fuiſſe abſolutum, quia confeſſus eſt: a quo tamen, ob aliquam rationem ſibi occultam, non fuerit abſolutus; hic, ſi conſumptis adhuc ſpeciebus poſt Communionem, eliciat actum attritionis, etiam ut talis cognitæ ex motivo univerſali: Probabile quoque eſt quod juſtificetur, & recipiat primam gratiam; Vid. Franc. De-Lugo *qu.* 5. *nu.* 37. 40. & 41. dummodo non commiſerit aliquod mortale poſt prædictam Communionem; in quo altero caſu non ſufficit attritio ſola, ſed requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento aliquo; ita cum aliis docet laudatus De-Lugo *nu.* 39.

Si tamen quis conſcientiam habens peccati mortalis, communicaverit in neceſſitate, conatus prius elicere actum contritionis perfectæ, & exiſtimans ſe contritum, communicaverit, cum tamen nec vere attritus fuerit: hic, ut recipiat gratiam Sacramenti poſt conſumptas ſpecies, requiritur adhuc, ut eliciat actum contritionis perfectæ, quemadmodum requirebatur, quod eliceret, antequam communicaret ſibi conſcius peccati mortalis, ut ſupra diximus; aut ſaltem quod eliciat actum veræ attritionis, quam ipſe tamen exiſtimet contritionem requiſitam ad deletionem mortalis cogniti; adeoque exiſtimet, ſe rite diſpoſitum, quemadmodum adhuc requirebatur, antequam communicaret: uti etiam ſupra dictum eſt.

Jamvero his ſuppoſitis ſententiis, 87
quæritur: an ſatisfaceret præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis, qui aliquo ex prædictis modis communicaret, & ſanctificantem gratiam reciperet Sacramenti?

℞. Qui aliquo ex prædictis modis communicaret, videtur, ſatisfacturus præcepto Communionis Paſchalis, ſi communicaret, & reciperet gratiam hujus Sacramenti tempore præcepti Paſchalis; Nam ſi Chriſtus, & Eccleſia præcipiunt Communionem fructuoſam: hic faceret Communionem fructuoſam, & reciperet gratiam Sacramenti Euchariſtiæ ex opere operato, vel in actu ipſius Communionis, vel poſt Communionem ante conſumptas ſpecies; vel conſumptis etiam ſpeciebus; juxta caſuum hactenus expoſitorum diverſitatem; ita ſuſtinet Reginaldus loc. ſupra cit. ut ex verbis ipſius qu. præc. recitatis patet: hoc etiam admittit La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 5. *n.* 629. ubi tamen mentionem ſolum facit de caſu, quo Sacramentum reviviſcat, ante quam ſpecies conſumentur; ita quidem videtur poſſe affirmari. Verum in pra-

xi aliter decidendum : cum ſupradicta de operatione, & collatione gratiæ Sacramenti Euchariſtiæ ſint admodum controverſa inter Doctores, ut videre eſt apud Auctores citatos, & Teophil. Raynaud. *tom. 6. tr. de Candel. Sanct. ſect.* 4. *c.* 4. *nu.* 4. & alios Auctores paſſim ; ac nonnulla de prædictis ſint nimis incerta ; Et fere ſemper valde incertum remaneret, an quis de facto fecerit Communionem fructuoſam? Hinc qui aliquo ex prædictis modis communicaverit pro Paſchate, vel hortetur, vel etiam obligetur pro qualitate, & quantitate dubii, quod pariat diverſitas caſuum, & circumſtantiarum, ad iterum communicandum. Favet Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 10. *n.* 5. *lit. U. fine.*

Non negamus autem, valde utile eſſe & ſatis expedire, ut quivis ante quam ad communicandum accedat, ſemper actum ſaltem attritionis ex motivo univerſali omnia peccata deteſtante procuret elicere, quamvis non occurrat menti ſuæ mortale peccatum nondum confeſſum; Suppoſita enim ſupradicta communiori Doctorum ſententia, in dicto caſu, ſi forte eſſet in mortali, juſtificaretur, & acquireret primam gratiam per Sacramentum Euchariſtiæ in actu receptionis illius. Quod notavit, monuitque Diana, apud Pelliz. *loc. cit. qu.* 19. *nu.* 108. & communiter inſinuant Aſcetici, ut Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte Soc. Jeſu *par.* 6. *Medit.* 38. *pu.* 2. *n.* 2.

88 Dixi ſupra : quod videatur ſatisfacturus præcepto Paſchali ; *Si communicaret, & reciperet gratiam communionis, tempore præcepti Paſchalis :* quia, ſi quis communicaret ante tempus Paſchale cum obice, modis prædictis, & reciperet gratiam tempore Paſchali : vel contra ; ſi communicaret cum obice tempore Paſchali, & reciperet gratiam extra tempus præcepti Paſchalis : omnino puto, hunc non ſatisfacturum præcepto Communionis Paſchalis ; Videtur enim Eccleſia præcipere, ut re ipſa vere, ac proprie fiat Communio fructuoſa intra tale determinatum tempus: qui tamen aliquo ex prædictis modis communicaret, non faceret Communionem fructuoſam reipſa vere, & proprie intra tempus præcepti Paſchalis ; ſed ad ſummum moraliter reputari poſſet, feciſſe Communionem fructuoſam intra tempus Paſchale : quatenus vel in eo receperit fructum gratiæ Communionis factæ extra illud ; vel extra illud receperit gratiam Communionis factæ in eo. Adde, quod talis debeat etiam aliunde iterum communicare, ut nimirum ſatisfaciat præcepto communicandi de manu Parochi ſui intra tempus præcepti Paſchalis.

Quod dicimus de Communione Paſchali ut ſic, intelligimus ex eadem ratione procedere in Communione Paſchali, ut habet reſpectum Communionis annuæ, ita ut qui communicavit ſive in Paſchate, ſive extra Paſcha ſemel, ad ſatisfaciendum præcepto Communionis annuæ, (ſupponimus hic doctrinas traditas nu. 14. & 23.) ſi fecerit Communionem validam, & informem, debeat removere obicem hoc eodem anno, ut præcepto Communionis annuæ ſatisfaciat.

Qu. III. Suppoſito, quod Sacer- 89
dos ubique celebrans tempore Paſchali, ſatisfaciat præcepto Paſchali ; uti docebimus *ſect.* 5. *qu.* 3. *num.* 103. quæritur : an huic præcepto ſatisfa-

ceret

ceret Sacerdos, qui tempore præcepti Paſchalis ſemel celebraret, & illam unicam Miſſam legeret cum conſcientia peccati mortalis uſque ad ſumptionem hoſtiæ: adeoque formaliter ſacrilege, & cum peccato communicaret; at poſt ſumptionm hoſtiæ eliceret actum contritionis perfectæ, & ſic vere contritus ſumeret calicem?

Reſpondendum videtur affirmative: quia faceret Communionem fructuoſam, qualem exigit Chriſtus, & Eccleſia. Profecto Sacerdos, qui cum conſcientia peccati mortalis celebret, recipit gratiam, ſi ſumpta hoſtia, conteratur de ſuis peccatis, & poſtea hac ratione juſtificatus ſumat Calicem: Pelliz. *in Man. Regul. tract.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *qu.* 21. *n.* 13. Villalobos, & Diana apud Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 6. *qu.* 1. *num.* 6. Quod Pelliz. probat ex Doctrina, quam tradit Cardinalis De-Lugo *de Euchar. diſp.* 12. *ſect.* 3. *n.* 73. videlicet gratiam habitualem, quæ datur intuitu ſumptionis hoſtiæ, non pendere a ſumptione Calicis; Sſ enim hoc detur, dandum item eſt, gratiam, quæ datur intuitu ſumptionis Calicis, non pendere a ſumptione hoſtiæ; ita Pelliz. Id ipſum dicendum 1. in caſu, quo Sacerdos, poſtquam in Miſſa miniſtravit Euchariſtiam populo, debeat ſumere particulas, aut fragmenta, quæ remanſerint, juxta Rubricam Miſſalis; Favent Villalobos, & Diana apud Franc. De-Lugo l. cit. Idem dicendum 2. ſi quis inculpate recipiat primam hoſtiæ partem ſine debita diſpoſitione, quoniam habens mortale peccatum, vel invincibiliter illius obliviſcitur, vel putat habere ſe ſufficientem dolorem, quem non habet; at dum durat ſumptio poſteriorum partium, debite diſponatur; hic recipiet quidem effectum in poſteriori parte ſumptionis, quem non recepit in prima; cum enim Sacramentum adhuc habeat vim conferendi gratiam ex opere operato, & hic ſit jam diſpoſitus, vere gratiam recipiet; ſiquidem virtus conferendi gratiam æque per totam, ac per quamlibet manducationis partem applicatur, cum ſemper applicetur totus Chriſtus: ſed in una parte ſumptionis, quamvis non in prima, virtus hæc applicatur ſubjecto recte diſpoſito: ergo confert gratiam. Ita Franciſcus De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 6. *qu.* 1. *n.* 4. & alii apud ipſum. Idem dicendum 3. ſi quis etiam formaliter ſacrilege communicaverit indignus in parte prima ſumptionis, & durante ſumptione reſipuerit; ita ut aliquam partem rite diſpoſitus acceperit: quo caſu recepiſſe effectum Sacramenti, licet negent Bonacina, Vaſquez, & Henriquez apud Franc. De-Lugo loc. cit. n. 5. melius tamen affirmari, inquit, & probat idem De-Lugo nu. 6. adducens alios; & a fortiori ſequitur ex dictis qu. 2. n. 86. ſub init. Jam vero ſi Sacerdos in præfatis caſibus facit communionem fructuoſam; Ergo ſatisfacit præcepto Communionis Paſchalis. Cæterum in hac etiam quæſtione pro praxi melius eſt, ſi decidatur, quemadmodum in præcedenti fecimus quæſtione, in favorem præcepti Paſchalis: nimirum ut iteretur Communio; Favet Gavantus in Rubr. Miſſ. par. 2. tit. 10. n. 5. lit. u. fine.

Qu. IV. An, qui communicando in Paſchate evomuit hoſtiam, fecerit Communionem fructuoſam, adeoque ſatisfecerit præcepto Paſchali? 90

Digitized by Google

℞. Pro ſolutione hujuſmodi quæſtionis videantur dicta ſect. 2. qu. 10. ubi examinavimus: an teneatur reiterare Communionem in Paſchate, qui hoſtiam revomuit?

SECTIO V.

Quod Communio Paſchalis ſumenda ſit ſub gravi de manibus Parochi proprii, aut Delegati ab ipſo: & conſequenter in ſua ipſius Eccleſia, ſeu propria Parochia.

91 EST obligatio gravis, ſumendi Communionem Paſchalem de manibus proprii Parochi, aut alterius, quem ipſe deſignet. Et quoniam Parochi exercent munera ſua in propria Eccleſia, ſeu Parochia; hinc Communio Paſchalis conſequenter fieri debet, ſeu ſolet in Eccleſia ſui Parochi, ſeu in propria Parochia; per ſe autem non eſt hujuſmodi obligatio communicandi in Parochia; ut modo infra probabimus. An autem Archipresbyter poſſit dici proprius Parochus eorum, qui non habitant in ſua Parochia, adeoque alieni Parochiani poſſint per manus illius, ſeu in ſua ipſius Eccleſia ſumere Communionem Paſchalem? examinabimus infra qu. 1. Finis vero obligationis præfatæ eſt, ut Oves recognoſcant Paſtores ſuos, ſaltem ſemel in anno, & ſubjectionem ſuam erga illos exerceant; Et ipſæ invicem a Paſtoribus ſuis recognoſcantur, atque paſcantur cœleſti pabulo, pro ſuo ipſorum munere; utque certius conſtare poſſit, quinam Paſchale præceptum impleverint, vel omiſerint?

Pro obligatione communicandi in Paſchate per manus Parochi ſui, Azorius *Inſtit. moral. par. 1. lib. 7. c. 30. qu. 6.* Suarez *tom. 3. in 3. par. diſp. 70. ſect. 2. §. Sed circa hoc. fine*. Bonacina *diſp. 4. quæſt. 7. pu. 2. nu. 7.* Franciſcus De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 10. qu. 2. nu. 10.* Pelliz. *in Man. Regul. tr. 1. c. 3. ſect. 2. n. 76.* & alii communiter provocant ad Caput *Omnis*. In quo autem capite ſic legitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere: Suſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum &c.* Ex quibus verbis attamen non apparet Communionem Paſchalem recipiendam eſſe a proprio Parocho: ut recte notat La-Croix *lib. 6. part. 1. qu. 117. §. 7. n. 631*. Licet enim Confeſſio annua præſcribatur fieri proprio Sacerdoti, & quamvis permittamus, per proprium Sacerdotem intelligi ibi Parochum: eo quod contendatur, ad fuiſſe olim obligationem hujuſmodi: Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 13. de Confeſſ. ann. art. 6. qu. 1. videtur tamen fieri diſtinctio inter Confeſſionem annuam, & Communionem Paſchalem: non enim dicitur: *Ab eodem* ſuſcipiens &c. nec aliud ſimile verbum ponitur, per quod intelligatur, etiam Communionem fieri debere per manus proprii Parochi. Subduntur quidem in eodem allegato Cap. *Omnis*; poſt laudata verba, hæc alia: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab hujuſmodi perceptione* (Sacramenti Euchariſtiæ) *duxerit abſtinendum*: At vero ex una parte, neque hic nomine

ne proprii Sacerdotis venire omnino Parochum, ſed potius quemlibet alium Confeſſarium pro ſe approbatum, oſtendimus ſect. 2. n. 7. §. *Sed quid?* Ex alia autem parte, etiam dato, quod veniat hic proprius tantummodo Parochus: nihil tamen valeret ad intentum; Enimvero, ex eo quod remittatur conſilio Parochi Communionis Paſchalis dilatio, nullo modo argui poſſe, videtur, eamdem Communionem de manu ejuſdem eſſe recipiendam.

Quæ autem profertur declaratio Sacræ Congr. apud Gallem. ad Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. dicens: ſicut caput *Omnis* vult, quod quis proprio Parocho confiteatur, ita a proprio etiam Euchariſtiam ſumat: ea non videtur exponere Caput *Omnis*, ita ut velit in prædicto capite ſic diſponi; ſcilicet ut quis a proprio Parocho Communionem recipiat Paſchalem: ſed tantum videtur confirmare hoc ipſum quod communiter fit.

Verum quidquid ſit de his, Certiſſime conſuetudo approbata, quæ ex Cap. *Cum dilectus; de Conſuetud. optima eſt legum interpres:* ita prædictum caput interpretatur: ut in Paſchate ſit obligatio ſumendi ſemel Communionem per manus proprii Parochi, aut delegati ab ipſo; ſic Reginaldus *lib.* 29. *c.* 5. *qu.* 5. *nu.* 94. & Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 2. §. *Sed circa hoc, fine*. etiam bene notat, id ſignificaſſe Pontifices Summos in variis reſcriptis, ſeu privilegiis; nos meminerimus infra Decretorum Clementis VIII. & Innocentii XI. Id etiam pluries declaraſſe S. C. Concilii teſtatur Lucius Ferraris in ſua Biblioth. V. *Euchariſtia* n. 11. edit. 3. Bononien.

Sive autem dicas: hujuſmodi obligationem eſſe ex jure ſcripto, nimirum ex Cap. *Omnis;* ſive ex mera conſuetudine: ſemper hujuſmodi obligatio eſt, ut initio docuimus, ſub gravi: quemadmodum eruitur ex ipſa conſuetudine, & Doctrina communi Doctorum docentium: non ſatisfieri (ideſt plene, & integre: Vide dicta ſect. 2. qu. 16.) præcepto Paſchali, ſi Communio non fiat de manu Parochi, aut delegati ab ipſo: Navar. in man. c. 21. n. 12. Suar. loc. cit. Buſemb. de Euchar. dub. 2. art. 3. reſp. 3. Bonac. Reginal. Franc. De Lugo, La Croix ll. cit. Vide etiam dicta ſect. 1. n. 3. An vero hujuſmodi obligatio admittat materiæ parvitatem; ita ut non peccet mortaliter, qui ſemel, aut iterum non communicet de manu Parochi in Paſchate? examinabimus qu. 6.

Interim ad hæc objicies. Sicut ceſſavit, ſi adſuit aliquando, obligatio annue confitendi proprio Parocho: Vide dicenda. 1. in Append. l. ſupra cit. ita dicendum eſt, ceſſaſſe obligationem annuæ communionis Paſchalis per manus ejuſdem. Ergo non eſt hujuſmodi obligatio, ſaltem ſub gravi. 93

℞. Conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam, & conſequentiam. Ex hoc, quod jam ſit facultas, annue confitendi cuilibet Confeſſori pro ſe approbato, non inde ſequitur, eſſe & facultas communicandi per manus cujuslibet Sacerdotis in qualibet Eccleſia pro Paſchate: quia hi actus ſunt diverſi, & ſeparabiles, ut docet Boſco, quem citat, & ſequitur la Croix *de Euch. qu.* 117. §. 16. *nu.* 640. Hinc conſuetudo potuit abrogare primum, abſque eo quod abrogaverit ſecundum: quod autem de facto non abrogave-

rit,

rit, ſatis patet ex eo, quod adhuc totam vim ſuam habeat. Poteſt quidem fieri, ut ex contraria juſta conſuetudine, aut per legem ejuſdem Eccleſiæ aliquando ceſſet; interim vero dum alia non eſt introducta, nec adeſt; ſervari hæc debet omnino, eritque ſervanda donec viguerit. Adeſt igitur obligatio gravis in Paſchate Communicandi per manus Parochi proprii, aut delegati ab ipſo.

93 Notavimus autem ſupra: non eſſe item obligationem communicandi in propria Parochia, niſi ſolum conſequutive ad prædictam obligationem communicandi de manu Parochi ſui, ita ut ſufficiat, communicare in Paſchate de manu Parochi ſui, aut delegati ab ipſo, quamvis non ſit in propria Eccleſia Parochiali. Quod probatur 1. Quia non tenetur Parochus Parochianos ſuos communicare in ſua Parochia, ſed poteſt extra, & ubicumque ipſi permiſſum ſit exercere actum hujuſmodi ſuæ juriſdictionis; poteſt etiam Parochus, (niſi aliunde id fortaſſe interdicatur ei a proprio Epiſcopo, aut Diœceſanæ Synodi conſtitutione:) dare ſuis Parochianis facultatem communicandi pro Paſchate in aliena Parochia, ſive in aliena ſimplici Eccleſia, etiam Regularium, & de manibus cujuslibet Sacerdotis adminiſtrantis fidelibus Euchariſtiam, ut docent Auctores, quos laudabimus qu. 4. ubi examinabimus: an poſſit communicari extra Parochiam ſeu de manibus alterius, quam Parochi ſui, ex licentia mere præſumpta?

Probatur 2. quia nulla lege, aut jure oſtendi poteſt, præter obligationem communicandi de manu proprii Parochi, aut delegati ab ipſo in Paſchate, eſſe item obligationem communicandi ſimul, & eodem tempore in propria Parochia, ita ut non ſatisfiat præcepto, ſi communio ſumatur de manu proprii Parochi tempore Paſchali extra propriam Parochiam. Ut autem habet Axioma apud Lohner; & ex eo Zachar. *in Axiomat*; *theol. moral.* c. 3. Axiom. 1. *Omnia ſunt licita, quæ nulla lege, aut jure ſunt vetita*. Et ſi poſſet proferri jus, unde hujuſmodi præceptum erueretur, maxime foret prædictum Caput *Omnis*. Sed in eo capite, etiamſi demus, præſcribi, Communionem Paſchalis fieri de manu Parochi; nihilominus quod adhuc fieri debeat in Parochia; nullo prorſus modo indicatur. Ergo &c. Confirmatur auctoritate Patris Quintanadvenas; qui *to.* 1. *Singular. tr.* 4. *de Euch. ſingul.* 12. hæc habet: *Lex igitur Communionis hujus præceptum imponens ſancita ab Innocentio III. ita refertur in* Cap. *Omnis de pœnit. & remiſſ.* ubi: *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſua peccata ſemel ſaltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti, ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Ubinam explicite, aut implicite hic decernitur, ut hæc Communio in propria Parochia fiat? Immo legis hujus fini magis conſonum videtur, ut fieret in quacumque Eccleſia de expreſſa Parochi licentia: Cum enim finis ſit, ut Parochus vel ut Paſtor oves ſuas cognoſcat, & hæ illum: melius eas cognoſcet, & hæ illum, ſi ſubditi præſententur, ad hanc licentiam obtinendam, quam ſi in pro-

pria

pria Parochia a quocumque alio, etiam inſcio Parocho, ut ſæpiſſime fieri ſolet, Euchariſtiam accipiant. Et ſi circa temporis commutationem lex facultatem Parochis tribuit; a fortiori circa commutationem loci. Igitur præceptum hoc fideles obligat, ut in propria Parochia, vel in alio loco de licentia Parochi Euchariſtiam accipiant; ſic Navarrus, Suar., Azor. & Reginald. apud Bonac. *de Euch. d. 3. qu. 7. par. 1. nu. 7.* Expreſſius hanc ſententiam ſic propoſuit doctiſſimus Lugo d. 18. ſect. 2. *ſi quis*, inquit, *in privato Oratorio accipiat Euchariſtiam a Parocho, vel de ejus licentia in Paſchate, procul dubio ſatisfaciet præcepto annuæ Communionis*. Hæc Quintanadvennas; quibus licet ipſe probare velit: Parochum poſſe Communionem Paſchalem præbere ſuis Parochianis extra Parochiam, vel iiſdem facultatem dare, ut communicent de manu alterius extra Parochiam: Hoc tamen oſtendit ex eo, quod non exiet lex, ſive in prædicto Cap. *Omnis;* ſive ex alio jure prohibens id fieri, & præcipiens Communionem Paſchalem omnino faciendam eſſe in Parochia. Ergo ideo hujuſmodi Communio ſolet fieri in Parochia, quia fieri debet de manu Parochi ſui; Parochus autem in ſua Parochia exercet, ſeu ſolet excercere munus ſuum, ibique paſcit oves ſuas, adeoque ad Parochiam opus eſt, ſe conferre, qui vult, ac debet paſci a Parocho ſuo, & ex manu illius communicari. Conſequutive ergo, non autem per ſe Communio Paſchalis facienda eſt in Parochia. Quod etiam notavit Azorius *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 7. c. 30. qu. 6.* ubi ait: *Cum igitur ſit ad proprium Sacerdotem adeundum, eo ipſo ad propriam Parochiam accedere oportet*. Et Pelliz. in man. Regul. tr. 5. c. 3. ſect. 2. nu. 76. ubi inquit: *In citato Cap.* Omnis *ſtatutum eſt, ut quilibet fidelis a proprio Sacerdote Corpus Domini in Paſchate recipiat, & conſequenter in propria Parœcia*. Non eſt itaque per ſe obligatio, ut Communio Paſchalis fiat in Parochia, ſed ſufficit, ſi fiat de manu Parochi ſui, aut delegati ab eo. Unde etiam Franciſcus De Lugo *l. 4. de Euchar. c. 11. qu. 4. n. 36.* docet: tempore adhuc Interdicti ſi quis etiam in Oratorio privato recipiat Euchariſtiam a Parocho, vel cum ejus licentia, ſine dubio eum ſatisfacere præcepto Communionis Paſchalis. Idipſum cum aliis docere Cardinalem De-Lugo, modo ſupra audivimus ex Quintanadvennas; Vide quoque dicenda quæſt. 4.

Contra vero non ſatisfieret huic præcepto ſumendi Communionem de manu Parochi ſui in Paſchate, ſi communio fieret in propria Parochia; at non de manu Parochi proprii, aut ipſius delegati.

Animadvertendum attamen eſt, non eſſe populo ſimpliciter dicendum: Communionem Paſchalem poſſe fieri extra Parochiam: id enim populus acciperet in eo ſenſu, quod ſimpliciter etiam poſſit fieri de manu alterius, quam Parochi ſui vel delegati ab ipſo, ſine ejuſdem licentia extra Parochiam; quod eſt falſum, & hic non dicimus.

Qu. I. An quilibet ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis in Cathedrali? 94

℞. Affirmant Barboſa de Officio Parochi *par. 2. c. 20. n. 10.* Gennenſis *in Praxi Neap. c. 61. n. 22.* Felix Poteſtas *to. 1. par. 3. de 3. præc. Eccl.*

Eccl. nu. 2916. Chiavetta *lib.* 1. *Inſtit. Jur. Canon. c.* 5. *n.* 42. Tambur. *Meth. commun. c.* 4. §. 4. *n.* 47. qui dicit, id eſſe certum; & videtur etiam affirmare Sa. V. *Sacramentum ;* nu. 4. ubi univerſaliter concedit de omnibus Sacramentis; item affirmant alii apud Dianam *edit. coord. tom.* 2. *R.* 15. §. 1. Negat vero Cardinalis De-Lugo in *Reſp. moral. lib.* 1. *dub.* 15. *num.* 4. & 5. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 9. *n.* 622. Benedict. XIV. *to.* 1. *Notif.* 18. *num.* 11. & 12. Caval. *to.* 4. *c.* 2. *in decr.* 8. *nu.* 4. Diana l. ſuperius cit. §. 2. aliique apud eumdem.

Ratio pro parte affirmativa eſt, quia cum Epiſcopus reſideat in Eccleſia Cathedrali, & ſit univerſalis Paſtor totius Diœceſis, potens omnibus immediate miniſtrare Sacramenta: Cathedralis quoque eſt Eccleſia univerſalis propria omnium, & ideo poſſunt omnes ad illam concurrere pro recipienda Paſchali Communione: nam cenſentur recipere a proprio Paſtore, cum nomine Epiſcopi Sacramenta miniſtrentur in ea; Vide dicenda qu. 4. num. 124. verſu: *Poteſtas inſuper*. Sed & Archipresbyterum Eccleſiæ Cathedralis, quidam, eſſe, contendunt, Parochum totius Diœceſis, & poſſe Sacramenta quæcumque in tota illa miniſtrare.

Rationes vero pro parte negativa ſunt, quia teſte Diana cit. §. 2. nullo jure probatur, Eccleſiam Cathedralem eſſe communem totius Diœceſis; & licet Eccleſia Cathedralis ſit Superior, & Archipresbyter ſit excelſior Parochus, tamen ſingulæ Parochiæ habent terminos ſuos, & ſinguli Parochi jura ſua, non aliter ac ſingulæ Diœces, & ſinguli Epiſcopi pro ſua Diœceſi, quamvis Archiepiſcopus ſit illis excelſior, ut obſervat La-Croix l. cit. Unde concludit Diana: Archipresbyterum, & Parochum Eccleſiæ Cathedralis poſſe tantum miniſtrare Sacramenta in Parochia ſua. Et licet etiam verum ſit, Epiſcopum eſſe univerſalem Paſtorem totius Diœceſis potentem omnibus immediate miniſtrare Sacramenta: Nihilominus teſtantur Auctores, uſu videri receptum, Communionis Paſchalis adimpleri præceptum in Parochia propria: & Epiſcopo eſſe permiſſum tantum facultatem dare communicandi in Cathedrali, ſeu extra propriam Parochiam; Vide dicenda quæſt. 4. cit. verſu: *Poteſtas inſuper*. Deinde pro eadem ſententia negativa allegantur plures Declarationes S. C. Concilii apud Pignatel. *to.* 7. *conſult.* 89. *n.* 19. ac Decretum Innocentii XI. quod Zachar. in cit. locum Patris La-Croix ait: Clarum eſſe hac ſuper re: quodque ex Pignatello l. cit. allegat Benedictus XIV. cit. n. 12. ubi etiam adducit teſtimonium Cardinalis De-Lugo *lib.* 1. *Reſp. moral. dub.* 15. teſtantis a Summo Pontifice fuiſſe declaratum: nequaquam ſatisfieri præcepto Communionis Paſchalis communicando in Cathedrali, nimirum ſi non ſit ſimul Parochia propria; quod tamen non aperte, ſed ſolum tacite ſignificat De-Lugo illo dub. 15. fine. Laudatus vero Pontifex Innocentius XI. ſub die 5. Februarii 1682. in Audientia Reverendis Parochis Urbis a Sanctitate ſua publice data, inter cætera, ſuæ vivæ vocis Oraculo decrevit, omnes utriuſque ſexus fideles, qui commorantur in Urbe, teneri pro annuæ Communionis Paſchalis ſatisfactione præcepti, ſacram Communionem a ſuo proprio

Paro-

Parocho, in ſuis Eccleſiis Parochialibus, in quarum Parochiis habitant, ſuſcipere, & nullo modo præcepto præfato ſatisfacere per Communionem in Eccleſia Lateranenſi, vel Vaticana, vel Nationali cujuſvis nationis, vel in quacumque alia ſuſceptam; Et in poſterum omnino ſervari mandavit, præſentibus Eminentiſſimis Cardinalibus, Vicario, Illuſtriſs. Vices gerente, & ipſomet Pignatello Cleri Romani Camerario, ac omnibus Parochis Urbis: non obſtantibus quovis Decreto Congregat. Viſitationis Apoſtolicæ, aliarumque Congreg. ac privilegiis, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam immemorabilibus. Id ipſum autem fore, ſtuitur, ait Caval. loc. ſupra cit. in aliis Mundi plagis de iis, qui, contempta propria Parochia, ad Cathedralem communicatum procederent: Additque Decretum quoddam Clementis VIII. an. 1592. ubi declaratur, Confeſſionem annuam poſſe quidem fieri apud quemlibet ab Ordinario approbatum, etiam Regularem; Præceptum vero Paſchale ſumendum eſſe in propria Parochia ab eodem Parocho. Quibus verbis, putat Cavalerius, prohiberi, quod ſumatur in Cathedrali; Excipit tamen nu. 6. niſi Eccleſia Cathedralis gaudeat Indulto Apoſtolico, aut immemorabilis adſit conſuetudo localis; citatque pro ſe Dianam. Hic utique loco ſupracit. ſcribit: Panormi, vel ex licentia ab Archiepiſcopis elargita, (An largiri poſſit aut expediat? Vide infra qu. 4. n. 123.) vel ex conſuetudine, omnes confluentes ad Eccleſiam Cathedralem pro ſumenda Euchariſtia tempore Paſchatis, adimplere præceptum, & accipere ſchedulam ſignatam, ut illam poſſint proprio Parocho demonſtrare. Et reſol. 16. §. 3. hæc habet: . . . *Suppoſita conſuetudine, ut mihi conſtanter aliqui aſſerunt adeſſe, dicendum eſt: Magiſtrum Cappellanum, Cathedralis Eccleſiæ Civitatis Panormi, (dulcis Patriæ meæ) poſſe adminiſtrare omnia Sacramenta, etiam Matrimonium aliis Parochianis alterius Parochiæ: & hæc, ut dixi, ſtante conſuetudine; quæ juriſdictionem præbet non habenti. Et ita in favorem dicti Magiſtri Cappellani late probavit Doctiſſimus, & amiciſſimus Pater Vincentius Tancredi Societat. Jeſu in quodam Voto, quod ſubſcripſerunt ex eadem Societate Pater Franciſcus Bardi, & P. Franciſcus Tamburinus, P. Averſa ex Clericis Minoribus, P. Magiſter Lezana Carmelitanus, & ego ipſe.* Hæc Diana. Qui item ſupracit. Reſol. 15. §. 2. cum aliis excipit, niſi alicubi Archipresbyteratus eſſet quædam Præbenda, cui ex officio foret annexum, audire Confeſſiones omnium Diœceſis illius; quia tunc, ait, Archipresbyter eſſet proprius Sacerdos, & Ordinarius in tota illa, & proinde poſſet miniſtrare Euchariſtiam in Paſchate omnibus ad Cathedralem confluentibus; quod tamen, Trullench apud eumdem Dianam ibi fatetur, raro contingere; nam conſuetudine poſitum eſt, ſolum habere poteſtatem in Parochia ſua.

Denique Cavalerius in ſupra cit. decret. 8. nu. 6. ait: dubitari poſſe de iis Cathedralibus, quibus in diſtributione Parochiarum particularis, & diſtinctus populus aſſignatus minime fuerit: eæ enim videntur, ſibi reſervaſſe univerſalem juriſdictionem adminiſtrandi Sacramenta omnibus de Civitate, & Diœceſi; non quidem intra limites Parochiales alienos, ſed intra

intra terminos ipſarum Cathedralium, quibus ſaltem adaptandum videtur *Cap. Officium. De offic. Archipr.* & quod ibidem ſubdit Gloſſa verb. *A foris venientes;* ubi ſtatuitur, inter cætera miniſteria Archipresbyteri Eccleſiæ Cathedralis præcipuum eſſe, adminiſtrare Sacramenta omnibus de Diœceſi confluentibus ad illam; Ita Caval. Sed idem eodem tom. 4. c. 5. comment. in decr. 19. hujus tenoris: *Ubi Parochiæ diſtinctæ ſunt per determinatas familias, adminiſtratio baptiſmi, aliorumque Sacramentorum ſpectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, & non ad Archipresbyterum Collegiatæ, ſeu Matricis.* S. C. Concilii 24. Maji 1732. in hujuſmodi, inquam, decretum hæc habet Caval. *Id autem dictum eſſe, volumus, ſive Cathedralis aut Matrix ſibi portionem reſervaverit, vel non; quis inde non ſit, quod tales familiæ, aut loca paſcenda aſſignata non ſint proprio Parocho, ad quem propterea nihilominus opus eſt, privative ſpectet Sacramentorum adminiſtratio, ut reſpectiva loca, aut familias cognoſcere valeat.* Hæc Caval.

95 Dicendum eſt: in hac re ſpectandum eſſe, quid ferat conſuetudo locorum? Si itaque alicubi conſuetudo permittat cuique, communicare pro Paſchate in Cathedrali, in quam conſuetudinem cæteri Parochi tacendo, & non reclamando, conſentire videantur: fas utique erit, communicare pro Paſchate extra propriam Parochiam in Cathedrali: ut concedunt Cavalerius, & Diana, quemadmodum vidimus ſupra. Sin minus, non licebit; nec Paſchale præceptum quoad hanc ſui partem implebitur. Videri poſſunt dicenda qu. 4. num. 124.

Pro iis, quos reſpicit, noto hic: quod, cum articulo ſuper matricitate prætenſa inter Eccleſias S. Georgii & S. Petri Civitatis Modicæ (in Regno Siciliæ) Sacr. Congreg. Rit. reſpondiſſet: Eccleſiam S. Georgii eſſe matricem, eique competere præcedentiam 24. Maji 1636. *in Syracuſana.* Quæ declaratio deinde confirmata fuit ab Innocent. XI. Conſtit. *Alias emanarunt;* edita 4 Junii 1689. Eadem S. R. C. 6. Septemb. 1636. in *Syracuſana;* declaravit, *quod fideles in die Paſchatis recipientes Sanctiſſimam Eucharistiam in Eccleſia S. Georgii ſatisfaciant obligationi.* Quæ etiam declaratio confirmata fuit ab eodem laudato Pontifice Innoc. Conſtit. cit. uti refertur in opere Merati *in 2. appendice indic. decretor. Miſſ. num. 769.*

Qu. II. An ſatisfiat præcepto Communionis Paſchalis communicando ad intentionem hujuſmodi in Eccleſiis Regularium? 95

℟. Etſi aliqui id affirmaverint, nihilominus oppoſitum tenendum eſt; Videantur dicenda ſect. 7. Videri etiam poteſt pro hac quæſtione Franciſcus De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 11. qu. 3.* Diana *edit. coord. to. 2. tr. 2. R. 17. & trib. proxime ſequentib. & R. 23.* Tambur. *Meth. exped. Commun. c. 4. §. 4. a nu. 51.* Caval. *to. 4. c. 2. in decr. 27. & ſequentib.*

Nota hic 1. Regulares præſumentes adminiſtrare Communionem Paſchalem Clericis, & Laicis, incurrere excommunicationem latam in *Clemen.* de qua cit. ſect. 7. Nota 2. Poſſe tamen Regulares adminiſtrare Communionem Paſchalem iis, qui facultatem habeant a ſuis Parochis, vel ſint a jure excepti, aut aliqua legitima cauſa excuſati: de quibus omnibus

nibus agemus in ſequentibus. Nota 3. Regulares, qui ſint Parochi, poſſe, & debere miniſtrare Ovibus ſuis Euchariſtiam ad præceptum implendum, quemadmodum poſſunt, & debent alii Parochi, ut notum eſt, notatque poſt Fagundez Franciſcus De-Lugo loc. cit. n. 31. Vide etiam dicenda cit. ſect. 7. n. 145. §. *Animadvertendum eſt 3. fine*.

97 Qu. III. An omnes debeant in Paſchate communicare de manu Parochi, intra cujus Parochiæ ſpatium, ſive reſtrictum habitant?

℞. Negative. Et 1. Regulares pro Paræcia habent Eccleſiam propriam, & pro Parocho ſuum Prælatum regularem: unde fit, quod ſicut Sæculares non ſatisfaciunt quoad hanc partem præcepto Eccleſiaſtico Communionis Paſchalis, niſi communicent de manu Parochi ſui, aut delegati ab ipſo: ſic neque ſatisfaciunt Regulares, niſi communicent de manu proprii Prælati, aut alterius de illius licentia. Pelliz. *Man. Regular. tr. 5. c. 3. ſect. 2. n. 75.* Diana *loc. cit. R. 16. §. 1.* Sicut enim illa verba ex Cap. *Omnis*; præcipentia, ut Communio fiat in Paſchate, conſuetudo interpretatur, quod a Sæcularibus recipienda ſit de manu Parochi ſui ipſorum; uti ſuperius diximus: ita etiam eadem verba quoad Regulares ſimilis conſuetudo interpretatur, quod ab his recipienda ſit de manu proprii Prælati, ſeu Superioris: cum ipſe ſit proprius Sacerdos eorum. Et quamvis Superior deputet plures Confeſſarios, juxta Conſtit. Clementis VIII. qui audiant confeſſiones ſuorum ſubditorum: non tamen iis cenſetur conceſſa facultas adminiſtrandi Euchariſtiam pro Paſchate, cum hæc ſit ab illa diverſa; nec adſit illa neceſſitas, quod talis facultas aliis deputetur, ſicut adeſt pro facultate audiendi Confeſſiones. Nec facultas, quam habent, adminiſtrandi Euchariſtiam, ſuffragatur; quia eſt conceſſa ſolum in ordine ad ſæculares, ut ait Paſqualigus apud Dianam l. cit. ſeu verius, quia non eſt in ordine ad implendum Paſchale præceptum. Simili ratione, qua, etſi non ſit amplius obligatio pro ſæcularibus, confitendi proprio Parocho, ſi aliquando ea fuerit, ſed jam poſſint cuilibet pro ſeipſis approbato facere Confeſſionem quoque annuam; Communionem vero Paſchalem ſumere debent de manu Parochi ſui, & non poſſunt de manu proprii Confeſſoris, quamvis ipſe facultatem habeat adminiſtrandi iiſdem Euchariſtiam, ſed non in ordine ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali. Tenentur itaque Regulares, ſumere Communionem Paſchalem de manu proprii Prælati. Quando autem abſunt a loco, ubi exiſtunt eorum Prælati; poſſunt & debent Communicare de manu alterius; ſi aliter omittenda ipſis eſſet Communio Paſchalis: Vide dicta ſect. 2. qu. 16.

Moniales autem, & quæcumque Mulieres, etiam ſæculares intra Monaſterium Clauſtrale degentes ita, ut non poſſint inde egredi abſque facultate Epiſcopi, vel ſacræ Congregationis; implent præceptum Paſchale, communicando in Paſchate de manu Confeſſoris ordinarii totius Monaſterii. Idem dicendum de illis mulieribus, quæ aliqua in domo recluſæ, quaſi in Monaſterio degunt, ſub juriſdictione, & directione Epiſcopi, unde non ſolent exire abſque facultate ipſius Epiſcopi, aut alterius, cui ipſe commiſerit: hæ quoque ſa- 98

tiſfaciunt Præcepto Paſchali, communicando in Paſchate per manus proprii Cappellani, ſeu Confeſſoris Ordinarii totius Recluſorii.

Idem quoque dicendum eſt de viris, qui collegialiter vivunt, puta in Oratorio, ſeu Eremitorio, & ſunt ſub juriſdictione Epiſcopi.

99 Tertiarii Regularium Ordinum, ſi collegialiter vivant, aut cum Clauſtralibus habitent, gaudent privilegiis, & immunitatibus, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, ex conceſſione Leonis X. in Bulla *Dum intra mentis* an. 1516. approbante Concilio Lateranenſi V. Atque adeo non tenentur recipere Communionem Paſchalem in Parochia; Vide Caval. tom. 4. c. 2. Comment. in decr. 24. nu. 1. & 2. An autem ſimili privilegio gaudeant Mulieres Tertiariæ, ſi Virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, quamvis non ſolemni, & ſub dicto habitu vitam ſimpliciter ducant. Etiamſi in conſanguineorum, & Affinium ſuorum, aut propriis domibus vel ſeorſim habitent? Vide Caval. in cit. d. 24. & Benedict. XIV. *Inſtit.* 105. *a n.* 60.

100 Oblati vero Religionum extra Clauſtra degentes, tenentur in Paſchate communicare in Parochia. Nicolius V. *Paſcha* n. 7.

An famuli, & famulæ Monialium ſæculares degentes in Manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore Paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & Manſiones ſitæ ſunt? Reſp. Affirmative, & non amplius Congr. Concil. 19. *Sept.* 1722. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 22. Particula: *non amplius*: deſignat Cardinalium vota fuiſſe concordia, & cum res ſit omnimode clara, ſuper ea non eſſe amplius diſceptandum.

Famuli denique, & alii ſæculares inſervientes etiam Regularibus viris, debent ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, communicare de manu Parochi ſui; niſi ſimul degant intra ſepta Monaſterii, cui actu inſerviunt; ut ſtatim videbimus.

Secundo, *Regulares poſſunt Laicis*, 101 *qui degunt intra ſepta Monaſterii, eiſque actu inſerviunt, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ unctionis, nec non ſepulturam dare in propria Eccleſia, juxta Decretum editum in Mediolanenſi; non tamen iis, qui quidem actu inſerviunt, ſed degunt extra ſepta Monaſterii, nec eorum familiis.* S. C. Concil. 25. Januar. 1738. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 20. Decretum vero editum in Mediolanenſi, cujus hic fit mentio, eſt tenoris ſequentis: *Laicis, qui intra Clauſtra Regularium habitant, & illis actu inſerviunt, poſſunt Regulares Sacramentum Euchariſtiæ & tempore Paſchæ, ac extremæ Unctionis miniſtrare, nec non in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare.* S. C. Conc. ſub menſem Junii 1587. apud Caval. to. 4. c. 5. d 14. n. 14. Ad prædictum privilegium non ſufficit habitatio ſimplex intra ſepta Regularium, ſed ſimul requiritur ſervitus, ſeu famulatus. Servitus autem, ſeu famulatus non eſt neceſſe, quod ſit in officiis humilioribus, & vilioribus, ſed ſufficit quomodolibet, ut Organedi, Cantoris Capellani &c. Caval. in cit. d. 20. nu. 3. Nec videtur ſimpliciter neceſſarium, quod præſtetur ex ſtipendio, ac mercede:

Digitized by Google

cum non repugnet, quod quis omnino gratis alteri famuletur, & nihilominus ſit Domino ſuo commenſalis; ita Pelliz. *in man. Regul. tr.* 1. *c.* 6. *ſect.* 2. *num.* 41. confirmatque Doctorum auctoritate.

Si quis autem habitet intra ſepta Regularium, quibus etſi non inſerviat, ſe tamen iiſdem tradiderit in ſpiritualem filium, & illum, ut talem regularis Prælatus receperit: ſi gratis a Monaſterio recipiat habitationem, & victum: poſſe prædicto privilegio frui, exiſtimat Caval. *in cit. decr.* 20. *n.* 5. eo quod ad prædictum effectum familiaris talium Regularium itidem dici poſſit. Item Regularium vere familiares habendos, ait, Benefactores illos, qui intra Monaſterium habitantes, alimenta non ſolverent: licet bona ſua legaverint, aut donaverint Monaſterio, vel eidem identidem facerent eleemoſynas. Porro n. 3. & 4. ait: ſæculares familiares Regularium, ex Trident. ſeſſ. 25. c. 11. de Reform. exemptos eſſe a Parochorum, & Ordinariorum juriſdictione, pleneque ſubjectos Prælatis, de quorum Monaſteriorum familia ſunt. Non ſunt tamen audiendi, qui poteſtatem hanc ampliant ad famulos Regularium extra ſepta religioſa degentes: hi enim excluduntur expreſſe ex ſupra laudato Decreto.

An autem famulus domeſticus, qui tamen dormit extra Monaſterium; puta, quia eſt conjugatus, poſſit gaudere privilegio hujuſmodi, quo certe gaudent cæteri famuli domeſtici, qui die, ac nocte intra ſepta religioſa habitant, & morantur? Affirmant Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *Reſol.* 21. §. 1. Franc. De-Lugo loco infra cit. & Portell. apud ipſos, nec contradicit Tamburinus *l. infra cit.* & Chiavetta *conſult.* 12. *num.* 4. Sed videntur obſtare dicenda n. 119. §. *Animadvertendum* 2.

Familiares itaque, ſeu famuli Regularium, ipſis actu inſervientes, & intra ſepta religioſa habitantes continuo, vel quaſi continuo ita; ut ſint, dicique poſſint quaſi commenſales eorum, (nemo tamen ad ſic habitandum intra Clauſtra, admitti in Italia poteſt, niſi expleverit annum ætatis 20. ex Decreto Clementis X. *Etſi Decretis* 16. Maji 1675.) ſatisfaciunt præcepto Paſchali, ſi communicent in Eccleſiis eorumdem Regularium, quibus inſerviunt, & de manu Superioris, a quo ipſi Religioſi recipiunt Communionem pro Paſchate, aut alterius ab eo delegati: hic enim etiam quo ad ipſos prædictos famulos Sacerdos proprius reputatur; vid. Dian. *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *de præc. commun. Reſol.* 16. §. 2. & *R.* 18. & *R.* 21. §. 5. & *R.* 22. §. 6. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 2. *n.* 13. Roderic. *to.* 1. *qu.* 56. *art.* 14. Bonac. *diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *qu.* 3. Quintanadvenn. *to.* 1. *Singular. tract.* 4. *de Euch. ſingul.* 12. *n.* 1. & 6. Tambur. *Meth. commun. c.* 4. §. 4. *n.* 48. Pelliz. *man. Regul. cit. ſect.* 2. *num.* 40. & 41. Chiavet. *conſult.* 12.

Eſt, qui aſſerat, prædictum privilegium non videri eſſe commune omnibus Regularibus, ex Decretis S. Congr. annorum 1685. & 1692. & 1713. & 1721. apud Benedict. XIV. *to.* 3. *Edict. pag.* 163. ita Zacharias *in not. ad theolog. moral. P. La-Croixii lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 11. *n.* 624. ubi etiam adducit, ac refert aliud Decretum de anno 1722. a nobis quoque ſuperius allegatum; quod tamen non eſt ad rem præſentem:

cum

Digitized by Google

tisfaciunt Præcepto Paſchali, communicando in Paſchate per manus proprii Cappellani, ſeu Confeſſoris Ordinarii totius Recluſorii.

Idem quoque dicendum eſt de viris, qui collegialiter vivunt, puta in Oratorio, ſeu Eremitorio, & ſunt ſub juriſdictione Epiſcopi.

Tertiarii Regularium Ordinum, ſi collegialiter vivant, aut cum Clauſtralibus habitent, gaudent privilegiis, & immunitatibus, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, ex conceſſione Leonis X. in Bulla *Dum intra mentis* an. 1516. approbante Concilio Lateranenſi V. Atque adeo non tenentur recipere Communionem Paſchalem in Parochia; Vide Caval. tom. 4. c. 2. Comment. in decr. 24. nu. 1. & 2. An autem ſimili privilegio gaudeant Mulieres Tertiariæ, ſi Virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, quamvis non ſolemni, & ſub dicto habitu vitam ſimpliciter ducant. Etiamſi in conſanguineorum, & Affinium ſuorum, aut propriis domibus vel ſeorſim habitent? Vide Caval. in cit. d. 24. & Benedict. XIV. *Inſtit.* 105. *a n.* 60.

Oblati vero Religionum extra Clauſtra degentes, tenentur in Paſchate communicare in Parochia. Nicolius V. *Paſcha* n. 7.

An famuli, & famulæ Monialium ſæculares degentes in Manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore Paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & Manſiones ſitæ ſunt? Reſp. Affirmative, & non amplius Congr. Concil. 19. *Sept.* 1722. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 22. Particula: *non amplius:* deſignat Cardinalium vota fuiſſe concordia, & cum res ſit omnimode clara, ſuper ea non eſſe amplius diſceptandum.

Famuli denique, & alii ſæculares inſervientes etiam Regularibus viris, debent ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, communicare de manu Parochi ſui; niſi ſimul degant intra ſepta Monaſterii, cui actu inſerviunt; ut ſtatim videbimus.

Secundo, *Regulares poſſunt Laicis qui degunt intra ſepta Monaſterii, eiſque actu inſerviunt, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ unctionis, nec non ſepulturam dare in propria Eccleſia, juxta Decretum editum in Mediolanenſi; non tamen iis, qui quidem actu inſerviunt, ſed degunt extra ſepta Monaſterii, nec eorum familiis.* S. C. Concil. 25. Januar. 1738. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 20. Decretum vero editum in Mediolanenſi, cujus hic fit mentio, eſt tenoris ſequentis: *Laicis, qui intra Clauſtra Regularium habitant, & illis actu inſerviunt, poſſunt Regulares Sacramentum Euchariſtiæ & tempore Paſchæ, ac extremæ Unctionis miniſtrare, nec non in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare.* S. C. Conc. ſub menſem Junii 1587. apud Caval. to. 4. c. 5. d. 14. n. 14. Ad prædictum privilegium non ſufficit habitatio ſimplex intra ſepta Regularium, ſed ſimul requiritur ſervitus, ſeu famulatus. Servitus autem, ſeu famulatus non eſt neceſſe, quod ſit in officiis humilioribus, & vilioribus, ſed ſufficit quomodolibet, ut Organedi, Cantoris Capellani &c. Caval. in cit. d. 20. nu. 3. Nec videtur ſimpliciter neceſſarium, quod præſtetur ex ſtipendio, ac mercede: Cum-

cum non repugnet, quod quis omnino gratis alteri famuletur, & nihilominus ſit Domino ſuo commenſalis; ita Pelliz. *in man. Regul. tr. 1. c. 6. ſect. 2. num.* 41. confirmatque Doctorum auctoritate.

Si quis autem habitet intra ſepta Regularium, quibus etſi non inſerviat, ſe tamen iiſdem tradiderit in ſpiritualem filium, & illum, ut talem regularis Prælatus receperit: ſi gratis a Monaſterio recipiat habitationem, & victum: poſſe prædicto privilegio frui, exiſtimat Caval. *in cit. decr.* 20. *n.* 5. eo, quod ad prædictum effectum familiaris talium Regularium itidem dici poſſit. Item Regularium vere familiares habendos, ait, Benefactores illos, qui intra Monaſterium habitantes, alimenta non ſolverent: licet bona ſua legaverint, aut donaverint Monaſterio, vel eidem identidem facerent eleemoſynas. Porro n. 3. & 4. ait: ſæculares familiares Regularium, ex Trident. ſeſſ. 25. c. 11. de Reform. exemptos eſſe a Parochorum, & Ordinariorum juriſdictione, pleneque ſubjectos Prælatis, de quorum Monaſteriorum familia ſunt. Non ſunt tamen audiendi, qui poteſtatem hanc ampliant ad famulos Regularium extra ſepta religioſa degentes: hi enim excluduntur expreſſe ex ſupra laudato Decreto.

An autem famulus domeſticus, qui tamen dormit extra Monaſterium, puta, quia eſt conjugatus, poſſit gaudere privilegio hujuſmodi, quo certe gaudent cæteri famuli domeſtici, qui die, ac nocte intra ſepta religioſa habitant, & morantur? Affirmant Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *Reſol.* 21. §. 1. Franc. De-Lugo loco infra cit. & Portell. apud ipſos, nec contradicit Tamburinus *l. infra cit.* & Chiavetta *conſult.* 12. *num.* 4. Sed videntur obſtare dicenda n. 119. §. *Animadvertendum* 2.

Familiares itaque, ſeu famuli Regularium, ipſis actu inſervientes, & intra ſepta religioſa habitantes continuo, vel quaſi continuo ita; ut ſint, dicique poſſint quaſi commenſales eorum, (nemo tamen ad ſic habitandum intra Clauſtra, admitti in Italia poteſt, niſi expleverit annum ætatis 20. ex Decreto Clementis X. *Etſi Decretis* 16. Maji 1675.) ſatisfaciunt præcepto Paſchali, ſi communicent in Eccleſiis eorumdem Regularium, quibus inſerviunt, & de manu Superioris, a quo ipſi Religioſi recipiunt Communionem pro Paſchate, aut alterius ab eo delegati: hic enim etiam quo ad ipſos prædictos famulos Sacerdos proprius reputatur; vid. Dian. *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *de præc. commun. Reſol.* 16. §. 2. & *R.* 18. & *R.* 21. §. 5. & *R.* 22. §. 6. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 2. *n.* 13. Roderic. *to.* 1. *qu.* 56. *art.* 14. Bonac. *diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *qu.* 3. Quintanadvenn. *to.* 1. *Singular. tract.* 4. *de Euch. ſingul.* 12. *n.* 1. & 6. Tambur. *Meth. commun. c.* 4. §. 4. *n.* 48. Pelliz. *man. Regul. cit. ſect.* 2. *num.* 40. & 41. Chiavet. *conſult.* 12.

Eſt, qui aſſerat, prædictum privilegium non videri eſſe commune omnibus Regularibus, ex Decretis S. Congr. annorum 1685. & 1692. & 1713. & 1721. apud Benedict. XIV. *to.* 3. *Edict. pag.* 163. ita Zacharias *in not. ad theolog. moral. P. La-Croixii lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 11. *n.* 624. ubi etiam adducit, ac refert aliud Decretum de anno 1722. a nobis quoque ſuperius allegatum; quod tamen non eſt ad rem præſentem: cum

Digitized by Google

cum in eo expreſſe ſermo ſit de famulis, & famulabus Monialium *extra* clauſuram degentibus: de quibus ſuperius dictum fuit. Deinde in Decreto S. C. C. ſupra laudato de anno 1738. abſolute & ſimpliciter declaratur, quod *Regulares poſſunt laicis, qui degunt intra ſepta Monaſterii, eiſque actu inſerviunt, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis &c.* Et vero Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 11. *de Reform.* eximit a juriſdictione Parochorum, & Ordinariorum, pleneque ſubjicit Regularibus eos, qui Regularibus ipſis *actu inſerviunt, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia vivunt.* Non quidem ratione Voti, ut ſcite exponit Suarez *to.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 14. *n.* 11. ſed ratione reſpectivæ ſervitutis.

Cæterum prædicto privilegio adminiſtrandi communionem Paſchalem præfatis famulis domeſticis, expreſſe gaudere Religioſos Minimos per Bullam 41. Leonis X. teſtatur Franciſcus De-Lugo l. ſupra cit. Item eodem gaudere Cœleſtinos per Bullam Cœleſtini V. §. 22. Dominicanos per Bullam 7. Gregorii XI. apud Cherubin. *tom.* 7. & Fratribus Minoribus conceſſiſſe Clementem IV. & Sixtum IV. teſtatur Rodericus l. ſupra cit. & Martinum V. Monachis S. Benedicti obſervantiæ Hyſpaniæ.

Sed & animadvertendum 1. Regulares non poſſe miniſtrare communionem Paſchalem in ſuis prædiis ruſticis operariis. S. C. anno 1648. de mandato Innocentii X. occaſione controverſiæ inter Epiſcopum Angelopolitanum, & Patres Societatis Jeſu, inter alia reſolvit, eos in ſuis prædiis ruſticis minime potuiſſe Communionem Paſchalem miniſtrare laborantibus ibi; apud La-Croix *l.* 6. *par.* 2. *qu.* 225. §. 18. *n.* 1592. Animadvertendum 2. quod Convictores ſæculares ſub Regularium directione, non ideo ſatisfaciant præcepto Paſchali, ſi apud eos communicent Paſchali tempore: quia de illis non loquuntur privilegia. Vid. Cardinal. De-Lugo *in Reſp. moral. lib.* 4. *dub.* 33. La Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 11. *n.* 635. Itaque *In Oratorio Collegiorum Convictoribus diſcipulis, & Domeſticis, hoc eſt, illis, qui actu degunt in Collegio, & illi inſerviunt, (ſed non ſimul continuo habitent intra Clauſtra Regularium, juxta ſuperius tradita:) Communio Paſchalis adminiſtrari non poteſt.* Congr. Concil. 11. Junii 1718. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 23. Hujuſmodi autem Convictores recipere poſſe Communionem Paſchalem a Parocho intra cujus Parochiæ limites Collegium eſt conſtitutum, docet Cavalerius l. cit. n. 2. alias, inquit, Convictores plurimi ad proprias domos tenerentur divertere, & alii totam percurſare Civitatem, cum magno ſui, & Collegii incommodo, & conſuetæ præjudicio diſciplinæ. Videri poſſunt dicenda n. 116. de Studioſis exteris; & n. 119. de habente domum in duabus Parochiis Urbis ejuſdem.

Non tenentur 3. communicare in 103
Parochia, ſeu de manu Parochi Sacerdotes celebrantes aliquam ſaltem Miſſam tempore, quo durat Paſchale præceptum: hi enim ſatisfaciunt, ubicumque dicto tempore celebrent Miſſam, adeoque in illa communicent ex intentione Paſchalis adimplendi præcepti, ſive formali, ſive virtuali: ſic illis conſuetudine permittente communi: Emmanuel Rodriqu. *in Sum. part.* 1. *c.* 64. *nu.* 1.

fine

fine. Pelliz. *man. Regular. tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *qu.* 3. *n.* 74. Bonac. *diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *num.* 7. *fine*. Sa. V. *Euchar. nu.* 11. Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 18. *ſect.* 1. *nu.* 31. Franciſcus De-Lugo *l.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 2. *nu.* 11. Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 12. Platell. *par.* 5. *c.* 4. §. 5. *nu.* 432. Lezana *in Sum.* V. *Euchariſtia n.* 13. La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 15. *nu.* 639. Benedictus XIV. *to.* 2. *Notif.* 55. *n.* 9.

Quod ſi Sacerdos nullam Miſſam celebret tempore, quo durat Paſchale præceptum, tenetur dicto tempore communicare in Parochia, ſeu communicare laico more de manu Parochi ſui: quia quando agit ut laicus, tenetur præcepto, ut Laicus. Cardinalis De-Lugo l. cit. & cum eo, & Gobat La-Croix loc. cit. & Benedictus XIV. l. cit. Unde ſi communicet de manu alterius, quam Parochi ſui, reus erit hujuſmodi tranſgreſſi præcepti.

104 Difficultas autem eſſe poteſt: An excuſetur a communicando in Parochia Sacerdos, qui tempore præcepti Paſchalis non celebret quidem, ſed tamen communicet ſe ipſum extra Miſſam. Profecto licitum eſſe Sacerdoti extra Miſſam ſe ipſum communicare, non ſolum ex neceſſitate, ſed etiam ex mera devotione, docent Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 3. §. *Tertio principaliter*. Cardinalis De-Lugo *de Sacr. Euch. diſp.* 18. *ſect.* 1. *num.* 33. & 35. Diana *edit. coord. to.* 2. *tr.* 2. *R.* 39. *a* §. 2. & *R.* 40. §. 2., & alii multi, quos ſequitur Franciſcus De-Lugo *de Sacr. lib.* 1. *c.* 6. *qu.* 12. *theor.* 3. *n.* 9. & *l.* 4. *de Euch. c.* 11. *quæſt.* 5. *n.* 47.

Jam vero videtur dici poſſe in dicto caſu: Sacerdotem excuſari a communicando de manu Parochi, quia ſi communicavit ſe ipſum, etiamſi id fecerit extra Miſſam, non videtur egiſſe ut Laicus, adeoque non tenetur præcepto prædicto, quod tunc obligat Sacerdotem, quando ſe gerit ut Laicus, quemadmodum dicitur ab Auctoribus laudatis, ſeu quando ſolum communicat ut Laicus.

Quod autem, communicando ſe ipſum etiam extra Miſſam, non videatur Sacerdos agere ut laicus, probatur ex eo quod laicis non eſt permiſſum communicare ſe ipſos, niſi forte in urgentiſſima, & rariſſima cauſa vitandæ irreverentiæ, ne ſcilicet alioquin Euchariſtia conculcetur, aut comburatur; Et item in neceſſitate extrema ſumendi Viaticum Vid. rurſus Suarez cit. *diſp.* 72. *ſect.* 1. *verſus finem*, & *ſect.* 3. *fine*. Franc. De Lugo locis cit. Diana *edit. coord. to.* 2. *tract.* 1. *R.* 56. Cardinal. De-Lugo *de Euch. diſp.* 18. *ſect.* 1. *n.* 21. & 23. Quod ipſum etiam eſt valde controverſum, an laicis liceat? Vid. Franc. De-Lugo *l.* 4. *de Euch. c.* 11. *qu.* 5. *a nu.* 50. De-Lugo *loc. cit. a num.* 24.

Sed contra eſt; primo quia, ſi Sacerdotibus licitum eſt, communicare ſe ipſos extra Sacrificium, id quidem conceditur, non ſolum ſi ſcandalum abſit, quod quidem facile vitari poterit; Et item non ſolum ſi habeatur poteſtas juriſdictionis, ſeu facultas miniſtrandi: Sacerdotium enim præciſe non dat Sacerdoti juriſdictionem neceſſariam ad Euchariſtiam miniſtrandam aliis, ut ſect. 7. initio docebimus; atque adeo nec ſibi; Nam ex vi juris diſpenſandi, clarum eſt, inquit Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 3. *verſus finem*; neminem poſſe ſibi ſumere,

qui

qui non habet jus diſpenſandi: quia ſibi ſumere, etiam eſt diſpenſare.; Et hinc oritur ut nec laici, nec inferiores Clerici poſſint ſe ipſos communicare; Et idem eſt de Diacono, ſaltem ſine licentia Presbyteri, confer dicta ſect. 2. n. 31. & de quolibet Sacerdote, non habente jus, vel facultatem diſpenſandi; ita Suarez. Quæ tamen facultas miniſtrandi aliis ex conſuetudine præſenti præſumi communiter conſuevit ab omnibus Sacerdotibus, ut cit. ſect. 7. notabimus. Igitur ſi Sacerdotibus, ut dicebamus, licitum eſt communicare ſe ipſos extra Sacrificium ſuum, id quidem conceditur, non ſolum ſi ſcandalum abſit, & item non ſolum ſi habeatur juriſdictio, vel facultas diſpenſandi, ſeu miniſtrandi, ſed etiam requiritur defectus alterius Sacerdotis, qui miniſtrare poſſit communionem Sacerdoti, more laico communicare volenti. Cum quibus profecto limitationibus admittitur illud apud Franc. De-Lugo *lib.* 4. *l. cit. nu.* 47. & apud Dian. *edit. coord. to.* 2. *tr.* 2. *R.* 39. §. 3. & 4. & *R.* 40. §. 2. & a Suar. l. cit. Imo defectum quoque Diaconi requirunt alii apud eumdem Franc. De-Lugo nu. 49. & apud Dianam *cit. R.* 39. §. 5. & 7. & *cit. R.* 40. §. 3. Ergo præſente Parocho, aut altero ab eo delegato, a quo Sacerdos poſſit recipere Communionem, in hoc caſu ei non licet communicare ſe ipſum etiam ex mera devotione; Ergo multo minus ei licebit communicare ſe ipſum ad ſatisfaciendum præcepto, quod per ſe exigit, Communionem fieri de manu Parochi. Secundo quia, etiamſi detur caſus, quo Sacerdos aliquis præſente etiam Parocho, aut ejus delegato, communicet ſe ipſum; vel aliquo die infra tempus Paſchale communicet ſe ipſum extra Sacrificium nullo præſente Sacerdote, a quo communionem recipere poſſit; Adhuc dicendum eſt: non ſatisfacere ſic præcepto huic; quia ſic communicando, adhuc ſe gerit ut Laicus, communio enim etiam Sacerdotis extra Miſſam, ſeu extra ſuum Sacrificium, ſi non ſit ſaltem facta tamquam ex officio publici Miniſtri Eccleſiæ, ex. gr. in officio Feriæ VI. Paraſceves, vel ad complendum Sacrificium alterius Celebrantis, qui defecerit, dum peragebat Sacrum Myſterium poſt conſecrationem; de quibus caſibus infra dicemus; eſt Communio etiam Laica, & ita vocari in Conciliis, teſtatur laudatus Franciſcus De-Lugo cit. l. 4. n. 45. docetque, Sacerdotem debere, ad illam conſiderari, ac ſi eſſet laicus: (quod tamen non intelligas abſolute, & ſimpliciter; etenim haud privatur honore vel ſimplicium Clericorum, communicandi intra Presbyterium, & ad gradus Altaris; uti notavimus fer. V. Cœnæ n. 153. imo & Sacerdotali ornatus ſtola communicare tenetur, ſecundum dicta in cit. fer. V. n. 148.) Ita etiam docet Suar. *tom.* 3. *in.* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 3. circa medium, & Cardinalis De-Lugo *cit. ſect.* 1. *n.* 31. & 32. Atque adeo deficit tota illa ratio, quæ ſupra adduci poſſe in oppoſitum videbatur. Ergo Sacerdos tempore Paſchali etiam communicando ſeipſum extra ſuum Sacrificium tantum, nec tamquam publicus Miniſter Eccleſiæ, non ſatisfacit præcepto communicandi de manu Parochi ſui.

Dices: Sacerdotes habent ex Concilio Nicæno I. facultatem communicandi ſe ipſos etiam extra Sacrifi- 105

cium; quæ quidem facultas colligitur a fortiori, ex eo nimirum quod a laudato Concilio ea conceditur Diaconis; ut notant Franciſcus De Lugo *cit. l.* 4. *n.* 46. De Lugo nu. 33. Diana *cit. R.* 39. §. 3. La-Croix, Dicaſtil., & alii. Ergo Sacerdotes non ſunt cogendi communieare de manu Parochi tempore Paſchali, ſi hoc tempore celebrare noluerint, ſed ſolum voluerint communicare ſe ipſos.

℞. Omiſſo antecedenti, nego conſequentiam, quæ nullo modo ſequitur; quemadmodum ex facultate generali, & communi, ut eſt conſuetudo, miniſtrandi aliis Communionem, non ſequitur, poſſe etiam miniſtrari ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali; unde habentes facultatem, recipiendi communionem a quolibet Sacerdote, tenentur nihilominus in Paſchate communicare ſemel de manu Parochi. Profecto etiamſi Sacerdotes haberent ex laudato Concilio expreſſam generalem facultatem communicandi ſe ipſos extra Sacrificium ſuum, etiam præſente alio Sacerdote; nihilominus nequaquam eis licere, dicendum eſſet, communicare ſe ipſos, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali; quia non eſt cenſendum, habere etiam ad id facultatem, ſeu ad id illam facultatem extendi, ſed opus eſſe alia ſpeciali, & expreſſa, aut ſaltem prudenter præſumpta Parochi ſui. Nam ex C. *Quamvis*. *De præbendis in* 6. quæ ſunt ſpeciali nota digna, non intelliguntur in diſpoſitione generali comprehenſa, niſi exprimantur. Cum itaque ex una parte, obligatio communicandi in Paſchate de manu Parochi ſit ſpeciali nota digna, & ex alia parte a Concilio non diſpenſetur expreſſe in illa conceſſione, quæ dicitur facta Sacerdotibus, ut poſſint communicare ſe ipſos more laico, ſeu extra Sacrificium ſuum; dicendum eſt, in illa generali conceſſione non comprehendi Communionem laicam prædictam etiam Sacerdotis, faciendam ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, de manu Parochi ſumendam. Rurſus cum Parochi ſint admodum ſoliciti de jure ſuo ſibi ſervando, ad exigendam Communionem Paſchalem a ſuis ovibus: Et Eccleſia ſemper illud ipſis cuſtodire admodum quoque curaverit: non fuiſſet laudatum Concilium veriſimiliter conceſſurum, Sacerdotibus Communicantibus ſeipſos extra Sacrificium ſuum, atque adeo more laico, non fuiſſet, inquam, veriſimiliter conceſſurum, poſſe per hujuſmodi Communionem ſatisfacere præcepto Paſchali, Parocho præſente. Ergo in illa generali conceſſione non comprehenditur Communio Paſchalis. Profecto ex Regula 81. juris in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*.

Omiſi antecedens: quia, ſi in laudato Concilio facultatem Sacerdotibus concedi communieandi ſe ipſos, colligitur ex eo, quod ea fuerit conceſſa Diaconis; videtur adhuc dicendum eſſe: ex vi prædicti juris Sacerdotes poſſe communicare ſe ipſos more laico, ſolum in eodem caſu, in quo conceditur Diaconis. Atqui Diaconis conceditur ſolum in abſentia Sacerdotis: Ergo Sacerdotibus conceditur ſimiliter in abſentia ſolum alterius Sacerdotis. Et ita dicendum eſt, ut jam ſupra docuimus. Dico itaque: quod ſi Sacerdos aliquis toto tempore, quo durat præceptum Paſchale, nullam Miſſam diceret,

ceret, etiamſi communicaret ſe ipſum extra Sacrificium, teneretur communicare ſemel de manu Parochi ſui tempore prædicto.

106 An autem aliter decidendum ſit de Sacerdote, qui feria ſexta in Paraſceve communicat in officio illius diei, quod peragit ad altare; Etiamſi daretur caſus poſſibilis, de quo egimus feria ſexta prædicta ſubſ. 5. §. 20. qu. 5. quod nec pridie, nec ante celebraſſet, nec poſtea celebrare vellet, ſeu poſſet infra tempus præcepti Paſchalis: ita ut hic excuſetur a præcepto communicandi infra tempus Paſchale de manu Parochi? In hoc caſu certe affirmarent illi, qui, ut diximus l. cit. qu. 3. ſuſtinent, prædictum officium eſſe verum Sacrificium; adeoque pro certo darent, prædictum Sacerdotem non teneri communicare de manu Parochi, etſi tempore Paſchali illam ſolam ſumeret Communionem.

Verum cum nos docuerimus ibi ex communi, & vera Doctrina ſententiam, illud officium non eſſe verum Sacrificium, & veram Miſſam: hinc quæri poſſet: An Sacerdos prædictus, poſito quod in dicto caſu non conficiat Sacrificium, poſſit nihilominus per illam communionem ita ſatisfacere præcepto Paſchali, ut non teneatur communicare de manu Parochi?

Et in hac etiam ſententia affirmarent Cardinalis De-Lugo, & alii, qui, ut dixi in præd. fer. VI. qu. 4. ſuſtinent, prædictum officium eſſe complementum Sacrificii diei præcedentis. Sed mihi ſententia illa ibi non placuit. Nihilominus etiam mihi probabiliſſimum eſt, prædictum Celebrantem peragentem officium Paraſceves ad Altare, in eoque communicantem, per illam Communionem ſatisfacere prædicto præcepto. Enimvero etſi non celebret Miſſam per illud officium, nec quidem compleat Sacrificium diei præcedentis; Attamen cum tamquam publicus Miniſter Eccleſiæ celebret, ſeu peragat ſacram illam actionem, & conſumat Sacramentum; Ideo non communicat communione laica, ſed Sacerdotali; ut innuimus ſupra n. 104. prope finem, & docent Auctores laudati in feria ſexta Paraſc. l. cit. qu. 6. n. 270. Ergo dum non agit ut laicus, non tenetur præcepto ut laicus. Puto itaque, quod ſi daretur caſus, quo officium ad Altare in Paraſceve perageret non ille, qui pridie conſecravit hoſtiam in illa actione ſacra ſumendam, ſed alter, qui nec pridie, nec aliis diebus præcedentibus infra tempus præcepti Paſchalis celebraverit, ſatisfaceret hic præcepto Paſchali per illam ſolam communionem in prædicta actione ſuſceptam; ita ut non teneretur communicare de manu Parochi, etſi nec celebrare vellet, ſeu poſſet in reliquis diebus ſequentibus præcepti Paſchalis.

Idem dico de eo, qui poſt conſecrationem compleret Miſſam alterius Sacerdotis deficientis; nec enim ipſe communicaret laice, ut ſuperius etiam notavimus.

Prædicta intellige etiam de Sacerdotibus Regularibus: hi videlicet adhuc ſatisfacient præcepto communicandi in Eccleſia propria, ſeu de manu ſui ipſorum Prælati, ſi celebrent, ſive in Eccleſia propria, ſive in aliena, ſeu in Oratorio privato Miſſam aliquam tempore, quo durat præceptum Paſchale, adeoque in illa Miſſa communicent ex intentione ſatisfaciendi præcepti Paſchalis, ſive 107

ſive

ſive formali, ſive virtuali. Pelliz. loco ſupra cit. n. 76. Ad quam habendam virtualem applicationem, ſufficere, quod Sacerdotes Celebrantes, & in Miſſa communicantes non habeant intentionem contrariam, docet Fagundez. loco ſupra cit. nec contradicit Pelliz. l. cit. n. 74.

108 Si autem quæras: an teneatur Sacerdos celebrare aliquam ſaltem Miſſam, ut communicare poſſit tempore Paſchali, ad ſatisfaciendum præcepto; ſi vere non poſſit adire Parochum, nec alter adſit Sacerdos, qui ipſum communicet, nec ſe ipſum communicare poſſit extra Miſſam, quia nulla ſit hoſtia conſecrata?

℞. Teneri celebrare, ut communicando ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis: ſi teneatur celebrare, ut celebrando ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, diebus feſtis, quando non ſit aliud ſacrum. Si vero non teneatur celebrare, ut audiat Miſſam; nec tenebitur celebrare, ut communicet pro Paſchate. Enimvero præceptum Communionis Paſchalis, ut ſic, & præceptum Miſſæ audiendæ videntur ſaltem ſimiliter urgere reſpectu Sacerdotis prædicti.

An autem teneatur celebrare Miſſam Sacerdos die feſto, ut ipſemet adimpleat audiendi præceptum, quando non eſt aliud Sacrum? Videtur affirmare Rodriquez *in Summ. 1. par. c. 147. n. 7.* Negat vero Moure apud Franciſcum De-Lugo *lib. 5. de Miſſ. c. 5. qu. 1. nu. 16.* nam illud præceptum per ſe ſolum obligat, ad audiendam Miſſam, quando copia ſubeſt audiendi; non autem ad dicendam illam: cum hoc ſit gravius onus, majorem præcepti vim requirens, ut cenſeatur oppoſitum. Sed Franciſcus De-Lugo ibi cenſet, ſi nullum adſit impedimentum celebrandi, teneri: quia tunc celebratio non eſt tantum onus, ut ſubiri non debeat, ad præceptum auditionis implendum.

Juxta ſententiam hanc affirmativam; poſito, quod præceptum Communionis Paſchalis urgeat, ſi non magis, ſaltem ſimiliter ac præceptum audiendi Miſſam diebus feſtis; dicendum eſt: Sacerdotem in prædicto caſu celebrare teneri, ut ſatisfaciat præcepto Paſchali. Et quia præceptum Paſchale urget ſingulis diebus etiam non feſtivis temporis deſignati ad illud implendum; tenetur in eodem caſu Sacerdos aliquam Miſſam celebrare diebus etiam non feſtivis, ſi aliter ei Paſchalis eſſet omittenda Communio.

Non tenentur denique 4. de manu Parochi communicare Vagi, & 109
ſimiliter Viatores, Advenæ, & Peregrini; ſi putent ſe ad propriam Parochiam non redituros, ſeu acceſſuros durante tempore præcepti Paſchalis. Porro advenæ, & Peregrini proprie dicuntur ii, qui aliquo veniunt animo non manendi, ſed tantum morandi aliquot dies, vel ad ſummum per minorem anni partem, & iterum ad propriam conſtantem Sedem habitationis ſuæ revertendi. Vagi autem ſunt, qui certam, ac conſtantem Sedem habitationis nullibi habent. Item qui poſt relictum corpore, & animo priſtinum domicilium, iter faciunt, quærentes ubi ſe collocent. Unde qui relicto priori Domicilio, confert ſe ad locum, ubi decrevit figere Domicilium, dum eſt in via, caret Domicilio, eſtque Vagus: nam caret Domicilio, quod habuit, quia deſeruit illud animo,

& facto; deinde caret illo, ad quod tendit, quia non comparatur ſolo animo, niſi accedat factum. Præterea non habet quaſi Domicilium Parochiæ, per quam tranſit, quia brevis temporis hoſpes nequidem quaſi Domicilium contrahit. Ergo nullum habet Domicilium, & conſequenter eſt Vagus. Ita ex Sanchez, & Leſſio habet La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 100. §. 41. n. 746.* ubi etiam ex Sanchez docet: contra; non cenſeri Vagum illum, qui intra eamdem Urbem ex una Parochia vult ire habitatum ad aliam, & interim in tertia aliqua Parochia moratur.

Vagi itaque prædicti, Viatores, Advenæ, & Peregrini non tenentur communicare in Parochia de manu Parochi vel ſui, quia ab eo abſunt; vel loci, in quo inveniuntur, ut probabimus; ſed ſatisfaciunt ubicumque, etiam in Regularium Eccleſiis communicando tempore, quo impletur Paſchale præceptum; ſi putent ſe, eodem durante tempore, ad proprium Parochum non reverſuros, ſeu acceſſuros. Tambur. *Meth. commun. c. 4. §. 4. n. 46.* Remig. & Jo: de Soria apud Dianam *l. cit. reſol. 16. §. 2.* & ipſe Diana *reſol. 21. §. 2.* Roderic. *tom. 1. qu. 56. art. 6.* La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 117. §. 14. n. 638.* Felix Poteſtas *to. 1. par. 3. de 2. præc. Eccl. n. 2919.* Platell. *loc. cit.* Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp. 18. ſect. 2. num. 50. fine*, & alii plures; Profecto in hanc ſententiam convenire omnes fere Doctores, teſtatur laudatus De-Lugo.

Probatur 1. quia in prædictis ceſſat ratio obligationis communicandi in Parochia; nimirum ut Paſtor cognoſcat ſuas Oves, & Oves recognoſcant ſuum Paſtorem. Profecto hi cum non habeant Parochiam, vel abſint a propria, non cenſentur habere Parochum proprium, quem recognoſcere teneantur: Cum enim non acquirant nequidem quaſi Domicilium, non fiunt ſubditi Parochis locorum, in quibus inveniuntur tempore præcepti Paſchalis. Ergo &c. Ita Henriqu. & Fagund. apud Franciſcum De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 11. qu. 3. nu. 30.*

Probatur 2. ex prudenter præſumpto Parochorum conſenſu. Proprii quidem Parochi cenſentur conſentire prædictis, ut ubi voluerint, communicent: Nam cum ipſi illis in Regiones alias proficiſcentibus hanc licentiam non reſtrinxerint, nec uſus eſt reſtringi; illam videntur virtualiter conceſſiſſe; videlicet ut poſſent Euchariſtiam ſumere, ad ſatisfaciendum præcepto, ubicumque maluerint, etiam in Eccleſiis Regularium; Et ſic Regulares, vel quilibet alii Sacerdotes miniſtrantes Communionem Paſchalem prædictis, miniſtrarent ex tacita licentia proprii illorum Parochi. Quæ ratio eſt Tamburini loco citato; & ex qua præſumptione concedit Peregrinis Suarez *de Relig. to. 4. tr. 10. l. 9. c. 3. nu. 9. & 10. & to. 3. in 3. par. diſp. 72. ſect. 2. verſus finem.* Ipſemet Pater Franciſcus De-Lugo licet prius cæteroqui contrarius, attamen tandem concedit, Peregrinis, & Vagis miniſtrari poſſe Communionem Paſchalem extra Parochiam; Etſi id velit ex præſumpta licentia Parochi loci, ubi prædicti inveniantur; hæc enim habet *de Sacr. lib. 4. de Euch. cap. 11. qu. 3. n. 35.* & ſic concludit: *Quia tamen Parochi talis loci* (ubi Peregrini, & Vagi inveniantur tempore præcepti Paſchalis:) *non ſolent multum curare de Peregrinis, ſeu Vagabundis, præſertim ſi cito diſceſ-*

diſceſſuri ſint, *facile præſumi poteſt Parochi conſenſus*, *ut Advenæ*, *ſeu Viatores recipiant communionem a quo maluerint*; *Et ita poterunt Regulares his miniſtrare Communionem Paſchalem ex hac prudenti præſumptione*. Hæc Franciſcus De Lugo.

110. Nec obſtat 1. quod Eugenius IV. concedat Peregrinis, ut in ordine ad Communionem Paſchalem cenſeri poſſint in Parochiis acquiſiviſſe quaſi incolatum. Nam hoc fuit in gratiam, & favorem ipſorummet Peregrinorum, ad tollendos eorumdem ſcrupulos: Non tamen eos obligavit, ut alienis Parochis ſubjicerentur; ſed reliquit eos diſpoſitioni juris Communis. Non tenentur ergo prædicti uti privilegio illo, ſed ſatisfaciunt, etiamſi non communicent in Parochia, in qua inveniuntur: ita Tamburinus, Diana, La-Croix ll. cit. Item Thom. Sanchez. Fagund. Portel. apud Franc. De Lugo n. 35.

Nec obſtat 2. in Rituali Romano Pauli V. ubi de Communione Paſchali, moneri Parochum, quod Peregrinis, Advenis, & Vagis pro præcepto Paſchali *ipſe ſacram miniſtrabit Communionem*: Hoc, inquam, non obſtat, nam ibi potius inſtruitur Parochus in munere ſuo, quam præceptum ullum Peregrinis, Vagis, & Advenis imponatur. Scilicet non præcipitur his, ut pro Communione Paſchali accedant ad Parochum loci ubi inveniantur; ſed ſolum præſcribitur Parocho, & monetur, ut Vagos, & Advenas, ac Peregrinos ad ſe pro communione Paſchali accedentes, etſi ad ſuam Parochiam non pertineant, minime rejiciat, ſicut rejicere debet alios, ad alienam Parochiam ejuſdem Urbis, ſeu loci videlicet pertinentes, quos pro Communione Paſchali remittere debet ad proprium ipſorum Parochum. Sed prædictis Peregrinis &c. ipſe Sacram miniſtrabit Communionem Paſchalem, ſi ad ipſum acceſſerint, dummodo non ſint indiſpoſiti. Porro in laudato Rituali ſic legitur: *Parochiæ ſuæ fidelibus* (Parochus) *hoc Sacramentum* (Euchariſtiæ) *miniſtrabit* (in Paſchate;) *alienæ vero Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet*, *præter Peregrinos*, *& Advenas*, *& qui certum Domicilium non habent*, (qui videlicet ſunt Vagi;) *quibus ipſe Sacram miniſtrabit Communionem*, *ſi ad illum acceſſerint rite parati &c.*

Nec valet dicere: teneri ſaltem Communicare in Cathedrali, ſeu majori Eccleſia: ut voluit Peregrinus apud Dianam *Reſol.* 21. §. 1. ex eo quia videatur, eſſe Parochia univerſalis totius Diœceſis. Nam id primo ad ſummum valeret tantum pro Peregrinis Diœceſanis, non item pro aliis, qui ſint alterius Diœceſis. Sed nec 2. pro illis valet, qui ſunt Diœceſis ejuſdem: Enim vero, ut teſtatur Diana ibi §. 4. cum Portell. & Sanch. ac notavimus qu. 1. n. 94. ſub init. nullo jure probatur, quod Cathedralis ſit communis omnium Diœceſis. Denique nullo jure probatur, ut idem ait, Vagos, & Peregrinos ad Cathedralem, ſeu majorem Eccleſiam debere confluere pro Communione Paſchali. Imo ego obſervo, quod in Rituali Romano Pauli V. loco cit. dicatur Parochis, ut Peregrinis, & Advenis, ac Vagis Communionem Paſchalem miniſtrent, vel eos ad Cathedralis Eccleſiæ Parochos remittant, *ubi eſt ea conſuetudo*. Per quæ poſteriora verba, vides, tantum abeſſe, quod adſit jus commune obligans Peregrinos, Advenas,

& Va-

& Vagos ad communicandum in Cathedrali, ut nonniſi ex ſola particulari aliqua conſuetudine, quæ forte alicubi ſit, remittantur prædicti ad Cathedralem pro Communione Paſchali. Quo caſu docet Franciſcus De-Lugo nu. 35. fine, videri prædictos peregrinos &c. debere communicare in deſignata ipſis Eccleſia, videlicet in Cathedrali. Quod poſſet admitti; niſi dicamus, in hoc etiam caſu hujuſmodi Cathedralem Eccleſiam deſignari ſimpliciter in commodum Peregrinorum; non vero ad eos compellendos; quemadmodum ſupra dictum eſt de deſignatione Eccleſiarum Parochialium iiſdem facta pro eodem præcepto Paſchali ab Eugenio IV.

112 Si tamen Vagi acquirant alicubi Domicilium tempore præcepti Paſchalis, tunc utique tenentur communicare pro Paſchate in Parochia loci ubi inveniuntur. Tum autem acquirunt Domicilium, ſi ibi habitare incipiant cum intentione ibidem perpetuo permanendi. Buſemb. *lib.1. de Legibus c. 2. dub. 2. §. ſuppono 2.* & La-Croix *lib. 1. de Legib. qu. 113. §. 1. & 2. n. 688.* Et quidem communis ſententia habet, quod voluntas habitandi perpetuo in aliquo loco, ſufficiat ad Domicilium habitationis ibi ſtatim, etiam primo die, quo re ipſa habitare quis incipit, contrahendum, ſpecialiter ad acquirendam Parochiam. Etſi id non ſufficiat ad effectum ſuſcipiendi Ordines. La-Croix *lib. 6. par. 3. qu. 100. §. 15. n. 720.*

Animadvertendum eſt hic, quod alibi damnati ad perpetuum carcerem, vel in exilium involuntarium miſſi, ubi etiam mori, vel exulare debent; ibi cenſentur, etiam inviti, habere Domicilium. Vid. La-Croix *lib. 7. qu. 29. §. 12. n. 247.* Caval. *to. 4. c. 14. comment. in decr. 8.*

Similiter Peregrini, ſi ad Parochiam propriam revertantur tempore Paſchali, tenentur, per ſe loquendo, ibi communicare, etiamſi in loco peregrinationis ſuæ communicaverint ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali, putantes, ſe non reverſuros ad propriam Parochiam niſi elapſo tempore præcepti Paſchalis. In qua tantum ſuppoſitione conceſſimus iis, communicare poſſe pro Paſchate in loco peregrinationis ſuæ. Peregrini enim, qui diebus nonnullis tempore præcepti Paſchalis verſantur extra propriam Parochiam, ſed ad eam ſunt reverſuri infra tempus idem, etiamſi per conſuetudinem particularem foret extenſum in ſua ipſorum Parochia, non poſſunt communicare in loco peregrinationis ſuæ ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali; ſed debent differre, uſque dum Parochiæ ſuæ ſe reſtituerint, ut ibi recipiant Communionem Paſchalem de manu proprii Parochi. Confer dicta ſect. 2. qu. 16. n. 20. ſub init. Nunc ergo dicimus, quod ſi putantes ſe non reverſuros opportuno tempore ad propriam Parochiam, communicaverint alibi ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali; ſi tamen deinde, mutatis circumſtantiis negotiorum, & rerum, ad propriam Parochiam revertantur, durante ibi adhuc tempore præcepti Paſchalis; nihilominus tenentur, per ſe loquendo, iterum communicare, ut communicent in Parochia ſua, ſeu de manu ſui Parochi, ad ſatisfaciendum videlicet præcepto communicandi in Paſchate de manu ſui Parochi, ut illum tamquam Paſto-

rem

rem ſuum hoc tempore recognoſcant, & ſimiliter ab illo recognoſcantur; A quo præcepto licet excuſati fuiſſent, ſi peregrini permanſiſſent toto tempore præcepti Paſchalis; cum tamen tales eſſe ceſſaverint, & ad propriam redierint, antequam tempus Paſchalis præcepti finierit, non eſt unde amplius excuſentur. Peccarent ergo, non communicando de manu ſui Parochi, non quidem contra præceptum Communionis annuæ, & Paſchalis, cum jam ſatisfecerint communicando tempore eodem Præcepti Paſchalis in loco peregrinationis ſuæ; ſed peccarent tantum contra præceptum communicandi in Paſchate de manu ſui Parochi. Profecto, ut ſect. 1. num. 3. docuimus: Præceptum Communionis Paſchalis eſt multiplex, & plures involvit partes, quarum quælibet obligat per ſe, & ſub gravi. Nimirum 1. involvit præceptum communicandi ſaltem ſemel in anno. 2. faciendi hanc Communionem annuam tempore Paſchali; ita ut qui communicaret quidem ſemel, aut etiam pluries in anno, ſed non tempore Paſchali, peccaret mortaliter. 3. Faciendi hanc Communionem annuam *tempore Paſchali de manu Parochi ſui*; ita ut, qui communicaret in Paſchate etiam pluries, etiam in ſua Parochia, ſed non de manu ſui Parochi, aut alterius ab eo delegati, peccaret mortaliter; peccaret item mortaliter, qui infra annum communicaret quidem de manu ſui Parochi, ſed non tempore deſignato ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali. In Confeſſione vero non recte ſe accuſaret hujuſmodi Peregrinus, aut ſimilis, ſi diceret: *omiſi præceptum Paſchale*; Cum per id intelligi ſoleat, non fuiſſe omnino facta Communio in Paſchate. Oporteret ergo ſe explicare, & accuſare dicendo: *Communicavi quidem in Paſchate, ſed non de manu Parochi mei: cum id potuerim*. An autem in hoc poſſit dari parvitas materiæ, ita ut mortale non ſit, ſemel, aut iterum Paſchalem Communionem de manu alterius ſumere, quam Parochi ſui? examinabimus qu. 6.

Objic. Prædictos Peregrinos communicaſſe in Paſchate non de manu Parochi ſui ex licentia tacita, prudenterque præſumpta ipſius Parochi; ſecundum doctrinam a nobis ſuperius traditam n. 109. Ergo non eſt cur deinde revocetur, & obligentur communicare de manu Parochi ſui, poſtquam ad ſuam Parochiam redierint. 112

℞. Diſtinguo antecedens: Et licentia prædicta tacita intelligitur conceſſa, ac valet, conditione peregrinationis perſeverante toto tempore præcepti Paſchalis: concedo: Ipſa etiam deficiente infra idem tempus præcepti Paſchalis; nego antecedens, & conſequentiam. Quando Parochi tacite conſentire videntur, ut Parochiani ſui peregre proficiſcentes, communionem Paſchalem ubicumque, & a quolibet Sacerdote ſuſcipiant: id procul dubio conſentiunt ſub conditione, quod toto tempore præcepti Paſchalis, etiam per particularem conſuetudinem ampliati, duraverit impedimentum peregrinationis; non item ipſo deficiente antequam abſolvatur tempus prædictum; quia tunc deficit tota ratio diſpenſationis: certiſſime itaque volunt, quod Parochiani ſui, ſi tempore præcepti Paſchalis a ſua peregrinatione redeant, ad ipſos recognoſcendos accedant, de manu eorumdem ſumendo Communionem Paſcha-

ſchalem, ut cæteri, etiamſi eodem tempore alibi communicaverint. Sicuti ſi Parochus alicui facultatem faceret communicandi extra Parochiam ſub conditione tantum quod interveniat, & perſeveret toto tempore præcepti Paſchalis impedimentum, quod timet; impedimento illo non occurrente, aut deficiente intra ipſum tempus prædictum, teneretur hujuſmodi, communicare de manu Parochi ſui; quia licentia, & diſpenſatio non fuit abſoluta, ſed conditionata: qua conditione deficiente, ſub qua tantum conceſſa fuit, deficit licentia, & diſpenſatio: favent dicta ſect. 2. qu. 6. num. 17.

113 Dixi tamen ſupra: prædictos Peregrinos in dicto caſu teneri, ad communicandum iterum, *per ſe loquendo:* quia poſſunt a proprio Parocho excuſari. Imo hic, ſi certus reddatur quod Parochianus ſuus Peregrinus communicaverit tempore præcepti Paſchalis, non oportet illum cogere, ad Communicandum iterum, ut Communicet demanu ſua. Notari poteſt hic; Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regul. in Caſtrenſi 24. Maij 1624. declaraſſe: Epiſcopos non debere procedere contra eos, qui in paſchate communicaverunt Romæ. Apud Lucium Ferrar. V. *Paſchalis Communios* n. 32. & Nicolium V. *Paſcha* n. 4.

114 Quod hic diximus de impedimento peregrinationis, id ipſum intelligendum eſt de quovis alio impedimento ceſſante infra idem tempus præcepti Paſchalis; Eadem enim, imo potior militat ratio; Ut ſiquis prædicto tempore potens nunc communicare de manu alterius quam Parochi ſui, prudenter timeat, ob aliquam cauſam, ne non valeat deinde communicare pro præcepto Paſchali; ſi nunc non communicet de manu alterius quam Parochi ſui abſentis, a quo non poſſit petere facultatem; hic debet communicare de manu alterius, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali. Vide dicenda hic qu. 9. n. 130. Si tamen deinde impedimentum communicandi de manu Parochi, quod timebat, non eveniat durante tempore præcepti Paſchalis, etiam per particularem conſuetudinem ampliati; tunc tenetur ſiſtere ſe Parocho ſuo, ut de manu ejus communicet, ſi idem Parochus voluerit.

Cum, ſecundum pluries dicta, Peregrini, & Vagi poſſint frui privilegiis loci; hinc ſi inveniantur in loco, in quo anticipetur tempus præcepti Paſchalis, de quo nonnulla exempla produximus ſect. 2. n. 6. poſſunt ibi frui hujuſmodi privilegio loci, communicando videlicet ante quam pro Eccleſia Univerſali incipiat obligare Paſchale præceptum; ſi putent ſe non rediituros, ſeu acceſſuros ad Parochiam propriam, niſi elapſo ibidem tempore præcepti Paſchalis. 115

Diximus ſupra: Peregrinos eſſe proprie, qui aliquo veniunt animo non manendi, ſed tantum morandi aliquot diebus, vel ad ſummum anni parte minori, ut Mercatores, Viatores; & iterum ad propriam conſtantem ſedem habitationis ſuæ revertendi. Hinc autem colliges: Studioſos, item Servos, ſeu famulos, & Ancillas, ſeu famulas, inter Peregrinos minime computari eo loci, in quo habitare incipiant cum intentione ibi manendi, ſaltem per majorem anni partem; ſed tunc dicuntur, acquirere in loco quaſi domicilium, & fiunt ſubditi; unde & tenen-

tenentur præceptis illius loci, & debent communicare pro Paſchate in in Parochia, in qua habitant, vel habitare incipiunt. Porro hoc quaſi domicilium acquiritur primo die, ſtatim ac habitare quis incipit cum voluntate manendi per majorem anni partem. La-Croix lib. 6. par. 3. qu. 100. §. 17. 2. 722.

Obſervanda hic veniunt tria, quæ ex Decretis Sacræ Congregationis 13. Julii 1748. in *Tolentina* jurium Parochialium, eruit Zacharias in ſuis animadver. in theol. Moral. P. La-Croix *lib. 6. par. 3. qu.* 100. §. 18. *n.* 723. Primum eſt; famulos, & famulas debere recipere Sacramentum a proprio Parocho, non autem a Parocho illorum, quibus inſerviunt, quoties Parochia non per certos deſignata ſit fines, ſed per domos, & familias dividatur. Alterum eſt; Colonos originarios alterius Parochiæ eſſe Sacramentandos a Parocho Originis, non autem ab illo Monaſterii, ſeu Religionis, cui inſerviunt. Tertium eſt; foreſes, ſemel recognoſcendo aliquam Parochiam, vel mediante adimplemento præcepti Paſchalis adſcribendo ſe in ſtatu Animarum; vel ſe proclamare faciendo occaſione contrahendi matrimonii, aut ſimile peragendo coram aliquo Parocho, exinde non poſſe primam Parochiam variare.

117 Innuimus ſupra, non cenſeri Vagum illum, qui intra eamdem urbem, ex una Parochia vult ire habitatum ad aliam, & interim moratur in tertia aliqua Parochia. Sed ecce hic dubium quoad hujuſmodi, de Parochia, in qua debeat communicare pro Paſchate; Utrum videlicet in ea Parochia, in qua diutius habitavit, & ex qua vult ire habitatum ad aliam; vel potius in ea, ad quam vult ire habitatum? Et ad hoc reſpondetur, debere communicare in Parochia in qua diutius habitavit, & ex qua vult ire habitatum ad aliam, ſi ad illam aliam non ſe conferet, habitationemque non figet niſi poſt tempus præcepti Paſchalis. Si autem cogitet, ſtatuatque infra tempus prædicti præcepti in illa alia figere Domicilium: poſſe in illa alia Parochia Communionem Paſchalem ſumere, poſtquam in ea fixerit Domicilium; Et debebit ſumere, ſi ante non ſumpſerat in Parochia habitationis prioris. Ratio aſſertionis prioris eſt, quia Domicilium non acquiritur ſolo animo, ſed animo, & facto, quemadmodum ſuperius dicebamus; Cum igitur prædictus non habeat Domicilium, nec quaſi Domicilium in tertia Parochia, in qua interim moratur, neque ibi cenſeatur Vagus; nec habeat Domicilium in illa alia Parochia, ad quam vult ire habitatum; ſequitur nondum reliquiſſe Domicilium prioris Parochiæ, in qua diutius habitavit, & ex qua vult ire habitatum ad aliam; Ergo tenetur in illa Parochia ſumere communionem Paſchalem; ſi in ea alia Parochia Domicilium non fixerit niſi elapſo tempore præcepti Paſchalis. Poſterioris autem aſſertionis ratio eſt, quia cum prædictus poſſit differre Communionem Paſchalem uſque ad illum diem, in quo infra tempus idem præcepti Paſchalis Domicilium fixerit animo, & facto in illa alia Parochia; poſtquam ita fixerit Domicilium, cenſebitur reliquiſſe Domicilium prioris Parochiæ, ejuſque ſubjectione ſolutus, & evaſiſſe ſubditus poſterioris Parochiæ. Ergo non tenebitur communicare in priori

priori Parochia, ſed in poſteriori. Favet in ſimili La-Croix agens de Matrimonio *lib. 6. part. 3. qu.* 100. §. 41. *nu.* 746. ubi hæc habet : *Ille tamen non cenſetur Vagus, qui de una Parochia intra unam Urbem, v. gr. e Parochia S. Severini vult ire habitatum ad Parochiam S. Cuniberti, & interea moratur in Parochia S. Martini; Cum enim talis ſit notus in Urbe, debet proclamari, & conjungi, vel ubi diutius habitavit, ideſt, in Parochia S. Severini; vel ubi habitare incœperit cum animo ibi permanendi ſaltem per majorem anni partem, quæ erit Parochia S. Cuniberti :* Ita La-Croix citans Sanchez.

118 Sed quid? ſi prædictus in priori Parochia communicaverit infra tempus idem præcepti Paſchalis, ante quam domicilium ibi relinqueret; tenebitur ne iterum communicare in poſteriori Parochia?

Reſpondetur negative : quia id non videtur juxta intentionem hujus Eccleſiaſticæ legis, & certe Epiſcopus non puniret hujuſmodi non iterantem Communionem in poſteriori Parochia. Ad vitandas autem eluſiones hujus præcepti, tenetur Parochus poſterioris Parochiæ ſe certificare, quod talis novus incola Parochiæ ſuæ, jam communicaverit pro Paſchate in ea Urbe, ſeu loco, unde diſceſſit, & ad ſuam Parochiam acceſſit?

119 Denique animadvertendum eſt hic 1. Sacram Congregationem Concilii declaraſſe, quod *Parochus ruralis non eſt proprius, & verus Parochus, quando rus itur cauſa recreationis vel pro ruſticanis negotiis, ideoque Matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poteſt*. S. C. C. 1. Decembr. 1640. apud Caval. *tom.* 4. *c.* 14. *decret.* 11. Infer ſimiliter : ideoque præceptum Paſchale valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poteſt : Ideſt, obligationi ſumendi Communionem Paſchalem de manu Parochi proprii non ſatisfit, communicando de manu Parochi ruralis, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, quia in eo caſu non eſt proprius Parochus.

Animadvertendum 2. quod etſi poſſit quis habere duplex Domicilium, in quo æqualiter habitet æqualitate morali, & exiſtimatione prudenti, unum in una Parochia, alterum in alia : videri poteſt Caval. loc. cit. & ex iis, quæ ibi habet num. 1. argui valet : An poſſit in qualibet ſumere Communionem Paſchalem? Attamen notat cum de Luca La-Croix *lib. 6. par. 3. qu.* 100. §. 12. *num.* 717. Si quis tantum de die moretur in una Parochia, & noctu cubet in altera, in qua domum habeat adhuc inſtructam ſuis mobilibus, cenſeri, non acquiſiviſſe domicilium in illa Parochia, in qua tantum de die moratur, ſed permanſiſſe in Parochia, in qua domum habet, noctuque cubat. Hinc autem ſequitur debere Communionem Paſchalem ſumere in dicta Parochia, in qua nimirum domum habet, noctuque cubat.

Si quis autem in confinio duarum Parochiarum habeat domum ſuam, quæ ex una parte habeat oſtium in una Parochia, & ex altera parte alterum in alia ; debet communicare in Paſchate de manu Parochi, in cujus Parochia correſpondet aditus magis frequentatus ; nam ex aditu judicatur de domo, cui cedat ; ut ex Canoniſtis obſervat Caval. l. cit. num. 2.

Qu. IV. An poſſit Communio Pa- 120
ſchalis fieri extra Parochiam ex li-

centia ſui Parochi, etiam mere interpretativa, & præſumpta?

℟. Ex licentia Parochi expreſſa fieri poſſe Communionem Paſchalem extra Parochiam de manu cujuſque etiam Regularis deſignati ab eodem, vel ad libitum proprium relicti; docent Reginaldus *lib. 29. c. 5. n. 94.* Navar. *in man. c. 21. nu. 52.* Azor. *inſtit. Moral. par. 1. l. 7. c. 30. qu. 6.* Pelliz. *in Man. Regul. tr. 5. c. 3. ſect. 2. qu. 4. n. 76.* Franc. De-Lugo *lib. 4. de Euch. c. 10. qu. 2. nu. 10. & 12.* Quintanad. *to. 1. ſingul. tr. 4. de Euch. ſingul.* 12. Buſemb. *de Euch. dub. 2. art. 3. reſp. 3.* La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 117. §. 7. fine n. 631.* & communiter Doctores: eſt enim certum, ut ipſa Parochorum praxis confirmat, teſte Quintanadv. l. cit. nu. 6. & plura etiam Concilia Provincialia huic faventia rei, poſſunt videri apud Benedictum XIV. *to. 2. Notific. 55. n. 6.* Vult etiam Quintanadvennas *cit. ſingulari* 12. nullam cauſam ad hanc licentiam concedendam requiri, cum non ſit diſpenſatio in lege aliqua: hæc enim non extat, (at quo ad hoc recole dicta n. 91.) ſed ſolum uſus juriſdictionis, quam habet Parochus, ut pro libito ſuo Euchariſtiam per ſe, vel per alium in hoc, vel illo loco miniſtret ſubdito ſibi, ut præcepto Paſchali ſatisfaciat; ita ille; Attamen Parochus facultatem hujuſmodi ſine urgenti neceſſitate univerſis, vel fere univerſis Parochianis ſuis concedere poſſe, denegat Cavalerius *to. 4. c. 2. in decr. 8. n. 5.* fine; Immo nec ſingularibus perſonis facultatem hujuſmodi expedit Parochum ſine juſta cauſa concedere. Et quidem ſi Parochus aliquis in hac re admodum facilis eſſet, jure poſſet Epiſcopus, eidem prohibere, ne facultatem faciat Parochianis ſuis, communicandi pro Paſchate extra Parochiam ſuam: Vide laudatum Benedictum XIV. cit. n. 6. & Quintanadv. l. cit. num. 4. Qua prohibitione ſibi ab Epiſcopo facta, non poſſet Parochus præfatam concedere facultatem; ſimiliter ſi id vetaretur eidem ex aliqua Diœceſanæ Synodi Conſtitutione: quemadmodum indicavimus ſupra n. 93. & Quintanadvennas l. cit. nu. 8. teſtatur de hujuſmodi prohibitione facta Parochis in Diœceſi Hiſpalenſi in Synodo *de Offic. Rec.* Circa quam tamen prohibitionem, & obligationem Parochorum illorum, vult notari 1. præceptum, ſcilicet grave, non imponere verba illa *ſtatuimus, Mandamus:* videlicet *: ſtatuimus atque mandamus:* quibus prohibitio prædicta exprimitur, & obligatio imponitur. Item 2. hanc legem non obligare Parochos, cum nullum incommodum appareat in concedenda præfata licentia: Et cum in prædicto Decreto Synodali remittantur Parochiani pro facultate accipienda ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium Generalem: ſubdit Quintanadvennas: eam facultatem poſſe nihilominus concedi a Parocho, cum juſta cauſa adſit, ex. gr. infirmitatis, diſtantiæ Parochiæ, temporis, incommodi, aut ſimilis, ſi facilis aditus non adſit ad Prælatum, vel illius Vicarium. Præſcindendo autem ab hujuſmodi particularibus diſpoſitionibus, certum eſt, ut dicebamus, poſſe, per ſe loquendo, Parochum dare Parochianis ſuis facultatem communicandi Paſchali tempore de manu alterius, qua obtenta, Parochianus, facultate expreſſa, ſatisfaciet præcepto huic.

Quæſtio itaque eſſe poſſet: an idi- 121

Digitized by Google

pſum liceat ex licentia mere præſumpta, & interpretativa? Et ex hac etiam licere, affirmat Tambur. *meth. Commun. c.* 4. §. 4. *n.* 43. *&* 49. ubi id tamquam certum admittit; item Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *de Euch. Reſol.* 21. §. 6. Franciſcus De-Lugo loc. ſupra cit. nu. 10. La-Croix *l. ſupra cit.* §. 10. *n.* 634. Navarr. & Pelliz. ll. cit.

Animadvertendum tamen ex laudatis Auctoribus, hujuſmodi conſenſum Parochi præſumptum debere præſumi *rationabiliter*; ſeu quod tales circumſtantiæ concurrant, ut *prudenter* præſumatur Parochi conſenſus: Exempla vero hujuſmodi circumſtantiarum mox adducemus. Animadvertendum inſuper eſt: non facile conſenſum hujuſmodi poſſe præſumi: quia Parochi ſunt valde ſoliciti de hujuſmodi ſuo ipſorum jure ſibi cuſtodiendo; quo volunt, ſaltem in Paſchate recognoſcere oves ſuæ curæ commiſſas, & ab illis ſimiliter recognoſci tamquam Paſtores earum; ita Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 18. *ſect.* 2. *n.* 51. Tambur. *l. cit. n.* 45. *&* 49. Franciſcus De-Lugo *cit. n.* 10. Nec ſemper ſufficit, quod certo daturus eſſet Parochus facultatem, ſi hæc peteretur: Nam ſi peteretur, hoc ipſo jam recognoſceretur ut Paſtor aliquo modo, etſi non omnino uti requiritur: & ipſe Parochus cognoſceret Ovem ſuam, prædictam ei dando licentiam; ſi tamen non petatur, manet rationabiliter invitus quo ad modum, & ſubſtantiam: habet enim jus, ut recognoſcatur maxime per hujuſmodi Communionem Paſchalem, & per eamdem viciſſim recognoſcat Oves ſuas. La-Croix, & uterque De Lugo ll. cit.

122 Nota 1. haſtenus dicta valere etiam pro Regularibus, itaut etiam hi poſſint extra propriam Eccleſiam, & de manu alterius quam proprii Prælati communicare pro Paſchate cum licentia expreſſa, vel explicato modo præſumpta Prælati ſui. Pelliz. l. cit. Diana *Reſol.* 16. §. 1.

Nota 2. facultatem communicandi extra Parochiam poſſe præſumi rationabiliter, ſi quis ſit peregrinus, aut Vagus; Franc. De-Lugo nu. 35. Tambur. nu. 46. de quibus jam egimus qu. præcedenti a n. 109. 123

Id ipſum dicit Tamburinus l. cit. de legitime impeditis, qui ſcilicet juſta laborent cauſa, qua ad Parochiam ſe conferre nequeant; quod etiam docet Franc. De Lugo n. 32. & Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 22. §. 4. cum Suarez *de Relig. to.* 4. *tr.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *nu.* 8. *& to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. *verſus finem*. Hi quidem docent, præſumi poſſe facultatem prædictam in caſu neceſſitatis urgentis, ut eſſet, quoties aliquis eſt impotens ad Communicandum in ſua Parochia, & ad petendam facultatem a ſuo Parocho; Tunc enim non poteſt ſic impeditus præceptum implere Paſchale, niſi Communionem accipiat ab alio Sacerdote Sæculari, vel etiam Regulari. In prædicto utique caſu etiam Regularis poſſet Communionem miniſtrare Paſchalem; Vide dicta ſect. 2. qu. 16. n. 29. ubi docuimus, eſſe obligationem Communicandi tempore Paſchali etiam de manu alterius, ſi quis non poſſit communicare de manu Parochi ſui, aut delegati ab eo infra tempus præcepti Paſchalis.

Contendunt vero iidem laudati Auctores Suarez, Lugo, & Diana, debere in eo caſu fidelem ſatisfacere poſtea Parocho ſuo; id eſt præſenta-

te

Digitized by Google

re ſe illi, & eidem facere fidem de Communione Paſchali ſumpta in aliena Eccleſia ratione dicti impedimenti; licet concedant, quod, ſi Parochus de neceſſitate, quæ occurrit, & de Communione recepta ſufficiens acceperit teſtimonium, non poterit cogere ſubditum, ad iterum communicandum. Verum hujuſmodi obligationem præſentandi ſe Parocho poſt tempus Paſchale, ſi non ſit coactus, ſeu vocatus quis ad reddendam rationem, negabimus hic qu. 9. n. 130. fine. Si autem impedimentum ceſſet durante præcepto Paſchali, in hoc utique caſu eſſe obligationem ſiſtendi ſe Parocho infra idem tempus, etiam nos docuimus qu. præcedenti a nu. 111. Item facultatem Communicandi extra Parochiam, poſſe præſumi, quando Parochus, ejuſque ſubſtitutus eſt abſens, docet Tambur. cit. n. 46. quia in ejuſmodi eventibus præſumitur, inquit, a Parocho facta conceſſio. Id ipſum cum Leandro docet Diana l. cit. §. 5. quia, dicit Leander, præſumi poteſt in dicto caſu Pontificia, vel Epiſcopalis adeſſe facultas; licet nonnulli oppoſitum opinentur, volentes, exſpectandum eſſe, donec Parochus redeat elapſo tempore præcepti Paſchalis: quos tamen puto, non eſſe audiendos, propter dicenda hic qu. 9. n. 130. initio, & jam dicta ſect. 2. qu. 16. Si tamen ſit ſpes redeundi infra tempus idem præcepti Paſchalis, eſſe obligationem exſpectandi Parochum abſentem, docuimus eadem cit. qu. 16. initio.

Item facultatem Parochi, communicandi extra Parochiam, poſſe præſumi, docet Pelliz. *in man. Regul. tr. 5. c. 3. ſect. 2. nu. 76.* ſi Parochus ſemel, & iterum requiſitus a ſuo Parochiano, ut ei miniſtret Communionem Paſchalem, ſemper deneget ei illam tunc præbere, eo quod iis diebus, quibus requiritur, ea non ſoleat dari, etſi ſint intra tempus Paſchale; ſi quidem neget eo quod ſibi ſit incommodum, & de hoc conſtet Parochiano: ſecus ſi neget, eo quod Parochianus ſit publicus peccator, & indignus. Ducitur, quod in priori caſu Parochus prudenter præſumatur conſentire, ut Parochianus de manu alterius Sacerdotis communicet: non item in poſteriori: ſicque cum interrogatus fuiſſet, ſe reſpondiſſe, teſtatur. Quod autem Parochus poſſit denegare Communionem Paſchalem ei, qui non exhibent ſchedulam Confeſſionis, ſi prudenter credi non poſſit eidem aſſerenti, ſe confeſſum eſſe, docebimus cum aliis in Appendice ad calcem Diarii c. 13. ubi de præc. Confeſſ. ann. artic. 9. qu. 6. n. 111.

Item facultatem legitimam, ad communicandum extra Parochiam, præſumi poſſe, cenſet Tambur. nu. 46. Si Parochus vel exequi per negligentiam ſuum recuſet munus; vel licentiam alibi communicandi deneget per malitiam; præſumi enim in caſibus his, docet, facultatem alibi communicandi a Summo Pontifice eſſe conceſſam. Idem cum Leandro docet Diana *to. 2. edit. coord. tr. 2. R. 22. §. 4. & 5.* Vide dicenda qu. 5.

Cum in Eccleſia ſpecialiter interdicta non poſſit adminiſtrari Sacramentum Euchariſtiæ: hinc neceſſe eſt, ut pro adimplendo præcepto Paſchali Parochiani communicent in alia Eccleſia, in qua ut communicent, facultas proprii Parochi tacite conceſſa cenſetur, inquit Chiavetta Conſult. 155. num. 6. fine; quod ſi peta-

Parochianis: ultro concedit Tambur. n. 59. quamvis cum aliis putet, ſatisfieri præcepto Paſchali in Cathedrali a quibuslibet Diœceſanis: ut vidimus hic qu. 1. quam tamen opinionem nos cum aliis ibi rejecimus; niſi alicubi faveat conſuetudo.

125 Qu. V. An poſſit communicare extra Parochiam, qui petiit a Parocho facultatem, ſi hic denegavit injuſte?

℞. Affirmat Tamburinus *Meth. Commun. cap.* 4. §. 4. *n.* 46. ubi cenſet, quod, ſi Parochus, vel exequi per negligentiam munus recuſet ſuum, vel licentiam alibi communicandi deneget per malitiam; in his caſibus præſumi poſſit conceſſa facultas a Summo Pontifice alibi communicandi. Idem cum Leandro docet Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 22. §. 5. Item Quintanadvennas *tom.* 1. *ſingular. tr.* 7. *ſingular.* 33. *n.* 4. hæc habet: *Si ob juſtam cauſam, habens Oratorium, non poteſt Eccleſiam adire, ut in Paſchate Euchariſtiam, ad implendum præceptum, recipiat; petita a Parocho licentia, & injuſte negata, ut in eo adimpleat, ſi habet Bullam Cruciatam, poteſt adimplere; Quia tunc in Oratorio eam recipiendi, facultatem habet a Pontifice ex Cruciata, & ſic a Nuntio non impeditur, ac aliunde Parochiam adire non valet intra terminum pro præcepto aſſignatum.* Hæc Quintanadvennas.

Ego autem dico: quod, ſi difficultas ad communicandum in Parochia, non ſit tanta, quanta requiri ſolet, ad excuſandum a ſimilibus præceptis Eccleſiaſticis, ſeu conſuetudinibus obligantibus ſub gravi; tunc ſuperari debeat, & Communio ſumenda ſit de manu Parochi, etiam in dicto caſu. Si vero is, cui facultas denegatur injuſte, non valeat vere ullo modo communicare in Parochia, tunc aliunde excuſabitur; Ad impoſſibile enim nemo tenetur; ſimiliter ſi difficultas tanta, ac talis ſit, quanta; & qualis judicio prudenti, & exiſtimatione morali ſoleat excuſare in ſimilibus præceptis, ſeu conſuetudinibus Eccleſiaſticis: In hoc utique caſu non eſſet obligatio communicandi de manu Parochi; Eſſet tamen obligatio communicandi de manu alterius, ſi poſſet, quia adhuc urgeret præceptum Paſchale; Vide dicta ſect. 2. qu. 16.

Qu. VI. Utrum, ſi quis abſque 126
facultate vel expreſſa, vel tacita, prudenterque præſumpta: neque ullo legitimo impedimento excuſatus, faciat ſemel, aut iterum in vita Communionem Paſchalem extra Parochiam, poſſit excuſari a mortali: Adeoque detur parvitas materiæ in obligatione gravi communicandi in Paſchate de manu Parochi?

℞. Tamburinus *Meth. comm. c.* 4. §. 4. *n.* 50. proponit, & ſolvit quæſtionem hujuſmodi ſic: *An ſemper peccet mortaliter, qui ſine rationabili cauſa, ſed ſine contemptu, vel ſcandalo; ſolum propter ſuam commoditatem velit in Paſchate communicare alibi, quam in Parochia? Et an peccet Sacerdos; ſi tunc ſcienter miniſtret huic Euchariſtiam? Puto, quod fidelis, qui paratus eſt ſuum Parochum recognoſcere, & forte in anno pluries recognovit, communicando in ſua Parochia: non irrogat injuriam gravem Parocho, ſemel aut iterum in ſua vita, ſe ſubtrahendo in hoc ab ejus juriſdictione: Atque adeo non peccat mortaliter, ſi ſemel, aut iterum in vita, modo dicto, in aliena Eccleſia communicat in Paſchate. Idem puto, ſi Sacerdos*

cerdos

Digitized by Google

cerdos ſæcularis (*nam de Religioſo mox a nu.* 51.) *unum*, *aut alterum*, *ſeu paucos tales communicet*. *Dico* paucos, *ſi enim multos communicaret*, *irrogaret gravem Parocho injuriam*, *perturbaretque graviter ordinem Parochorum*. *Ratio hujus doctrinæ eſt*, *quia rectæ rationi non apparet hæc gravis materia*: *Paſcitur enim Ovis*, *ſed una*, *vel altera vice*, *quaſi in alieno campo ab alieno Paſtore*. *Non igitur delinquitur contra ſubſtantiam præcepti*, *ſed contra accidentia*. *Et id tam raro*, *ut multum invitus rationabiliter non debeat eſſe Paſtor*. *Scio*, *quod Suarez docet*, *eſſe mortale*, *miniſtrare hoc Sacramentum ſine debita juriſdictione*, *& hanc obligationem eſſe mutuam miniſtrantis*, *& ſumentis*: *ſed ipſe notanter addit*, *eſſe mortale ex genere ſuo*. *Sicut igitur furari v. g. alienam rem eſt mortale ex genere ſuo*, *& tamen datur levitas materiæ in furto*; *ſic ſe veluti ſurripere*, *ſeu ſubtrahere a juriſdictione ſui Paſtoris*, *erit in genere ſuo mortale*; *non tamen tollitur*, *poſſe dari materiæ parvitatem*, *ut videtur eſſe in noſtro caſu*. Hæc Tamburinus: cujus hanc ſententiam referens etiam La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 90.* §. 4. *n.* 483. eam approbare videtur; licet deinde *qu.* 117. §. 8. *nu.* 632. videatur aliquantulum dubitare de illius probabilitate propter Decretum, ſeu Declarationem quamdam S. C. C. quam refert inferius §. 13. nu. 637. in qua declaratione dicitur, non poſſe in die Paſchatis Regulares miniſtrare Communionem in ſuis Eccleſiis populo. Et quamvis iiſdem liceat miniſtrare in cæteris diebus, quibus durat Paſchale præceptum: per illam tamen Communionem non poſſe a populo ſatisfieri præcepto Paſchali. Verum Decretum illud non videtur opponi ſententiæ Tamburini; nam illud recte poſſet intelligi de Communione Paſchali ſemper, aut ſæpius facta extra Parochiam, & in Eccleſiis Regularium; non item ſi ſemel, aut iterum vita durante; ut Tamburinus putat, ſolum poſſe permitti. Nihilominus non facile proponenda cuivis eſt hujuſmodi opinio, utpote quæ poteſt cauſare aliquem abuſum circa obſervantiam hujus præcepti, ſeu obligationis gravis, & afferre aliquod præjudicium Parochis, & non recte ab illis audiri. Adde quod hæc opinio ſatis limitate, cauteque procedat, dicit enim: *Dummodo abſit contemptus*, *vel ſcandalum*. Eſt item animadvertendum, quod, cum Tamburinus concedat, & fateatur, peccaturum mortaliter Sacerdotem, qui vel ſemel in vita miniſtraret *Multis* Communionem Paſchalem, ſequitur etiam concedere, multos non poſſe ſcienter, ſeu omnes ad invicem conſcios de hujuſcemodi ſua ipſorum intentione, non poſſe, inquam, petere Communionem Paſchalem etiam ſemel a ſimplici Sacerdote, ſeu ab eo, qui non eſt proprius ipſorum Parochus, vel hujus delegatus, & aperiendo illi ſuam ipſorum illam intentionem: quia ſi hujuſmodi Sacerdos peccaret ſcienter miniſtrando multis, etiam hi peccarent, ſcienter petendo, peccato alterius cooperando: ut notavit Reginaldus in praxi lib. 29. c. 5. n. 90. fine. De Sacerdote miniſtrante, & Tamburini opinione prædicta ſermo redibit ſect. 7. n. 144.

Qu. VII. An ſatisfaciat præcepto communicandi per manus Parochi ſui, qui communicet extra Parochiam per manus ipſius Parochi quidem, ſed ita, ut Parochus non poſſit adverte- 127

re, ſeu intelligere, ſe miniſtrare Communionem Paſchalem Parochiano ſuo, nec intendat paſcere Ovem ſuam, adeoque nec illam poſſit recognoſcere; puta, ſi aliquo dierum Paſchalium celebret in aliena Eccleſia, & in Miſſa adminiſtret Communionem petentibus, ut fieri conſuevit?

℟. Puto, quod non: quia ſic non videtur poni a Parochiano actus ſibi præſcriptus, qui eſt actus recognitionis ſui Paſtoris tali determinato tempore Paſchali. Probatur: quia ad prædictam recognitionem certiſſime non ſufficit actus mere internus, ſed exigitur talis determinatus actus externus, nempe Communio tempore Paſchali per Parochi manus, aut ejus delegati ſuſcepta; talis autem Communio videtur, debere eſſe ejuſmodi, ut aliquo modo per ſe apparere poſſit, Communicantem velle exercere actum præſcriptum ſubjectionis, & recognitionis erga Paſtorem ſuum. Jam vero per illam Communionem illo priori modo ſuſceptam extra Parochiam, ratione nulla per ſe apparet, communicantem velle exercere hujuſmodi actum: nam adminiſtrando tunc Parochus modo præfato inſcius Communionem, non miniſtrat tamquam exercitium, & actum ſuæ juriſdictionis, ſed tamquam privatus, ſimplexque Sacerdos, cui de more permittitur in aliena Eccleſia Euchariſtiam in Miſſa quibuslibet fidelibus petentibus miniſtrare. Secus tamen foret, ſi Parochianus illud notum faceret Parocho; hoc eſt, ſignificaret, rogaretque eum, ut in ea Miſſa Communionem Paſchalem ſibi porrigeret. Profecto licet Paſchalis Communio ſumenda ſit de manu proprii Parochi, aut ab eo delegati: non eſſe tamen obligationem, ut hic miniſtret in propria Parochia: docuimus ſuperius n. 93.

128 Qu. VIII. An qui communicavit ſacrilege in ſua Parochia, teneatur iterum communicare ibidem, durante tempore Paſchali?

℟. Tenetur quidem iterum communicare, ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis, cui non ſatisfecit per Communionem ſacrilegam, ſive formaliter, ut eſt omnino certum ex dictis ſect. præc. n. 84., ſive materialiter, ut docuimus ibi n. 85. At ex La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 117. §. 6. n. 619.* non videtur, teneri communicare in ſua Parochia iterum: ſed poſſe, ubicumque ſibi placuerit: quia præceptum videtur diviſibile, communicandi recte pro bono animæ, & communicandi in Parochia ad recognoſcendum Paſtorem: Confer dicta a nobis ſect. 1. nu. 3. Hæc autem pars poſterior eſt impleta: uti ſi præceptum ſit, quod Horæ Canonicæ devote recitentur in Choro, qui indevote recitavit in Choro, ſatisfacit, ſi domi repetat: quia illam partem præcepti, quæ erat de aſſiſtentia in Choro, adimplevit.

129 Qu. IX. Utrum, qui tempore præcepti Paſchalis non communicavit de manu Parochi ſui, teneatur ad id extra tempus Paſchale.

℟. Platell. *par. 5. de Sacr. cap. 4. §. 5. nu. 434.* docet: eum, qui nec antea, nec tempore Paſchali communicaverit in propria Parochia, teneri poſtea, quam primum moraliter poteſt, illic communicare.

Alii obligant ad communicandum de manu Parochi ſui extra Paſcha in caſu, quo intra Paſcha Parochus abſens fuerit, unde non fuit tunc facta Communio de illius manu. Id ſentire videtur Suarez *to. 3. in 3. par. diſp. 72.*

Digitized by Google

diſp. 72. *ſect.* 2. *verſus finem*; ubi docet: quod excepto impedimento peregrinationis, & privilegio peregrinantium; in aliis impedimentis, Parochianus, qui non poteſt tempore debito communicare in Parochia, debeat exſpectare Parochum, ad Communicandum pro præcepto Paſchali; unde ſi communicet de manu alterius; per hujuſmodi Communionem non ſatisfaciat, ſed debeat iterum communicare, cum primum poſſit, in Parochia: quia, inquit, non videtur urgere ratio tantæ neceſſitatis implendi Eccleſiaſticum præceptum hujuſmodi. Similiter ſentit, & loquitur Franciſcus De-Lugo de Sacram. *lib.* 4. *de Euch. cap.* 11. *qu.* 2. *nu.* 21. ubi docet: eſſe obligationem exſpectandi Parochum, ad communicandum pro Paſchate, ſi forte Parochus abſit, nec alter adſit, cui vices ſuas ille commiſerit; quippe cum non ſit, inquit, neceſſitas adeo urgens, facile poteſt exſpectari Parochus, & interim, ſi quis egeat communione, poterit ex devotione communicare; ruſuſque communicare poſtea de manu Parochi, ad ſatisfaciendum Communioni Paſchali. Accedit Fagundez *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 21. ubi dicit: non poſſe licite Sacerdotes Regulares, aut ſæculares Euchariſtiam miniſtrare ſæcularibus, deficiente Parocho, in neceſſitate implendi Eccleſiaſticum præceptum Communionis annuæ; quia, inquit, hæc neceſſitas non tantum urget, cum in eo caſu excuſentur prædicti ſæculares ab impletione præfati præcepti Eccleſiaſtici, quamdiu durat tale impedimentum. Quod etiam ex aliis tacito nomine docet Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 18. *num.* 53. putatque probabile Diana *tom.* 2. *edit. coord. tract.* 2. *Reſol.* 22. §. 5.

Alii denique licet fateantur, eſſe neceſſitatem communicandi in paſchate de manu alterius, ſi non poſſit de manu Parochi; nihilominus eum, qui in paſchate communicavit ex neceſſitate urgenti de manu alterius, quam Parochi ſui, aut ipſius delegati, obligant ad ſatisfaciendum poſt Paſcha Parocho ſuo; nimirum contendunt, teneri præſentare ſe illi, eique fidem facere de eo, quod impleverit præceptum Paſchale in aliena Eccleſia ratione talis urgentis neceſſitatis. Concedunt autem Parochum, ſi de neceſſitate, & Communione præcepta ei ſatis conſtiterit, non poſſe ſubditum cogere ad communicandum iterum; ita idem Suarez *to.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *n.* 8. Ita etiam idem Franciſcus De-Lugo *eodem cit. lib.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 2. *num.* 32. & Diana *cit. Reſol.* 22. §. 4.

Dicendum eſt primo: In caſu abſentiæ Parochi, & ipſius delegati a Parochia, vel Parochiani a Parocho ſuo; ſi Parochus, aut delegatus illius non redeat ad Parochiam, vel Parochianus ad Parochum intra tempus præcepti Paſchalis, etiam per conſuetudinem localem extenſum, tunc eſſe obligationem communicandi intra tempus Paſchale prædictum de manu alterius, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali; atque adeo in hujuſmodi caſu licite poſſe Regulares, & Sacerdotes ſæculares miniſtrare Communionem Paſchalem. Hæc aſſertio manet probata ſect. 2. qu. 16. ubi illam docuimus cum iiſdem Suarez, Franciſco De-Lugo, & Diana. 150

Secundo videtur dicendum: eum, qui in Paſchate non communicavit

de manu Parochi , ſive communicaverit tunc de manu alterius , ſive ſimpliciter non communicaverit; ſive communicaverit de manu Parochi ſui ante Paſcha, ſive non ; minime teneri, per ſe loquendo , poſt Paſcha Communicare de manu Parochi ſui: quia Commuuio ſumenda de manu Parochi, eſt Communio Paſchalis ; hæc autem non eſt ; niſi quæ tali ſumitur determinato tempore Paſchæ ; unde qui etiam ſæpius communicaret de manu Parochi per annum extra Paſcha, non item in Paſchate, obligationi communicandi de manu Parochi ſemel in anno minime ſatisfaceret, ut apud omnes conſtat . Quod ſi Parochi urgeant, ad communicandum in ſua Parochia poſt Paſcha , eos, qui non communicarunt in Paſchate: hoc ideo eſt, quia urgent, ut ſatisfaciant ſaltem Communioni annuæ : Hæc enim etiam extra Paſcha obligat , ſecundum dicta ſect. 2. qu. 11. & Parochis cura eſt demandata, ut præceptum hujuſmodi ſervetur ab omnibus ſuis ſubditis Parochianis , & delinquentes notent, ut debita pena mulctentur : quemadmodum ſect. ſequ. dicetur n. 136. §. *Nota* 2. Illos autem, qui in Paſchate non communicarunt , ſeu ignoratur a Parochis , an communicaverint ? præſumunt iidem Parochi nondum ſatisfeciſſe præcepto Communionis annuæ; pro hoc itaque urgent , ut communicent adhuc poſt Paſcha; non autem pro Communione Paſchali ut ſic . Et inſinuatur hoc etiam ex ipſis Franciſco De-Lugo , Diana, atque Suarez, qui , ut ſupra vidimus, licet contendant , eos, qui in Paſchate non communicarunt de manu Parochi, teneri poſt Paſcha ſe præſentare illi , ut fidem faciant de eo, quod tunc alibi communicaverint ex neceſſitate urgenti : nihilominus fatentur , atque concedunt , Parochum non poſſe eoſdem cogere ad iterum communicandum , ubi certus fuerit de eorumdem communione alibi ſumpta ex neceſſitate . Ergo præterquam quod ſupponant , non poſſe cogi ad iteratam Communionem annuam; ſupponunt inſuper , Communionem de manu Parochi ſumendam , ſolam eſſe Paſchalem : quæ videlicet ſumatur tali determinato tempore Paſchæ . Ergo qui in Paſchate non communicavit de manu Parochi ſui , non tenetur , per ſe loquendo, poſt Paſcha de manu Parochi communicare . An autem teneatur communicare ſaltem de manu alterius poſt Paſcha , qui ſimpliciter non communicavit in Paſchate ? reſolutum eſt ſect. 2. qu. 11.?

Tertio denique videtur dicendum : ſive quis ſimpliciter non communicaverit in Paſchate : ſive communicaverit , at non de manu Parochi ſui, vel ejus delegati : per ſe loquendo , non teneri poſt Paſcha ſatisfacere Parocho , ſeu præſentare ſe illi, ad faciendam fidem de eo, quod communicaverit de manu alterius , ob neceſſitatem urgentem : vel ad dandam rationem , cur ſimpliciter non communicaverit ? Ad hoc enim nullo cogitur jure . Dixi : *per ſe loquendo non teneri* : quia, ſi Parochus tamen urgeret , & rationem exigeret, parendum utique foret: videantur dicta ſect. 2. qu. 11. nu. 24. §. *Animadvertendum* 2. & dicenda ſect. ſequ. nu. 136. §. *Nota* 2. Propterea etiam in præcedenti dicto, ſeu aſſertione eamdem limitationem adhibui .

Interrog. An ſaltem teneatur com- 131
municare de manu Parochi poſt Paſcha ,

Digitized by Google

ſcha, qui ex conſilio Confeſſarii diſtulit Communionem Paſchalem? ut paſſim accidit male habituatis, qui probandi ſint. Ratio dubitandi eſt, quia, ut ipſi docuimus ſect. 2. qu. 11. n. 24. reſpectu hujuſmodi extenditur quodammodo tempus præcepti Paſchalis ex conceſſione ipſius juris communis C. *Omnis:* unde licet elapſum ſit tempus præcepti Paſchalis quo ad reliquos fideles; is tamen, eo die in quem ex conſilio Confeſſarii diſtulit Communionem, videtur nihilominus communicare tempore Paſchali: atqueadeo illa Communio reſpectu hujuſmodi videtur Paſchalis. Ergo tenetur, illam ſumere de manu Parochi ſui.

℞. In hoc utique caſu concedendum videtur, eſſe obligationem communicandi de manu Parochi. Cæterum in hoc caſu communiter poterit excuſare ratio vitandæ infamiæ apud proprium Parochum, & forte etiam apud alios, manifeſtando talem cauſam prædictam, ex qua non acceſſerit tempore Communionis Paſchalis, ubi a Parocho fuerit requiſitus, cur non acceſſerit tempore debito? Nec videtur ei quærenda eſſe aliqua æquivoca excuſatio, qua verum occultet; facile enim in ſuſpicionem apud Parochum venire poterit veræ cauſæ: ſe nimirum fuiſſe in malo ſtatu, & tanto, ac tali, ut ei fuerit abſolutio denegata, ſeu poſt Paſcha dilata.

132 Qu. X. An teneatur communicare de manu Parochi ſui in Paſchate; qui ſciat, illum peccaturum in adminiſtratione Euchariſtiæ?

R. Affirmative, ſi Parochus voluerit nihilominus miniſtrare. Vide dicta ſect. 3. qu. 23. n. 78.

133 Qu. XI. Si Eccleſia Parochialis ſit interdicta, an debeant Parochiani communicare in alia Eccleſia? Idem quæritur: ſi Parochus ſit perſonaliter interdictus: an ſcilicet debeant communicare de manu alterius?

℞. Affirmative: vide dicta ſect. 2. qu. 17. num. 34. §. *Nota* 3. Et hic qu. 4. num. 123. §. *Cum in Eccleſia ſpecialiter interdicta*. Eſt autem etiam legenda animadverſio, quam nos ibi ſubdidimus verſu: *Cæterum in caſu*.

SECTIO VI.

De pœnis tranſgreſſorum præcepti Communionis Paſchalis.

In ſæpius allegato Cap. *Omnis*, in 134 quo præcipitur Confeſſio annua, & Communio Paſchalis annua, ibidem decernitur cuilibet tranſgreſſori vel præcepti Confeſſionis annuæ, vel ſolius etiam Communionis Paſchalis pœna Interdicti per hæc verba: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Et conſentit Rituale Romanum Pauli V. *tit. Quibus non licet dare Eccleſiaſticam ſepulturam*. Ubi inter eos, quibus eſt deneganda Eccleſiaſtica ſepultura, deſcribuntur ii, *de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt*. Hujuſmodi tamen cenſura juris communis, ut verba ipſa recitata clare indicant, & colligitur ex regula dignoſcendi cenſuras ferendæ ſententiæ; non incurritur ipſo facto, ſed imponenda eſt: incurritur itaque a tranſgreſſoribus poſtquam illis impoſita fuerit per ſententiam Judicis; unde ſi ante declarationem morian-

tur,

Digitized by Google

tur, 'non privantur Eccleſiaſtica ſepultura, dummodo obierint cum ſignis contritionis. Suarez. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 3. *verſus finem*; Filliuc. *to.* 1. *tr.* 4. *de Euchar. c.* 2. *n.* 61. Pelliz. *Man. Regul. tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 88. Nicolius V. *Paſcha n.* 1. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 10. *qu.* 3. *num.* 32. Tambur. *Method. commun. c.* 4. *§.* 6. *num.* 65. & 66. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 307. *num.* 2053. & *lib.* 7. *qu.* 29. §. 18. *n.* 253. Et declaravit S. C. Ep. in D. hujus tenoris: *Pœnæ ob prætermiſſionem Confeſſionis annuæ, & Communionis Paſchalis non incurruntur niſi poſt Judicis ſententiam, ſive poſt Edictum Ordinarii, per quod declarantur incurſi*. Congregat. Epiſc. 14. Junii 1595. apud Caval. to. 2. d. 2. Niſi intermiſſio ſit notoria, vel adſit ſtatutum Synodale in contrarium; ut declaravit eadem Sacra Congregatio Epiſc. 15. Decembr. 1596. apud Caval. l. cit. d. 3. Porro in caſu ſtatuti Synodalis in contrarium, jam lata eſt ſententia contra inobſequentes; & pro caſu notorietatis, quoad incurrendam privationem ſepulturæ Eccleſiaſticæ, faciunt allegata verba Ritualis Romani, licet ibi addatur limitatio illa, quod abſque ullo ſigno contritionis obierint ii, de quibus conſtet publice, quod omiſerint Communionem annuam Paſchalem. Vid. dicenda qu. 4. Teſtatur autem Tamburinus loc. cit. nunc vix in uſu eſſe, ut contra aliquem hujuſcemodi ſententia fulminetur: nec contradicit La-Croix lib. 7. loc. cit. ubi addit, nec pœnam hanc infligi ſolere, ſi intra annum communicaverit quis in Parochia, quamvis id non fecerit in Paſchate. Confer Decretum S. C. Epiſc. in *Trojana* allegandum n. 136. Rurſus ex Dicaſtillo debere abeſſe omnem probabilem cauſam excuſationis, ſeu impedimenti.

Prædictis pœnis ſubſunt etiam Regulares, quia Caput *Omnis*; loquitur univerſaliter de omnibus fidelibus, ideoque comprehendit etiam Regulares, uti docuimus ſect. 3. initio: cum non appareat, unde ii debeant excludi; ut animadvertit Pelliz. loc. citat.

Quamvis ex jure communi non adſit pœna excommunicationis contra tranſgreſſores hujus præcepti: 135 (Porro licet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *canon.* 9. ſtatuerit quod, *ſi quis negaverit omnes, & ſingulos fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad Communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ. Anathema ſit*: Hæc tamen excommunicatio non afficit tranſgreſſores hujus præcepti, ſed tantummodo negantes, hoc adeſſe præceptum;) nec in eodem jure communi ulla pœna *lata*, ſed tantum Interdicti cenſura *ferenda* habeatur, ut diximus: inſpiciendæ tamen ſunt ſingularum Diœceſum Conſtitutiones, & conſuetudines, ubi quidem ferri plerumque ſolet excommunicatio contra tranſgreſſores hujus præcepti; ut notant Suarez *cit. ſect.* 3. *fine*. Franc. De-Lugo l. cit. & Tambur. nu. 65. Rite autem ab Eccleſia poſſe, excommunicationis pœna puniri eos, qui præceptum nolint implere Communionis annuæ; ſignificat laudatus Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 70. ſect. 2. dub. 2. verſus fin. Item Sacra Congregat. Concilii declaravit, quod *Epiſcopus adverſus eos, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negli-*

gligunt accedere , & pœnas Cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & Remiſſ. *contemnunt , poteſt etiam ad excommunicationem procedere : niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ex rationabili cauſa communio ad tempus dilata fuerit* . S. C. C. 28. Januar. 1587. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 5. Eadem S. C. requiſita : *An poſſit Epiſcopus pro ſatisfactione iis, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis , & Eucharistiæ Sacramenta negligunt accedere , & pœnas Cap.* Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ. *contemnunt , pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere ? Reſp. poſſe injungi eleemoſynas alicui pio loco applicandas pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione* . S. C. C. in eodem cit. Decr. 28. Januar. 1587. apud Caval. *l. cit. d.* 6. qui contra Lucium Ferrar. animadvertit ; ea Decreti verba : *pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione :* evidenter demonſtrare Decreti ſenſum hunc eſſe, nimirum quod Epiſcopus prius ad excommunicationem procedat , quam pœnas pecuniarias. Cum enim tranſgreſſores hujuſmodi per nullum Canonem dignoſcantur excommunicatione feriri , quomodo poſſet Sanctio dicere : *pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione :* ſi ejuſdem mens non eſſet , quod Epiſcopus prius excommunicationis remedium adhibuerit ? Ita Caval. Deinde Nicolius V. *Paſcha* n. 3. ex quadam declaratione Sacræ Congregat. Epiſc. & Regular. ait , quod non approbatur pœna pecuniaria præſertim gravatoria contra declaratos Interdictos . Cæterum Synodus Tridentina ſeſſ. 25. c. 3. de reform. permittit , ſi expedire videbitur , (ſi nempe alia pœna non videatur ſalubrior ,) ut illi , qui defectus corrigunt , imponere poſſint etiam pecuniarias mulctas , locis piis ibi exiſtentibus aſſignandas . Et quamvis a jure certa pœna ſit aſſignata delicto , docet tamen Dript. apud La-Croix *lib.* 4. *qu.* 44. §. 10. *n.* 263. poſſe commutari in mulctam pecuniariam ; ſed addit ex Fagnan. approbatque La-Croix , non debere , eſſe ſtatutum , vel conſuetudinem , ut certum delictum certa pecunia mulctetur ; quia ſic facile peccarent ditiores , de alia pœna non ſubeunda ſecuri .

Nota hic 1. quod ante cenſuram 136
ferendæ ſententiæ præire ſoleat *monitio Canonica*, de qua agitur in Cap. *Conſtitutionem* 9. *de ſentent. excomm.* in 6. per quam intelligitur citatio cum tribus monitionibus, vel una peremptoria continente tres ; cui ſi non pareatur , eſt contumacia . La-Croix *lib.* 7. *de cenſur. qu.* 2. §. 5. *n.* 10.

Nota 2. Parochum, cum non habeat juriſdictionem externam, neque jus citandi ; nequidem poſſe ex Officio declarare , ex. gr. aliquem eſſe excommunicatum , niſi ipſi hoc demandetur . Poteſt tamen ex vi latæ ſententiæ , excommunicatum prohibere ab ingreſſu Eccleſiæ , & removere a Sacris . Pirrhing. & Krim. apud La-Croix *l. cit. qu.* 3. §. 4. *nu.* 21. Quinam vero poſſint ferre cenſuram ? explicat Buſemb. *lib.* 7. *de cenſur. cap.* 1. *dub.* 3. Servet autem Parochus , quod ei præſcribitur in Rituali Rom. Pauli V. in quo, ubi *de Communione Paſchali ;* poſt expoſitum Concilii Lateranenſis præceptum, & decretum Communionis annuæ , & Paſchalis , hæc ſubduntur : *Ut igitur hoc ſalutare Concilii Decretum inviolabiliter ſervetur , deſcripta Parochus habeat nomina ſuorum Parochianorum ,*

norum, *& qui dicto tempore* (ſcilicet in Paſchate) *non communicaverint*, *& poſt Octavam Paſchæ eos*, *qui propriæ ſalutis immemores*, *ſæpius admoniti non obtemperaverint*, *Ordinario ſuo denunciet*. Dicitur: *poſt Octavam Paſchæ* eſſe denunciandos &c. quia tunc de jure communi exſpirat tempus præfixum ad implendum præceptum Communionis Paſchalis; cæterum ubi ſecundum dicta ſect. 2. nu. 6. longius protrahatur tempus præfatum, exſpectandum erit ad denunciandum, donec elabatur, & illud longius tempus; ut per ſe patet. Dicitur item: deſcripta habeat *nomina*: intellige ſimul & cognomina; eo quia ex ſolo nomine non poterit Parochianos cognoſcere, cum inter multos accidat, plures eſſe nominis ejuſdem.

Nota 3. ex declaratione S. C. Epiſc. & Regul. *in Caſtrenſi* 24. Maji 1624. Epiſcopum non debere procedere contra eos, qui in Paſchate communicaverint Romæ. Apud Ferrar. V. *Paſchalis Comm.* & Nicolium loc. cit. n. 4.

Nota 4. Excommunicatos paulo ante Paſcha, non eſſe moleſtandos, ſi non communicent in Paſchate, declaraſſe S. C. Epiſcop. 25. Maji 1601. apud Pitton. *Conſtit. ad Parochos utriuſque Cleri*. *num.* 205. refert Lucius Ferraris V. *Euchar.* num. 26. An autem excommunicati teneantur procurare abſolutionem ab excommunicatione, ut poſſint communicare in Paſchate? explicavimus ſect. 3. qu. 15. n. 63.

Nota 5. Ex Decreto S. C. Epiſc. *in Trojana* 20. April. 1613. eos, qui fuerunt interdicti declarati ex eo, quod tempore Paſchatis non communicaverint in Parochia: ſi poſtea ibi communicent, debere abſolvi, & Cedulones amoveri. Apud Ferrar. V. *Paſchal. Commun.* n. 31. & Nicolium l. cit. n. 2.

Notandum 6. in Epiſcoporum Decretis, quæ concernunt Confeſſionem annuam, vel Communionem Paſchalem, locum non habere appellationem, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum. Vid. Caval. *to.* 4. *c.* 2. *Comment. in decr.* 4.

Notandum 7. quod *Excommunicatus vero quicumque*, *ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit*, *non ſolum ad Sacramenta*, *& Communionem fidelium*, *ac familiaritatem non recipiatur*; *ſed ſi obdurato corde cenſuris annexus*, *in illis per annum inſorduerit*, *etiam contra eum tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit*. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reform. c.* 3.

Notandum denique 8. quod Sacra Congr. Concil. interrogata: An expediret, Epiſcopum reſervare ſibi abſolutionem tranſgreſſorum præcepti Confeſſionis annuæ, & Communionis Paſchalis? Reſpondit, non expedire. 28. Januar. 1587. apud Caval. *to.* 4. *c.* 2. *d.* 7. qui ait: deciſionis hujuſmodi eſſe poſſe rationem, quia cum per ſupradictas pœnas intendat Eccleſia corrigere, & mederi: faciliorem iiſdem peccatoribus aperit viam, per quam ad reſipiſcentiam, & ſalutem valeant pervenire.

Qu. I. An pueri non communi- 137
cantes in Paſchate, ſi teneantur, ſecundum dicta ſect. 3. qu. 21. n. 74. poſſint puniri ſupradicta cenſura Interdicti ante pubertatem: ſeu ante annum decimum quartum Maſculi; Fœminæ vero ante annum duodecimum? Nam ex jure, ut notat La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 107. *n.* 667. pubertas in Maſculis eſt poſt annum deci-

decimum quartum completum; in fœminis poſt annum duodecimum item completum.

℞. Negative cum Jo. Sanchez apud Dian. *to.* 2. *edit. coord. tract.* 2. *Reſol.* 5. §. 3. Corduba apud Salas *qu.* 96. *tr.* 14. *diſp.* 14. *ſect.* 13. *nu.* 126. §. *Sed ſtatim*. Sa, Fagundez, Thom. Sanch. Caſtrop. apud Tambur. *Meth. commun.* c. 4. §. 2. *n.* 12. & 14. Ratio eſt, quia cum ſit cenſura ferendæ ſententiæ, deberent conſequenter, juxta ſuperius dicta, pro illa contra eos ferenda, moneri, & citari; ætas autem illa non eſt ſufficiens, ad intelligendum ordinem judiciarium: ideoque de jure citari non poſſunt; neque admittuntur ad agendum, vel defendendum ſe in judicio; neque in tali materia teneantur per Procuratorem comparere; cum ſit res concernens interna, & conſcientiam ipſorum. Vid. La-Croix *lib.* 7. *de cenſur. qu.* 5. §. 2. *num.* 41. Franc. De-Lugo *lib.* 5. *de Miſſ. c.* 14. *qu.* 2. *a n.* 18.

138 Interr. An ſaltem incurrant cenſuras alicubi *latas* contra non communicantes in Paſchate?

℞. Affirmat Gaſpar Hurtado *de Sacr. diſput.* 7. *de pœnit. diffic.* 6. & rurſus *de cenſuris in commun. diffic.* 7. Negant vero Jo. Sanch. apud Tambur. loc. cit. n. 13. & alii, quos citat, & ſequitur Diana *tom.* 5. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 109. §. 2. quia, ut dicitur *in cap.* 2. de delict. puer.: *In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt, ſeverius corrigendum.* Quod etſi probabile ſit, attamen oppoſitum etiam eſt valde probabile. Vid. La-Croix *loc. cit.* §. 3. *nu.* 42. Certum autem ſit, non penitus inultum crimen hoc in pueris relinquendum, ut ſignificatur, *c.* 1. *de delictis puerorum;* ubi decernitur, ipſorum delicta non eſſe punienda pœnis ordinariis, ſed mitioribus: puniendi itaque ſunt etiam pueri, ubi tranſgrediantur præcepta, quibus obligantur, mitiori licet pœna, quam alii provectioris ætatis.

Qu. II. An Pontifex, ſi omitteret Communionem annuam, incurreret cenſuram prædictam? 139

℞. Negative. Vid. Franc. De-Lugo *lib.* 4. *de Euch. c.* 10. *qu.* 1. *num.* 4. Salas *l. cit. ſect.* 2. *n.* 13. La-Croix *l. cit. qu.* 4. §. 7. *n.* 35. Diana *edit. coord. to.* 3. *tract.* 1. *R.* 51. §. 2. & diximus ſect. 3. qu. 1. n. 36.

Qu. III. Si quis fidelis moriatur, 140
nec conſtet, an communicaverit in Paſchate: eſt ne ſepeliendus in loco ſacro?

℞. Quæſtionem hanc proponit Tamburinus *Meth. Commun. c.* 4. §. 6. *n.* 66. & reſpondet: quod, niſi conſtet, non communicaſſe: judicandus ſit, obſervaſſe præceptum, atque adeo rite ſepeliendus. Adde, inquit, neminem huic pœnæ, (cum ſit ferenda,) ſubjici, niſi poſt latam ſententententiam. Cum igitur nunc vix in uſu ſit, ut contra aliquem ſimilis ſententia fulminetur: numquam ex eo capite erit fidelis a ſacra ſepultura depellendus. Hæc Tamburinus; cujus hæc poſtrema verba etiam refert, nec contradicit La-Croix *lib.* 7. *qu.* 29. §. 18. *n.* 253.

Qu. IV. Si quis fidelis moriatur, 141
certoque conſtet, omiſiſſe Communionem Paſchalem ex culpa gravi: an ſit ideo Eccleſiaſtica ſepultura privandus?

℞. Diana *to.* 8. *edit. coord. tract.* 8. *R.* 4. *fine* docet cum aliis, quod ſi hujuſmodi delictum ſit occultum,

ſepeliendus ſit in loco ſacro. Si autem prædictum crimen eſſet publicum, denegandam ei eſſe, dicit, ſepulturam in loco ſacro. Ita quidem: ſi abſque ullo ſigno contritionis obierit, ut habetur ex Rituali Romano verbis ſupra laudatis: recole dicta n. 134. Si vero obierit cum ſignis pœnitentiæ, antequam declaretur incurriſſe cenſuram, eſt ſepeliendus in loco ſacro. Et quidem ex Villalobos apud Dianam l. cit. poſt Sylveſtrum, & alios, ſufficeret ſingularis teſtis, qui prædicta ſigna in illo ſe vidiſſe, affirmaret. Quot autem modis peccatum poſſit dici publicum, & quando reputetur tale? explicat La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 221. §. 1. *n.* 1219.

142 Qu. V. An, qui in Paſchate communicat indigne, & ſacrilege, incurrat pœnas latas contra eos, qui in Paſchate non communicant?

℞. Negat Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 70. *ſect.* 3. *verſus finem*, & Ochagavia apud Dianam *tom.* 2. *edit. coord. tract.* 2. *de Euchar. Reſol.* 9. & *Reſol.* 13. §. 5. quem ipſe ſequitur, ex eo quia, dicunt, in rigore ſervat præceptum, & legem Eccleſiaſticam. Verum hæc ratio, cum ſit certo falſa ſecundum dicta ſect. 4. n. 84. ſequitur, & falſam eſſe illationem. Deinde ex hujuſmodi ſententia ſequeretur, quod Eccleſia rigidius ageret cum omittente ſimpliciter Communionem in Paſchate, quam cum communicante ſacrilege. Igitur ad quæſtionem propoſitam reſpondeo affirmative: quapropter qui in Paſchate communicat ſacrilege, incurrit pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, quæ plerumque ferri ſolet ab Epiſcopis contra tranſgreſſores hujus præcepti, ſecundum dicta n. 135.

Non eſt autem hic ſermo de communicante ſacrilege materialiter tantum: ſeu invincibiliter ignorante, ſe in peccato communicare lethali; licet enim neque is ſatisfaciat præcepto, uti docuimus cit. ſect. 4. qu. 1. nu. 85. attamen non eſt contumax contra præceptum Eccleſiæ; confer dicenda in Append. ad calcem Diarii c. 13. art. 8. de pœn. tranſgreſ. præc. Confeſſ. annuæ qu. 6. n. 99.

Multo minus præfatam pœnam incurreret, qui non communicaret impotens ſimpliciter: cum hoc præceptum non obliget eos, qui ad illud implendum ſint ſimpliciter impotentes: adeoque illud non violant; niſi forte improprie, ac vulgari modo loquendi; cui quidem ſe Chriſtus accommodans dixit *Matth.* 12. 5. *Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant*, & *ſine crimine ſunt*: hoc eſt, ſe exercendo in miniſteriis utique ſacris, ſed tamen laborioſis: puta in componendis lucernis Candelabri magni; panibus propoſitionis ſuper menſam ſacram mutandis; Hoſtiis mactandis; &c. videbantur, Sabbatum violare: cum in eo prohibitus fuerit labor: licet revera ſine crimine fuerint, quia ad eorum miniſteria ſacra illud præceptum Sabbati minime extendebatur: ideoque tranſgreſſorum Sabbati pœnam non incurrebant.

Pœnæ tamen, quæ in jure communi imponuntur tranſgreſſoribus hujus præcepti communionis annuæ, & Paſchalis, cum ſint ferendæ ſententiæ, non incurruntur, dum hoc delictum manet occultum; vide dicenda in ſimili de præcepto Confeſſionis annuæ cit. art. 8. qu. 5. n. 98.

Qu. VI. An Meretrices publicæ incurrant pœnas impoſitas tranſgreſſori- 143

ſoribus præcepti Paſchalis? Dubium oritur ex eo, quia hujuſmodi mulierculæ numquam denunciantur propter omiſſam communionem annuam, & Paſchalem; neque declarari ſolent excommunicatæ, ubi lata ſit excommunicatio.

℞. Huic quæſtioni eadem reſponſio eſt adhibenda, quam dabimus ſimili quæſtioni de confeſſione annua quo ad eaſdem, in Append. c. 13. cit. art. 8. qu. 1. Sicut etiam nonnulla alia, quæ docebimus eo capite in materia præcepti Confeſſionis annuæ, procedunt quoque in hac ſimili materia de Communione Paſchali, quatenus habet rationem Communionis annuæ.

SECTIO VII.

Utrum in Dominica Reſurr. liceat Regularibus, aliiſque Sacerdotibus, miniſtrare Euchariſtiam Fidelibus, etiam ex mera devotione volentibus communicare extra Parochias?

144 QUAMVIS de hujuſmodi quæſtione diſputandum forte videatur, ubi agemus de notandis in Dominica Reſurrectionis: nihilominus congruentius judicavimus, hoc loco illam agitare, ubi ex profeſſo tractamus de præcepto Paſchali, quoniam hæc cum præcepto Paſchali magnam habet connexionem. Ut autem intelligatur, undenam ratio dubitandi oriatur?

Supponendum 1. quod etſi ex Chriſti inſtitutione Sacerdotibus quibuſcumque competat ordinaria poteſtas adminiſtrandi fidelibus Sacramentum Euchariſtiæ, uti deſumitur ex *C. Pervenit ad notitiam*. 29. *diſt.* 2. *de Conſecr.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. & docent Doctores apud Barboſam *de offic. Parochi c.* 20. *nu.* 1. probatque Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 1. §. *dico primo*. Nihilominus id licite non faciunt, niſi habeant, ad Sacramentum hoc miniſtrandum, juriſdictionem vel ordinariam, qualem habet Summus Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, & Parochus in ſua Parochia: vel delegatam, quæ convenit iis, quibus prædicti ordinariam juriſdictionem habentes commiſerint, unuſquiſque pro ſibi ſubjectis. Ratio eſt, quia paſcere gregem pertinet ad Paſtores, & paſcere gregem Chriſti, maxime præcipuo hujuſmodi pabulo SS. Corporis ſui, ex officio proprio convenit Paſtoribus Eccleſiæ jure ordinario. Non ergo liberum eſt cuilibet Sacerdoti, Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare; ſed ſolum habenti ordinariam juriſdictionem in eum, cui miniſtratur, aut ad id munus delegato per eum, qui habet dictam juriſdictionem. Quæ concluſio eſt ab omnibus recepta, teſte Suarez *cit. diſp.* 72. *ſect.* 2. Reginald. in praxi *lib.* 29. *c.* 5. *n.* 90. Franc. De Lugo *lib.* 4. *de Euchar. c.* 11. *qu.* 2. *nu.* 17. & Card. de Lugo *de Euchar. diſp.* 18. *nu.* 36. Idque ſub mortali; ita ut Sacerdos ſine juriſdictione ordinaria, aut delegata miniſtrans hujuſmodi Sacramentum, ſive in Paſchate, ſive extra illud, etiam in articulo mortis, excepto caſu urgentis neceſſitatis, peccaret mortaliter, tamquam is, qui jus alienum uſurparet, contra pacem, & debitam gubernationem, ac ordinationem Eccleſiæ. Ita Suar. cit. ſect. 2. Franciſcus De-Lugo l. cit. n. 18. Navar. Koninch, Reginald. quos citat, & ſequitur Trull. *in Bull. Cruc. lib.* 1.

§. 3. *dub.* 8. *nu.* 2. & eſt communis Doctorum, teſte Roderic. *to.* 1. *qu.* 56. *art.* 3. *prope init.* §. *quantum ad primum;* & Reginal. l. cit. Quod tamen intelligendum eſt ex genere ſuo; quia ſi intercedat bona fides, & interpretatio, ſeu præſumpta voluntas Paſtoris ex probabili cauſa; excuſari poterit a peccato, vel omni, vel ſaltem mortali, ut poſt Navar. docet Suar. *cit. ſect.* 2. Roderic. loc. cit. Reginal. *nu.* 91. Cardinalis De-Lugo *de Euch. diſp.* 18. *ſect.* 2. *n.* 37. Trullench. *l. cit. n.* 7. Bardi *in Bull. Cruc. par.* 2. *tr.* 2. *c.* 6. *ſect.* 3. *nu.* 57. Fagundez *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 11. qui etiam alios auctores allegat. Idem cum aliis ſentit Franc. De-Lugo *l. cit. nu.* 18. & eſt communis Doctorum.

Ratio eſt, quia juriſdictio non requiritur in adminiſtrante Euchariſtiam, tamquam pertinens ad ſubſtantiam talis miniſtrationis, ſicut pertinet ad ſubſtantiam miniſtrationis Sacramenti pœnitentiæ; ſed ſolum ad debitum ordinem, & modum ſervandum in gubernatione populi Chriſtiani. Unde ad licitam Euchariſtiæ adminiſtrationem ſufficere poteſt probabilis ſpes, ac præſumptio de voluntate Paſtoris, dandi juriſdictionem, ſeu quod factum probabit, ubi audiverit.; ſive ut nobis magis placuit ſect. 5. qu. 4. n. 123. prope fin. quod Parochus procul dubio nolit peti a ſe hujuſmodi facultatem expreſſam, ſeu non curet, quod abſque expreſſa ſua facultate miniſtrem, vel miniſtrari mihi faciam Communionem Sacram. Quod ibi etiam pro adimplendo præcepto Paſchali admiſimus, etſi pro illo caſu, ut recte monet Tambur. *Meth. Commun. c.* 4. §. 4. *n.* 45. & 49. non æque facile præſumi poteſt voluntas Parochi, ac præſumi poteſt in reliquis communionibus intra annum ob rationem dictam l. cit. ſufficit itaque in eo, qui non eſt Paſtor, ad licitam miniſtrationem hujus Sacramenti, prudenter præſumpta facultas Paſtoris. An autem ex eadem præſumpta facultate idem poſſint Sacerdotes Regulares? videbimus infra in ſequ. ſuppoſitione. Tamburinus etiam putat, excuſari poſſe a mortali ſimplicem Sacerdotem ſæcularem, qui abſque facultate expreſſa, vel præſumpta Parochi miniſtraret ſemel aut iterum in vita, adhuc in Paſchate Communionem paucis fidelibus, quos etiam ſciat, intendere communicare de ſua ipſius manu, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali. Movetur inde, quia rectæ rationi non apparet, inquit, gravis materia in hoc: paucos enim communicando, etiam in dicto caſu, ſemel aut iterum, non irrogaret gravem Parocho injuriam, nec perturbaret graviter ordinem Parochorum; ſicut certe eveniret communicando multos. Paſcitur enim ovis, ſed una, vel altera vice quaſi in alieno campo ab alieno Paſtore; non igitur delinquitur contra ſubſtantiam præcepti, ſed contra accidentia: Idque tam raro, ut nimium invitus rationabiliter non debeat eſſe Paſtor; Et quamvis miniſtrare Euchariſtiam ſine debita juriſdictione, ſit mortale; id tamen eſt ex genere ſuo. Sicut igitur furari alienam rem, eſt mortale ex genere ſuo, & tamen datur levitas materiæ in furto, ſic veluti ſurripere juriſdictionem alieni Paſtoris, erit quidem ex genere ſuo mortale, non tamen tollitur, poſſe dari materiæ parvitatem, ut videtur eſſe in poſito caſu. Hæc Tambur. a nobis

bis relatus ſect. 5. qu. 6. n. 126. ubi etiam notavimus, quod La-Croix *lib. 6. part. 1. de Euchar. quæſt.* 90. §. 4. *nu.* 483. hujuſmodi Tamburini opinionem referat, & videatur approbare; etſi deinde *quæſt.* 117. §. 8. *n.* 632. loquens de eo, qui Communionem Paſchalem ſuſcipiat ſemel, aut iterum in vita per manus hujuſmodi Sacerdotis, videatur etiam aliquantulum dubitare: an ſatisfaciat præcepto Paſchali? ad quod etiam affirmandum inclinat Tamburinus, ut diximus; & conſequenter: an peccet mortaliter? propter quoddam decretum, ſeu declarationem quamdam S. C. C. loco cit. relatam, adeoque in dubium etiam revocet La-Croix, an ſit probabilis opinio iſta Tamburini de Sacerdote ſcienter miniſtrante Communionem Paſchalem? Si enim quis peccat mortaliter, vel ſemel in vita non ſumendo in Paſchate Communionem Paſchalem de manu ſui Parochi, eo quod ſe ſubtrahat ab hujuſmodi Parochi jurisdictione; ergo qui illi miniſtrat, peccat ſimiliter, eo quod ſibi uſurpet jurisdictionem prædictam. Verum quidquid ſit de hujuſmodi opinione, in quantum ipſa loquitur in ordine ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali: pro quo quidem nobis eam minime placere, ſignificavimus loco cit. Attamen ſatis probabilis videtur pro administratione Sacramenti Euchariſtici, quæ fieret per annum extra Paſcha, ſeu extra obligationem præcepti Paſchalis.

145 Supponendum 2. de jure communi in *C. Religioſi; de privileg. Clement.* Interdictum fuiſſe quibuſcumque Regularibus, (intellige qui non ſint ſimul Parochi, ut infra dicetur:) miniſtrare Euchariſtiam Clericis, aut Laicis abſque Parochialis Presbyteri facultate ſpeciali, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Pontifici reſervatæ contra eos, qui huic præcepto contravenire præſumpſerint; Et ut notant Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. & *tom.* 5. *diſp.* 22. *ſect.* 4. *n.* 2. Azor. *Inſtit. mor. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *quæſt.* 7. Bonac. *diſp.* 4. *quæſt.* 5. *p.* 1. *n.* 8. Lezana *in ſum. quæſt. Regul. c.* 21. *n.* 8. Barboſa *de Offic. Parochi cap.* 20. *n.* 7. Reginal. *in praxi lib.* 18. *c.* 28. *num.* 408. & *lib.* 29. *c.* 5. *n.* 91. *fine*. Pelliz. *Man. Regul. tract.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. *nu.* 78. Buſemb. *lib.* 6. *par.* 1. *de Euch. c.* 2. *dub.* 1. *art.* 1. *reſol.* 1. Franciſcus de Lugo *loco cit. n.* 18. *ex quæſt.* 3. *nu.* 22. in qua prohibitione facta Regularibus animadvertendum eſt 1. ipſis prohiberi adminiſtrationem Euchariſtiæ Clericis ſæcularibus, & laicis non ſolum per modum Viatici, ut aliqui limitant, ſed quomodolibet; quia verba legis generalia ſunt: ut animadvertunt Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. Koninch. & Fagundez, quos citat, & ſequitur Franciſcus De-Lugo loc. cit. Animadvertendum eſt 2. quod prædicta prohibitio ceſſet quidem accedente Paſtoris facultate, ſed *ſpeciali*: ut dicitur in jure allegato. Si autem requiritur in Regularibus facultas *ſpecialis*, videtur, eos non poſſe miniſtrare Clericis, & laicis Sacramentum Euchariſtiæ ex facultate mere præſumpta ſuperius explicata: facultas enim ſpecialis videtur eſſe eadem ac facultas expreſſa, cum qua pugnat facultas mere præſumpta. Nihilominus etiam ex facultate probabiliter præſumpta Regulares quoque poſſe, docet cum Cajetano Suarez cit. diſp. 72. ſect. 2. & Bonac. n. 9. quia excommunicatio

catio prædicta fuit lata contra Regulares, qui *præſumpſerint*, ſeu auſi fuerint miniſtrare &c. Qui autem miniſtrant, quia prudenter putant, Parochum ratum habere, non faciunt cum præſumptione, ſeu cum audacia, & quodam contemptu Paſtorum Eccleſiæ, & uſurpatione eorum muneris, prout exigitur ad incurrendam prædictam cenſuram; & pro hac ſententia citat Bonacina etiam Nugnum, Henriqu. & alios; ejuſdem ſententiæ eſt Reginald. *in praxi lib.* 18. *c.* 28. *n.* 411. & Em. Rodriq. *in ſum. par.* 1. *c.* 67. *n.* 3. ſaltem pro foro conſcientiæ. Eamdem ſententiam approbare videntur Pelliz. Barboſ. *ll. cit.* Buſemb. *l. cit. Reſol.* 2. Hi itaque non obſtante quod in prædicta Conſtitutione exigatur Parochorum facultas ſpecialis pro Regularibus, ut ipſi miniſtrare valeant Clericis, & Laicis Euchariſtiam, dicunt nihilominus, poſſe hos etiam miniſtrare ex facultate interpretativa, & rationabiliter præſumpta. Quam ſententiam etſi approbare non valeam, ſi per illud verbum *ſine ſpeciali:* ſignificetur *ſine expreſſa*, ut quidem ſignificari debet, ſpectando vulgarem ipſius acceptionem in ſimili materia; & etiam paſſim in jure civili ſumitur: ut oſtendit Cavalerius. *comment. in Decret. S. C. R. tom.* 1. *cap.* 3. *in d.* 9. *n.* 7. tamen nec poſitive reprobare audeo propter illam tuentium auctoritatem; & quia alios ſenſus illi verbo *ſine ſpeciali* tribuere videntur nonnulli Auctores, ut videre eſt apud Suar. *to.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 22. *ſect.* 4. *n.* 7. & Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Illud libenter admitto, quod Suar. Fagund. Reginal. *ll. cit.* & Gloſſa in allegato C. *Religioſi;* de privileg. Clem. in V. *Speciali* docent, hoc eſt: quamvis in textu Conſtitutionis habeatur, licentiam prædictam *ſpecialem* eſſe debere: non ideo tamen opus eſt, ut facultas petatur, & concedatur, ſpeciatim nominando perſonas, quibus, & per quas hujuſmodi Sacramentum adminiſtrari permittitur; licet hoc ſit quidem conſultius; ſed ſufficit in genere; ut ſi Parochus dicat ſuis Parochianis: ſe dare illis facultatem communicandi in Eccleſiis Regularium talis Ordinis, vel etiam per manus quorumlibet Regularium. Aut ſi Regularis, vel Regulares petant a Parocho facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam Parochianis ejus confluentibus ad ſuas Regulares Eccleſias. Et ſi Parochi concedant hujuſmodi facultatem, ea adhuc recte dici poterit ſpecialis: quamvis ſit generalis reſpectu perſonarum; quam facultatem, ſi Regulares Parochianis, vel ſi Parochiani Regularibus dicant ſe habere, poſſunt Regulares illis, & illi his credere, cum ex C. *Sancimus* 26. 1. *quæſt.* 7. nemo præſumendus ſit immemor ſuæ ſalutis. Quod Diana admittit etiam pro præcepto Paſchali *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 22. §. 4. Docent quoque Em. Rodriqu. *in ſum. par.* 1. *c.* 67. *num.* 3. (qui etiam teſtatur: id declaraſſe Eugenium IV.) Fagund. loc. cit. & alii apud Barboſam *l. cit. n.* 7. quod ſi Parochus aliquis det licentiam ſibi ſubdito ſumendi Communionem a quolibet Sacerdote: non ſit dubium, poſſe eam a Regulari ſuſcipere, & reſpectu Regularis eſſe facultatem quaſi ſpecialem.

Illud etiam in hac re admittendum eſt, quod docet Franc. De Lugo *cit. qu.* 3. *n.* 22. videlicet: cum cenſura prædicta lata ſit contra eos Re-

Religioſos *qui præſumpſerint* &c. dicendum, illam non incurrere, qui ex ignorantia, ſibi licere, putent, Euchariſtiam miniſtrare alienis fidelibus præter caſus expreſſos in jure.

Animadvertendum eſt 3. in prædicta prohibitione facta Regularibus, nomine Parochi, cujus licentia petenda præſcribitur, non venire ſolum Parochum ſic dictum, ſed etiam Epiſcopum, Vicarium Generalem, & quemlibet alium Paſtorem animarum, quocumque nomine nuncupatum, ſive Archipresbyterum, ſive Curatum &c. reſpectu Ovium ſuarum; ut notat Reginald. *l. cit.* Suar. *cit. diſp.* 22. *ſect.* 4. *num.* 6. & *cit. diſp.* 72. *ſect.* 2. & nos in ſimili diximus ſect. 5. qu. 4. n. 124.

Non veniunt tamen Superiores Religionum, quia ipſi nomine Parochorum nequaquam comprehendi ſolent in jure, ut notat Suarez *cit. ſect.* 4. *n.* 8. & *cit. ſect.* 2. Et contra: non indigent ullius facultate Regulares illi, qui forte ſint etiam Parochi; quod eſt clarum, ut obſervat idem Suar. *cit. ſect.* 4. *n.* 10. Reginal. *loc. cit. in fin.* Intellige reſpectu ſuorum Parochianorum, non item quoad alienos; ita cum Sylveſtro Suar. *cit. ſect.* 4. *n.* 10. contra Navarrum.

Animadvertendum eſt 4. in eadem conſtitutione præſcribi, facultatem petendam a Parochiali Presbytero; ubi nomen hoc *Presbyteri* non obſtat, quin Parochus nondum Sacerdos poſſit quoque dare licentiam: quoniam ea non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis? Ita Suarez *cit. ſect.* 4. *n.* 6. *cit. ſect.* 2. & Gloſſa in ſupra cit. Cap. *Religioſi*; de privileg. Clem. in V. *Presbyteri*. Senſus ergo eſt, debere hanc licentiam concedi ab habente poteſtatem. Cur autem Pontifex uſus ſit illa paraphraſi Presbyteri Parochialis, ad ſignificandum Parochum? Ratio ex Suarez eſſe potuit, quod Parochus ordinarie ſit, & debeat eſſe Presbyter.

Animadvertendum eſt 5. Excommunicationem latam fuiſſe contra Religioſos: quorum nomine ex communi Doctrina Panormit. & aliorum in Rubr. de Regular. in odioſis non veniunt, niſi qui tria vota ſubſtantialia in Religione approbata emittunt. Hæc conſtitutio itaque non comprehendit eos, qui vitam Religioſam agunt in Religione non approbata, quia non ſunt vere Religioſi. Suar. *to.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 22. *ſect.* 4. *n.* 3. Reginal. *n.* 409. multo minus comprehendit Clericos ſæculares; cum in pœnis non ſit facienda extenſio; ut etiam docet Suarez *cit. ſect.* 4. *num.* 2. & *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. & Bonac. *n.* 11. qui citat Nugnum, & alios. Comprehendit autem Clericos in Militaribus Religionibus profeſſos: quia Religioſi veri exiſtunt. Suar. loc. cit. Quod autem de Novitiis Religionis approbatæ dubitatur: an huic cenſuræ & ipſi ſubjiciantur? videri poteſt Suar. n. 3. Nobis hic ſufficiat monere tantum cum Reginal. n. 409. quidquid ſit in ſpeculatione, idem in praxi eſſe a Novitiis ſervandum in hac re, quod ſervatur ab aliis vere Religioſis, qui ſcilicet tria vota ſubſtantialia Religionis emiſerunt; cum reſpectu Novitiorum, æque ac aliorum vere Religioſorum naſci poſſit Parochialium Presbyterorum offenſio, ad quam tollendam facta eſt propoſita Conſtitutio.

Animadvertendum eſt 6. contra Regulares latam fuiſſe excommunicationem, ſi præſumpſerint communicare

Cle-

Clericos, nimirum ſæculares; & *Laicos*, item ſæculares. Ergo illam Regulares non incurrunt, ſi miniſtraverint Communionem aliis Regularibus, ſive propriæ, ſive diverſæ Religionis, ſeu Ordinis, etiamſi in eo fortaſſe peccent. Ratio eſt, quia, ſicut in præcedentibus diximus, cum in pœnis non ſit facienda extenſio, nequaquam extendi debet hæc cenſura, niſi ſolum ad caſus expreſſos; Et ita docet Suar. *cit. diſp.* 22. *ſect.* 4. *nu.* 8. & *cit. diſp.* 72. *ſect.* 2. citans Cajet. & Navar. ita etiam Pelliz. l. cit. citans præter Suar. & Navarr. adhuc Fagund. & Henriq. Ita quoque docet Em. Rodriqu. *in ſum. par.* 1. *cap.* 67. *num.* 3. Lezana *ſum. to.* 3. V. *Euchariſtia* n. 7. Sic etiam Reginald. *in praxi lib.* 18. *c.* 28. *n.* 410. Hieronym. Roderic. *quæſt. Regular. tom.* 1. *qu.* 56. *art.* 6. *in fine*. Franc. De-Lugo *cit. qu.* 3. *num.* 22. Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 22. §. 1. An autem id intelligi poſſit etiam de Religioſis equitibus Hieroſolymitanis, S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c.? Vid. Diana *l. cit.* §. 2. & 3.

146 Deinde ſupponendum 3. quod jam videatur adeſſe conſuetudo, permittens per ſe omnibus Sacerdotibus Communionem miniſtrare cuilibet, in quibuslibet Eccleſiis, excepta Paſchali, & Viatico; Et hujuſmodi conſuetudo, ubi eſt recepta, & probata, dat utique jus ad ad miniſtrandam Euchariſtiam, ut docet Suar. *cit. ſect.* 4. *n.* 11. Chiavetta *lib.* 1. *Inſtit. jur. Can. c.* 5. *num.* 42. Gavantus *in Rubr. Miſſ. part.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. *litt. d.* Atque etiam conſuetudine omiſſa, certe jam poſſunt ipſi Regulares miniſtrare per ſe, vel per alios Sacerdotes ſæculares in propriis Eccleſiis Communionem cuilibet, etiam ſine Parochi, aut proprii Epiſcopi conſenſu, ſi habeant privilegium revocatorium ſupradictæ Conſtit. Clement. videatur Bullar. Emmanuelis Roderici, & idem Rodericus *tom.* 1. *qq. Regular. qu.* 76. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *qu.* 42. *art.* 2. Portel. *Verb. Sacramentorum adminiſtratio n.*8. Franc. De-Lugo *l. cit. nu.* 23. & 24. Chiavet. *loc. cit.* Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. Nec refert, quod in fine illius textus addatur: *Nullo privilegio ſuffragante*; Enim vero, ut docet Suar. *to.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 22. *ſect.* 4. *nu.* 9. per illud verbum non revocantur, aut impediuntur privilegia conceſſa, vel concedenda Religioſis ad Euchariſtiam miniſtrandam, vel alia Sacramenta; ſed ſolum illud additum eſt, ut Religioſi delinquentes incurrant hanc excommunicationem, & denunciandi ſint, non obſtante quocumque privilegio; quod Gloſſa ibi notavit, & ſatis conſtat ex ſenſu.

Privilegium vero prædictum, miniſtrandi Euchariſtiam, habent Religioſi Minores, Minimi, Dominicani, Clerici Regulares S. Pauli, nec non omnes mendicantes, aliique cum his participantes in privilegiis, per varias conceſſiones diverſorum Pontificum: ut reſpective videre eſt apud Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *qu.* 7. Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Roderic. *to.* 1. *quæſt.* 16. *art.* 3. Em. Rodriqu. *explic. Bull.* §. 5. *n.* 10. & *in ſum. par.* 1. *c.* 67. *n.* 3. Reginal. *in praxi lib.* 18. *n.* 411. Lezan. *ſum. quæſt. Regul. c.* 21. *n.* 8. Barboſ. *de Offic. Paroch. c.* 20. *nu.* 8. Cardinal. De Lugo *de Euch. diſp.* 18. *ſect.* 2. *nu.* 38. Imo Pius V. prædictam facultatem extendiſſe, dicitur, ad

Digitized by Google

ad omnes Regulares: quemadmodum teſtatur Benedictus XIV. *Conſtit.* 48. *tom.* 3. *Bull. ſui. incip. Magno* §. 21.

147 Supponendum 4. Conceſſionem prædictam Regularibus factam a Summis Pontificibus, miniſtrandi in ſuis Eccleſiis Communionem quibuſcumque fidelibus, quocumque anni tempore; habuiſſe ſecum, ut plurimum, hanc expreſſam limitationem, & clauſulam: *Præter quam in die Reſurrectionis Dominicæ*, vel *præter quam in feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ*, vel *præter quam in die Paſchatis*; juxta varias expreſſiones, & locutiones diverſorum Pontificum, qui prædictum privilegium conceſſerunt, vel confirmarunt, aut ampliarunt.

148 Supponendum 5. quæſtionem magnam eſſe inter Doctores, quid ſibi velit limitatio prædicta, & clauſula, & exceptio facta pro feſto & die Reſurrectionis, ſeu Paſchatis? & licet uno, vel altero forte excepto, omnes conveniant in eo, quod per prædicta verba non prohibeatur Regulalibus adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ Laicis, & Clericis ſæcularibus toto tempore præcepti Paſchalis, ſi communicare voluerint ex devotione, aut alia intentione, quam ſatisfaciendi præcepto Paſchali: diſcrepant vero in hoc, quod alii prædicta verba limitantia ſumunt formaliter, alii tantum materialiter; hi dicunt per prædicta verba prohiberi Regularibus, in propriis Eccleſiis adminiſtrare Laicis, & Clericis ſæcularibus Sacramentum Euchariſtiæ in ipſa tantum Dominica die Paſchæ Reſurrectionis, etiamſi ex ſola devotione, & non ad ſatisfaciendum præcepto, communicare quis velit. Illi vero contendunt, per prædicta verba non prohiberi Regularibus adhuc in Dominica die Paſchæ Reſurrectionis miniſtrare Laicis, & Clericis ſæcularibus Communionem, ex ſola devotione, aut ex alia intentione, quam ut ſatisfaciant præcepto Paſchali, communicare volentibus; ſed tantum prohiberi Regularibus, miniſtrare prædictis Communionem toto tempore, quo durat præceptum Paſchale, non ſimpliciter, ſed ex ſola intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali: hoc eſt: tantum declarari: In Eccleſiis Regularium non ſatisfieri a Laicis, & Clericis ſæcularibus præcepto Communionis Paſchalis: cum eam ſumere oporteat a proprio Parocho, ſecundum dicta ſect. 5.

Licere autem Regularibus in die quoque Dominica Paſchæ Reſurrectionis adminiſtrare Laicis, & Clericis ſæcularibus Sacram Communionem in propriis Eccleſiis communicare volentibus ex mera devotione, aut alia obligatione, quam ſatisfaciendi præcepto Paſchali, affirmant Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. *dub.* 2. *& de Relig. tom.* 4. *tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 3. *n.* 7. Ludov. *a* Cruce *in Bull. Cruc. diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 6. *n.* 11. Fagund. *in* 3. *præc. Eccl. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 9. Diana *edit. coord. to.* 2. *tract.* 2. *R.* 22. §. 4. Bonac. *diſp.* 4. *quæſt.* 7. *par.* 2. *qu.* 2. *n.* 9. Roderic. *tom.* 1. *qu.* 56. *art.* 3. Nicolius *in floſc.* V. *Euch. n.* 6. Felix Poteſtas *to.* 1. *par.* 3. *de* 3. *præc. Eccl. n.* 2920. Buſemb. *lib.* 6. *part.* 1. *de Euch. c.* 2. *art.* 1. *reſol.* 3. §. *dixi* 2. Raynaud. *tom.* 17. *tract. de malev. & benevol. erga Relig. ſect.* 4. *pu.* 2. §. 5. Franc. De-Lugo *quæſt.* 3. *n.* 27. qui dicit: hanc eſſe ſententiam communiorem, & probabiliorem; idem dicunt alii multi apud Dianam *l. cit. R.* 23. §. 2. & apud Barboſ. *de Offic. Paroch. c.* 20. *n.* 10.

n. 10. Huic affirmativæ ſententiæ favent Decreta quædam apud Caval. *tom.* 4. *c.* 2. *d.* 28. & 29. hujus tenoris: *Non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipit ante, vel poſt diem Paſchatis, non de manu Parochi, ſed Regularium habentium a Sede Apoſtolica privilegium miniſtrandi hoc Sacramentum*, præterquam in die Paſchatis; *quod tamen viſum eſt etiam in die Reſurrectionis poſſe ipſos miniſtrare*. Sacr. Congr. 21. Maji 1601. Alterum: *Parochiani non ſatisfaciunt obligationi Communionis Paſchalis per Euchariſtiam ſumptam extra propriam Parochiam; quare monendi erunt Regulares, ne in eorum Eccleſiis adminiſtrent Euchariſtiam die Paſchæ, niſi illis, de quibus ſibi conſtiterit, jam illam in Parochiali ſumpſiſſe in aliqua ex diebus hebdomadæ majoris: Et in omni caſu a Parochis habendi non erunt liberi ab onere Communionis Paſchalis Parochiani illi, qui in propria Parochia non communicaverint*. Sac. Congr. Epiſ. 16. Maji 1600.

Negat vero illud licere Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *qu.* 7. *prope fin.* Emm. Rodriqu. *in Bull. Cruc.* §. 5. *n.* 10. & *in ſum. par.* 1. *c.* 67. *nu.* 3. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 10. *n.* 6. *lit. d.* Trull. *in Bull. Cruc. l.* 1. §. 3. *dub.* 7. *nu.* 8. & alii apud Barboſ. *loc. cit.* & apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 13. *n.* 626. & apud Ludovic. a Cruce *loc. cit. n.* 1. qui dicit, atque fatetur, hanc ſententiam negativam eſſe communem. Huic ſententiæ negativæ favent plura Decreta ſequentis tenoris. *Non poſſunt ſæculares in ipſo die Paſchatis de manu Regularium Sanctam Communionem accipere, etſi in alia die ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto hac de re edito*. Sac. Congr. Concil. 8. Junii 1619. apud Caval. tom. 4. c. 2. d. 32. Rurſus: *Prohibeatur Regularibus adminiſtrare ſæcularibus Sacramentum Communionis, etiam devotionis gratia, ipſa die Paſchatis; in aliis vero diebus temporis Paſchalis declaretur, eos, qui Sanctam Communionem receperint extra Parochiam, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere*. Congr. Epiſc. 10. Septembr. 1627. apud Caval. l. cit. d. 33. Deinde anno 1644. 9. Julii editum fuit adhuc aliud Decretum in Burdigal. quod apud Benedictum XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.* 9. *c.* 16. *n.* 3. eſt tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio Concilii poſt maturam diſcuſſionem cenſuit: Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive non valeant miniſtrare perſonis ſæcularibus Sacramentum Communionis; poſſe tamen iiſdem prohibere, ut perſonis ſæcularibus die Paſchatis non adminiſtrent dictum Euchariſtiæ Sacramentum; Etiamſi dictæ perſonæ ſæculares ſatisfeciſſent præcepto Eccleſiæ hac de re edito*. Rurſus anno 1650. 11. Junii in Senon. eamdem S. C. hoc ipſum declaraſſe refert Lucius Ferraris V. Euchar. nu. 21. & Benedictus XIV. l. cit. Poſtea in *Mechlinien.* an. 1682. 31. Januar. emanavit aliud Decretum ejuſdem S. C. C. quod ex teſtimonio laudati Benedicti XIV. ita in Sacræ Congregationis actis legitur adnotatum: *Parochi loci Lovanii conquerentes, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus miniſtrari a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis a Regularibus, & præſertim Societatis Jeſu, prætextu privilegiorum, unde arguunt, juribus Parochialibus præjudicium inferri, & Eccleſiæ*

eleſiæ præceptum eludi, cum non deſint, falſo aſſerentes, ſe in Eccleſiis Regularium illi ſatisfeciſſe; libellum porrexerunt Sanctiſſimo Domino noſtro, ut hiſce malis occurreret, vetando Regularibus ne præfato tempore dictum Sacramentum audeant miniſtrare. Cum autem Sanctitati ſuæ placuerit ad Sacram Congregationem Concilii remittere hujuſmodi preces, Patri Procuratori Provinciæ Belgicæ Societatis Jeſu ſucceſſive communicatas, proponitur dubium: an Patres Societatis Jeſu, aliique Regulares poſſint miniſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus a Dominica Palmarum uſque & per totam Dominicam in Albis? Cui dubio die 31. Januarii ejuſdem anni 1682. reſponſum fuit affirmative, excepto die Paſchatis; ita tamen, ut in aliis diebus ſumentes Euchariſtiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paſchatis non ſatisfaciant præcepto. Denique an. 1736. 14. Januar. emanavit recentior declaratio in *Sueſſana jurium Parochialium* tom. 7. RR. Concil. edit. Rom. 1742. pag. 154. Nam hiſce dubiis I. An licuerit Patribus S. Auguſtini, Civitatis Sueſſanæ, in die Dominica Reſurrectionis Domini Noſtri, devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Clerico Antonio de Paulo? Et quatenus negative; II. An ſubſtineatur comminatio Interdicti Eccleſiæ ſupradictorum Patrum facta ab Epiſcopo? Reſpondit Sacra Congregatio ad primum negative. Ad ſecundum *ad mentem, & amplius*. Ideſt non amplius ea de re dubitationem eſſe movendam. Quam declarationem profert etiam Caval. *l. ſupra cit. d.* 35. his verbis: *Non licet Regularibus in die Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus*. Congreg. Concil. 14. Januar. 1736. Ipſe autem Cavalerius videtur, tertiam quamdam proferre in hac quæſtione ſententiam, dicendo: poſſe adminiſtrare Communionem ex devotione in die Dominica Paſchæ Regulares illos, qui habent privilegium adminiſtrandi eam in ſuis Eccleſiis ſine ulla expreſſa exceptione dierum, atque adeo ſine prædicta clauſula: *præterquam in die Paſchatis*. Secus vero, qui præfatum privilegium habent cum clauſula, & exceptione prædicta: niſi & hi communicent in privilegiis cum Regularibus illis, quibus prædicta non ſit facti limitatio; vel habeant conſuetudinem non derogatam, longævam, & ſufficienter præſcriptam, miniſtrandi in ſuis Eccleſiis communionem ex devotione in die etiam Dominica Paſchæ. Religiones autem, quarum privilegia affecta non ſunt prædicta clauſula tradit eſſe Congregationem Benedictinam S. Juſtinæ, Ordinem Minimorum, & Theatinorum; Ex participantibus vero certe Religiones Mendicantes, cæterarum vero, unaquæque, ait, conſulat ſuam, ſi habet, Communicationis Bullam. Ita Cavalerius *to.* 4. *c.* 2. *in d.* 33. *n.* 3. *& in d.* 34. *n.* 1.

Habito autem reſpectu ad declara- 149
tiones prædictas Sacræ Congregationis pro ſententia abſolute negativa allegatas, videtur dicendum: per ſe loquendo, non eſſe licitum quibuslibet Regularibus in die Dominica Paſchæ Reſurrectionis miniſtrare Euchariſtiam Laicis, & Clericis, etiamſi ex mera devotione communicare voluerint.

Congruentia vero diſpoſitionis hu-

juſmodi eſſe poteſt, ne minuatur antiqua, & magna ſolemnitas Communionis Paſchalis in Eccleſiis Parochialibus, cum gravi offenſione Parochorum, maxime ubi non multus ſit populus, aut Eccleſia Parochialis in loco non admodum pervio, & difficilioris acceſſus collocata inveniatur; ne minuatur, inquam, ſolemnitas Communionis Paſchalis, quæ, licet ab Eugenio IV. & conſuetudine univerſali, ut ſect. 2. dictum eſt, extenſa fuerit ad dies ſeptem ante, & poſt Dominicam Reſurrectionis; nihilominus adhuc in ipſa die Dominica Paſchæ Reſurrectionis maxime convenit celebrari. Hinc eſt, quod in Rituali Romano Parochis præſcribatur, dare operam, quoad fieri poteſt, ut in ipſo die Sanctiſſimo Paſchæ Parochiani communicent, quo die ipſi per ſe, niſi legitime impediantur, Parochiæ ſuæ fidelibus Sanctiſſimum Immaculati Agni Domini Noſtri Jeſu Chriſti Corpus miniſtrare jubentur.

Dixi autem: illud non eſſe licitum, *per ſe loquendo:* quia primo licebit, ſi Parochus aut Epiſcopus licentiam dederint, ſecundum dicta ſuperius.

Secundo licebit, ſi alicubi adſit conſuetudo in contrarium, quam Epiſcopus, & Parochi ſcientes, & videntes, & facile reclamare valentes, tamen ſileant: quia ſic conſentire videntur, & tacite dant licentiam prædictam; quod patet ex innumeris ſimilibus materiis. Conſulat ergo unuſquiſque, & inſpiciat conſuetudinem ſuæ Provinciæ, ſeu loci, ubi moratur. In favorem prædictæ conſuetudinis, vel conſenſus rationes videri poſſunt, quas allegat Cavalerius in *ſupra cit. d.* 34. *n.* 2.

Interrog. I. Utrum Regulares, ubi ſervetur prohibitio miniſtrandi in eorum Eccleſiis Communionem in die Dominica Paſchæ, poſſint nihilominus illam adminiſtrare Peregrinis, & Vagis, ad eorum Eccleſias ea die accedentibus, & communicare volentibus, ſive ex mera devotione, ſive etiam ex intentione ſatisfaciendi præcepto Paſchali? Porro prædicti ſatisfaciunt præcepto in qualibet Eccleſia, etiam Regularium: ſecundum dicta ſect. 5. qu. 3. n. 109. 150

℞. Negative, ſed pro ea die remittendi ſunt ad Parochias: quia prohibitio abſoluta eſt, non miniſtrandi Communionem in die Dominica Reſurrectionis. Quod autem peregrini, & vagi poſſint recipere Communionem, etiam Paſchalem in qualibet Eccleſia, etiam Regularium, & de manu cujuslibet, etiam Regularis: non inde ſequitur, poſſe eoſdem communicare in Eccleſia, in qua interdictum ſit adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, aut de manu illius, qui miniſtrare non poſſit.

Si autem interroges II. Utrum Epiſcopus poſſit agere contra Regulares, qui Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrent in die Paſchatis? Vide Dianam *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 23. & Roderic. *tom.* 1. *quæſt.* 56. *articul.* 12. 151

Si interroges III. Utrum Fratres Mendicantes miniſtrantes in Indiis Occidentalibus Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta cum licentia Regum Hyſpaniarum, incidant in excommunicationem? Vide pro hac quæſtione laudatum Rodericum *loc. cit. art.* 11. & Barboſ. *de Offic. Parochi c.* 19. *n.* 9. 152

SE-

SECTIO VIII.

De Communione Paſch. deferenda ad Infirmos.

153 RITUALE Rom. Pauli V. ubi de Communione Paſchali: præſcribit Parocho, ut Ægrotis, domi ſcilicet detentis ex ægritudine, qui ſint de ſua Parochia, etiamſi Communionem extra præſcriptos Paſchales dies ſumpſerint. in Paſchalibus diebus illam deferat, ac miniſtret.

Idem fieri deberet quo ad carcere publico detentos, ſi in eo carcere fortaſſe non habeatur Altare, in quo ſoleat Miſſa celebrari; & ita fieri conſuevit.

Quando autem defertur ob prædictam cauſam Euchariſtia Infirmis; ipſa deferri deberet magno comitatu, & pompa, ad devotionem augendam, & ob reſpectum præcepti Paſchalis; & quidem communiter ita fit.

Teneri Parochum deferre hujuſmodi Communionem Infirmis: & Infirmos teneri illam ſumere tempore Paſchali: docuimus ſect. 3. qu. 14. n. 62. Imo nota hic: Parochum teneri Euchariſtiam pro Communione deferre ad ægros, ſi petant, etiam extra periculum mortis; maxime autem in feſtis ſolemnibus; ita cum Quintanadvenn. & Gob. La-Croix *lib. 6. part. 1. quæſt. 28. §. 4. numer.* 136.

Licet autem tempore Paſchali poſt adminiſtratam populo Communionem extra Miſſam, dicatur Oratio: *Spiritum nobis &c.* At vero eodem etiam tempore in reditu Proceſſionis a Communione Infirmorum dicendam eſſe conſuetam orationem: *Deus, qui nobis;* notavimus hoc lib. 5. part. 1. c. 1. n. 2. ob rationem ſignificatam ibidem.

Antequam diſputationem hanc de Communione Paſchali abſolvamus, quæres: an ratione Communionis Paſchalis debeant Conjugati abſtinere per aliquot dies a debito conjugali? Dubium oritur ex eo, quia C. *Omnis homo* 21. *diſt.* 2. *de Confecr.* ſic habetur: *Omnis homo ante ſacram Communionem a propria Uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus: nec inter Catholicos connumerabitur, qui in iſtis videlicet temporibus Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini non communicaverit.* Præfatæ autem continentiæ congruentia aſſignatur *C. Sciatis* 1. 33. *qu.* 4. ubi ſimiliter aſſeritur ex Hieronymo: reddens uxori debitum, non debere de carnibus Agni comedere: hoc eſt, ad ſacram Communionem accedere; *etenim ſi panes propoſitionis non poterant ab iis, qui uxores ſuas tetigerant, comedi; quanto magis panis ille, qui de cœlo deſcendit &c.* Porro ex 1. Reg. 21. 5. David cum pueris ſuis accepturus panes propoſitionis, requiſitus fuit ab Achimelech Sacerdote: ſi mundi eſſent maxime a mulieribus? Refert etiam Durandus in *Ration. Divin. Offic. lib. 6. c. 86. n. 9.* quod in plerisque Regionibus mulieres ſecunda die poſt Paſcha ſuos verberabant maritos; die vero tertia mariti uxores ſuas. Hoc autem factum, inquit, ad notandum, quod debebant ſe invicem corrigere, ne alter ab altero exigeret tempore Communionis Paſchalis debitum thori. 154

Reſpondeo: prædictum Canonem *Omnis homo;* eſſe deſumptum ex Concilio Eliberitano, & quo ad priorem ejus partem, de qua hic eſt quæſtio, non præceptum imponere, ſed me-

rum

Digitized by Google

rum præbere conſilium ; ut notat Gloſſa ibi ; videri etiam poſſunt dicta tract. 1. in Dominica. articul. 1. qu. 5. num. 17.

CAPUT IV.

De Jejunio.

1 IN illo caſu , quo vetus Calendarium habeat Paſcha octo diebus ex. gr. ſerius , quam novum : ſi quis incœperit Quadrageſimam in loco novi Calendarii , & poſt octo dies pergat ad locum , in quo eſt in uſu vetus Calendarium ; vel eo ſe conferat , poſtquam in loco novi Calendarii jam abſoluta eſt Quadrageſima : an teneatur proſequi obſervantiam quadrageſimalem per illos octo dies, poſt quos ibi in loco veteris Calendarii celebrabitur Paſcha : ſi ibi maneat per illud tempus ; aut ſaltem ſi ibi habeat , aut figat Domicilium? Examinavimus lib. 4. par. 1. cap. 1. art. 6. qu. 4.

In illo eodem caſu , quo vetus Calendarium habeat Paſcha ſerius quam novum : ſi quis ex loco veteris Calendarii veniat in locum novi ubi ſit expleta Quadrageſima : an teneatur ibi complere numerum dierum , qui deſiderantur ad complendum ipſe integram Quadrageſimam , puta octo alios dies ? Examinavimus etiam l. cit. qu. 5.

Si quis ex loco novi Calendarii , abſoluto ibi quadrageſimali tempore, veniat in locum, quo eſt in uſu vetus Calendarium : ſi in loco novi Calendarii per aliquam hebdomadam non jejunaverit : an teneatur complere , & compenſare in loco veteris Calendarii , ſi hic Quadrageſima nondum præterierit? Et hoc examinavimus l. cit. qu. 6.

Hìc autem Quæres I. An ſi aliquod jejunium particulare alicujus Regni , Diœceſis , aut Civitatis occurrat infra Octavam Paſchæ , ſit obligatio, ſervandi illud ? 2

℞. Pro ſolutione hujus quæſtionis opus eſt , legere quæ docuimus hoc lib. 5. par. 1. c. 4. qu. 1. ubi examinavimus: an tempore Paſchali liceat jejunare? Cæterum ex iis, quæ ibi docuimus , hic dicimus , quod quamvis ſecundum dicta l. cit. Eccleſia univerſalis non præſcribat aliquod jejunium univerſale toto tempore Paſchali , vel ſi vis etiam, prohibeat prædicto tempore jejunare: id tamen non ſimpliciter eſt prohibitum, ſed, ut etiam loc. cit. monuimus: ſolum ſi quis vel ex ſuperſtitione , & errore : uti quidam olim hæretici : vel ex contemptu Eccleſiæ , vel cum ſcandalo aliorum : ut ſi quis unam hebdomadam jejunaturus, eligat ſine ulla rationabili cauſa hebdomadam Paſchalem; ita Bellarm. *controverſ. 5. tom. 4. controv. gen. 3. controv. ult. lib. 2. c. 23.* & confirmatur ex eo , quia S. C. R. in Decreto mox allegando declaravit : occurrente Sancto Marco in die Paſchæ, teneri ad jejunium in feria tertia Paſchæ eos , qui ſe obligarunt ad jejunandum in Litaniis majoribus S. Marci . Licitum eſt , igitur , per ſe ; cuilibet , etiam infra Paſchalem hebdomadam jejunare : aut etiam tenetur quis , ſi aliunde obligetur, puta ex præcepto Regulæ , aut ex voto , aut ex pœnitentia ſacramentali . Bellarm. l. cit. Si ergo aliquod jejunium particulare , puta ex conſuetudine ſub gravi recepta in aliquo Regno, Diœceſi , aut Civitate occurrat infra octavam Paſchæ, eſt per ſe obligatio ſervandi illud : quemadmodum eſt obli-

obligatio, quando occurrit extra prædictam hebdomadam: quia in hebdomada Paſchali non eſt, per ſe loquendo, prohibitum, jejunare. Dixi: *eſt per ſe obligatio*: quia ſi in dicto caſu incidentiæ non ſoleat jejunium obſervari: ſignum eſt, quod ea conſuetudo recepta fuerit cum excluſione octavæ Paſchalis: conſuetudine conſuetudinem interpretante. Quoad jejunium vero alicubi ſervari in Litaniis majoribus conſuetum, etſi occurrentibus iis infra Octavam Paſchæ, alicubi aliquando infra eamdem fuerit cuſtoditum, alibi tranſlatum, alibi etiam plane omiſſum: quemadmodum ſcripſimus tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 2. §. 3. declaravit autem S. R. C. ut ibidem notavimus: quod *ſi feſtum S. Marci occurrit in die Paſchatis, Proceſſio cum Litaniis transfertur in feriam tertiam ſequentem, juxta Rubricam particularem Miſſalis: & ſi alicubi ſit abſtinentia, vel jejunium, ſervanda eſt conſuetudo a Regularibus*. S. C. R. 14. Februar. 1705. Vide dicta l. cit.

3 Qu. II. Utrum, ſi jejunium Jubilæi incidat in hebdomadam Paſchalem, poſſit commutari, aut transferri?

R. Poſſe commutari, concedit Gobbat, quem citat, ſed rejicit Viva *in tract. de Jubilæo, quaeſt. 8. art. ult.* ubi docet: poſſe quidem Epiſcopi auctoritate transferri, non item commutari jejunium in alia opera quantumlibet pia.

CAPUT V.

De Indulgentiis.

1 In die Paſchæ & per Octavam uſque ad Dominicam in Albis incluſive poſſunt acquiri Indulgentiæ Stationum. De Stationibus egimus lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101.

CAPUT VI.

Not. in Feſto S. Marci occurr. in hebd. Paſchali.

Quid notandum in Feſto S. Marci Evangel. occurr. infra Octavam Paſchæ? vid. tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 2.

PARS

P A R S II.

PARTIS II. LIBRI V.

NOT. IN GENERE.

In Triduo Paschæ, et post Trid. infra Octavam.

EXPLICANTUR CAPITIBUS II.

Cap. I. *Not. in Triduo Paſchæ in genere.*
Cap. II. *Not. in genere poſt Triduum Paſchæ infra Octavam.*

C A P U T I.

Not. in Triduo Paſchæ in genere.

Explicantur Sectionibus III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *Not. tempore Interdicti.*

S E C T I O I.

De Horis Canonicis.

1 Hebdomada Paſchalis eſt ipſa Octava Paſchæ. Triduum Paſchæ eſt Dominica Paſchæ, feria 2. & 3. Paſchæ. Officium in hoc triduo eſt dupl. 1. cl. De ſimplici nulla fit commemoratio; & quodcumque feſtum in eo occurrat, transfertur poſt Octavam Paſchæ. *Rubr. gen. Brev. tit.* 1. *n.* 1. *& tit.* 7. *num.* 3. *& tit.* 9. *n.* 4. *&* 5. & in duab. tabell. excerptis ex rubr. gener. Notanda vero infra Octavam Paſchæ pro Horis Canonicis expoſuimus parte 1. hujus 2. part. c. 1.

S E C T I O II.

De Miſſa.

De ſimplicibus occurrentibus in triduo Paſchæ nulla fit commemoratio. In triduo Paſchæ dicitur unica oratio, uti notavimus 1. part. cap. 2. Porro hoc triduum eſt dupl. 1. cl. 2

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto: excipitur tamen Dominica Reſurrectionis cum duobus proxime ſequentibus diebus. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 6.* Merat. *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 7. *nu.* 31. Sunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

Triduum Paſchæ eſt feſtivum ex præcepto univerſali: Dominica ſcilicet Reſurrectionis cum duobus immediate ſequentibus diebus. Vid. dicenda in Dom. Reſurr. art. 1. qu. 3. 3

Etſi in ipſa Dominica Paſchatis certe non liceat celebrare in Oratoriis privatis; utrum autem liceat in ſequentibus duobus diebus feſtivis? Exa-

examinavimus tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 3.

Quæ notanda ſint in genere infra Octavam Paſchæ pro Miſſæ celebratione: Vide part. 1. hujus 2. part. cap. 2.

S E C T I O III.

Not. tempore Interdicti.

4 CUM, ſecundum dicenda ubi de Dominica Paſchæ art. 7. tempore Interdicti generalis localis permittantur Divina Officia ſolemniter celebrari in feſto Paſchatis: an id poſſit extendi ad ſequentes duos dies, videlicet ad totum triduum Paſchæ? vide l. cit. qu. 1.

C A P U T II.

Not. in genere poſt Triduum Paſchæ infra Octavam.

EXPLICATUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

S E C T I O I.

De Horis Canonicis.

1 POST triduum Paſchæ Reſur. infra Octavam Offic. ſemid. Si occurrat feſtum ſimplex, fit utique de eo commemoratio tantum: hoc eſt ſine lectione de eodem, ut notavimus 1. par. hujus 2. par. c. 1.

S E C T I O II.

De Miſſa.

POST triduum Paſchæ Reſurr. infra Octavam ſi occurrat feſtum ſimplex fit de eo commemoratio in Miſſa, ut notavimus 1. par. hujus 2. par. cap. 2. Poſt triduum Paſchæ Reſur. a feria ſcilicet quarta uſque ad Sabbatum incluſive in Miſſa de Octava dicuntur duæ tantum Orationes, una de die, alia *Eccleſiæ;* vel pro Papa. Rubr. gen. Miſſ. tit. 9. num. 8. Si autem occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio, ut ſupra dictum eſt; ſed omittitur Oratio *Eccleſiæ;* vel pro Papa. Rubric. Miſſ. in fer. 4. Paſchæ. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 9. n.* 8. Duæ enim Orationes dicendæ ſunt, & tertia Oratio non dicitur: ut pluries declaravit S. R. C. apud Meratum *ind. decretor. Miſſ. n.* 700. ubi ſic. *In Miſſis ferialibus a Dominica Paſſionis uſque ad feriam* v. *in Cœna Domini, & infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, juxta alias Reſolutiones* 22. *Novembris* 1659. *in* una Rubricarum; *&* 13. *Septembr.* 1692. *in* Cæſarauguſtan. *&* 4. *Maji* 1709. *in* Piſtorien. *occurrente feſto ſimplici, non eſt dicenda tertia oratio* Eccleſiæ; *vel pro Papa.* S. R. C. 15. Septembr. 1736. in *una Rubricar.* Vide eumdem Meratum *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 4. *& tit.* 11. *de die S. Paſchæ nu.* 4. Si autem accidat eſſe præſcripta a Superioribus Collecta pro aliqua neceſſitate, hæc quidem recitanda eſt tertio loco; confer dicta lib. 4. par. 2. c. 6. ubi de temp. Paſſion. art. 2. n. 9.

P A R S III.

P A R T I S II. L I B R I V.

NOT. IN HEBDOMADA PASCHÆ RESURRECT. SINGULIS DIEBUS.

C A P U T I.

Not. in Dominica Paſchæ Reſur.

EXPLICANTUR ARTICULIS XII.

Art. I. *De Inſtitutione & obſervantia Paſchæ. a n.* 1.
Art. II. *De Hor. Canon. n.* 16.
Art. III. *De Miſſa. a n.* 17.
Art. IV. *De Communione. n.* 27.
Art. V. *De Functionibus Pontificabus a n.* 28.
Art. VI. *De Exequiis Defunctorum n.* 30.
Art. VII. *Not. tempore Interdicti localis Generalis a n.* 31.
Art. VIII. *De Indulgentiis a n.* 47.
Art. IX. *Not. in feſto S. Marci occurren. in die Paſchæ n.* 50.
Art. X. *De benedictione Agni in Paſcha, & Ovorum. a n.* 51.
Art. XI. *De benedictione menſæ, & gratiarum actione. a n.* 59.
Art. XII. *De quadam vana obſervantia in Dominica Paſchæ. n.* 61.

A R T I C U L U S I.

De Inſtitutione, & Obſervantia Paſchæ.

QU. I. Quid ſit Paſcha? 1
℟. Quod Latine *Tranſitus* Hebraice *Phaſe* dicitur, ut conſtat Exodi 12. 11. ubi ſic: *Eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini*. Quod autem Hebraice dicitur Phaſe, *Chaldaice dicitur* Paſcha; Vide Raynaudum *to. 9. de Juda prodit. c. 9. n. 7.* initio, & Azor. *Inſtit. Moral. par. 2. lib. 1. c. 3. qu. 1. fin.* Nec obſtat, quod communiter Auctores doceant, Paſcha eſſe vocem Hebraicam: minus enim proprie loquuntur; Et tantum volunt, vocem Paſcha uſurpatam fuiſſe ab Hebræis, nimirum poſt captivitatem Babylonicam. Unde Paſcha dici quidem poteſt vox Hebraica, ſed vulgaris, non autem vera, & propria. Sciendum enim eſt, Hebræos loquutos fuiſſe linguam ſuam Hebraicam uſque ad captivitatem Babylonicam: poſteaquam vero adducti ſunt in Babylonem Civitatem Regionis Chaldeæ, cœperunt oblivisci linguam propriam, & loqui aliam linguam mixtam ex Hebraica, & Chaldaica; Chaldaicam enim omnem non perfecte pronunciare poterant: cum lingua Hebraica licet affinis Chaldaicæ, ſit tamen diverſa; & ſemper aliquid ex Hebraica retinebant. Illam igitur tertiam linguam mix-

mixtam ex Chaldaica, & Hebraica pro vulgari, ac materna deinceps Hebræi habuerunt. Hæc autem tertia quædam lingua dicta eſt etiam Hebraica, quia illam Hebræi loquebantur; dicta eſt Syriaca a Regione, ubi maxime ejus uſus viget; & alia ſimilia ſortita eſt nomina. Hinc a Scriptoribus, & ab ipſa Sacra Scriptura voces Syriacæ, ſeu Chaldaicæ dicuntur Hebraicæ: Nimirum nihil aliud intendunt, niſi quod illæ voces uſurpatæ erant in ea lingua, quam poſt Captivitatem Babylonicam loquebantur Hebræi in communi, & vulgari uſu. De hac re videri poteſt Bellarm. de Verb. Dei Scripto. lib. 2. c. 4. Paſcha itaque vox Chaldaica eſt, ſeu Hebraica vulgaris, idem ſignificans ac *Tranſitum*.

Jam vero ſciendum eſt; Hebræos Phaſe, ſeu Paſcha vocaſſe illum tranſitum Domini, quando ad liberandos eos a captivitate Ægypti, & puniendos Ægyptios, tranſiit, Angeli ſui miniſterio, per terram Ægypti, & interfecit omne Primogenitum Ægyptiorum nocte una; tranſiit vero Hebræos, ſeu illos reliquit intactos, qui juxta præſcriptum Domini occidentes, immolantes, & comedentes Agnum, tinxerunt ejus ſanguine ſuper liminare, & utrumque poſtem domorum ſuarum; ut narratur Exodi 12. Inde quoque tranſitum fecerunt Hebræi a luctu, & mœrore ad lætitiam, & gaudium, a captivitate ad libertatem, a paupertate ad divitias; ſpoliaverunt enim Ægyptum, dum ipſi Ægyptii dimittentes illos, commodaverunt eis; tranſitum fecerunt ab innumeris malis, quibus premebantur in terra hoſtili, ad innumera bona, quibus repleti ſunt in terra fluente lacte, & melle. Itaque populus Hebræus egrediens de Ægypto, ſicco pede mare rubrum tranſiit, & per innumera miracula, ac prodigia ad terram promiſſionis pervenit Patrum ſuorum.

Præceptum quoque dederat Deus Hebræis, ut quotannis ſolemniſſime celebrarent tanti beneficii commemorationem, plures cæremonias, quæ in prædicto Paſcha, ſeu tranſitu factæ fuerant, repetendo. Quod Hebræi exacte præſtabant, & hujuſmodi commemorationem, & ſolemnitatem ſimiliter Phaſe, ſeu Paſcha vocabant.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ut Apoſtolus ait 1. ad Cor. 10. 11. figurabant enim myſteria Paſſionis, & mortis Domini Salvatoris, & ejus tranſitum a morte ad Reſurrectionem, & vitam Immortalem; ut docet Auguſtinus *ferm. 6. de verbis Apoſtoli c. 5.* dicens: *In magno myſterio videte concordiam legis, diſtantiam plebis. Celebratum eſt Paſcha in illo veteri populo, nondum in luce fulgente, ſed in umbra ſignificante celebratum eſt .... Venit verum Paſcha, immolatur Chriſtus, tranſitum facit a morte ad vitam;* tranſitus *enim interpretatur Hebraice* Paſcha; *Quod expreſſit Evangeliſta dicens:* Cum autem veniret hora, ut tranſiret Jeſus de hoc Mundo ad Patrem. *Celebratur ergo Paſcha, reſurgit Dominus, facit tranſitum a morte ad vitam, quod eſt Paſcha*. Hæc Auguſtinus. Videri inſuper poteſt S. Iſidorus Hiſpal. Epiſcop. *de Eccl. Offic. lib. 1. c. 31. de Paſcha*. Chriſtus etiam per hujuſmodi tranſitum ſuum fecit & nobis tranſitum a morte æterna, peccato, & ſervitute Diaboli ad gratiam, & vitam æternam, ac libertatem filiorum Dei, atque tranſitum

ab innumeris malis, quibus prius ſub captivitate Diaboli premebamur, ad innumera, & ineſtimabilia bona: unde repleti jam ſumus ubertate domus Dei: *Hodierna die per Unigenitum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti*: Ita Æternum Patrem alloquitur Eccleſia in Collecta Miſſæ hujus diei. Quod notavit etiam Nazianzenus *orat.* 41. ubi ſic: *Hoc Paſcha, hoc, inquam, magnum, & venerandum Paſcha ab Hebræis juxta eorum linguam nominatur: (quæ vox tranſitum ſonat:) hiſtorica quidem ratione propter Iſraelitarum ex Ægypto in Chananæam Regionem fugam, & migrationem: ſin autem ſpiritualem ſenſum ſpectemus, propter noſtram ex his inferioribus ad ſuperiora, atque ad promiſſionis terram progreſſionem, & aſcenſum*. Ita Nazianz. Conſonat S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 30. *de Paſcha*, ubi hæc habet: *Cujus quidem* (Salvatoris Noſtri) *diem Paſchalis Reſurrectionis non ſolum pro eo celebramus, quod in eodem a mortuis reſurrexit: ſed etiam pro aliis Sacramentis, quæ per eumdem ſignificantur. Quia enim, ſicut dicit Apoſtolus, mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, tranſitus quidem de morte ad vitam in illa Paſſione Domini, & Reſurrectione Sacratus eſt... Hinc tranſitus modo a nobis agitur per fidem, quæ nobis datur in Remiſſionem peccatorum, quando conſepelimur cum Chriſto per baptiſmum, quaſi a mortuis tranſeuntes de pejoribus ad meliora, de corporalibus ad ſpiritualia, de converſatione hujus vitæ, ad ſpem futuræ reſurrectionis gloriæ. Propter ipſum ergo initium novæ vitæ, ad quam tranſimus &c.* Hæc S. Iſidorus; videri etiam poteſt Rupert. Ab. *de Divin. Offic. lib. 6. c. 26.* Eccleſia autem Chriſti tantorum ſolemnitatem Myſteriorum celebrare volens, a Synagoga nomen *Paſchæ* deſumens, appoſite tribuit figurato, quod illa dederat figuræ. Unde hac nocte, ſeu heſterna die præveniens ſolemnitatem hujus ſacratæ noctis, in qua Salvator noſter a mortuis Reſurrexit, & ad benedicendum Deum pro hujuſmodi acceptis beneficiis fideles ſuos excitans, inter alia, quæ cecinit exultans, ad exultationem invitans, & exultationis cauſam aperiens ait:... *Hæc ſunt enim feſta Paſchalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, cujus ſanguine poſtes fidelium conſecrantur. Hæc nox eſt, in qua primum patres noſtros Filios Iſrael eductos de Ægypto mare rubrum ſicco veſtigio tranſire feciſti ... Hæc nox eſt, in qua deſtructis vinculis mortis Chriſtus ab inferis victor aſcendit.... Hujus igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapſis, & mœſtis lætitiam. Fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia ... O vere beata nox, quæ ſpoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. Nox in qua terrenis cœleſtia, humanis divina junguntur &c.* In Benedict. Cer.

Inde autem præterire nequaquam oportet: ipſum quoque Chriſtum vocari *Paſcha noſtrum*. Sic dicitur ab Apoſtolo 1. ad Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Quod etiam ab Hebræis, ſeu a figura deſumptum eſt; Enim vero Hebræi Agnum, quem in ſolemnitate Paſchali, ut diximus, immolabant, & comedebant, vocabant etiam *Paſcha*; unde dicebant: occidere, immolare, parare, comedere Paſcha; lege Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ideſt occidere, immolare, parare, comedere Agnum

Agnum pro ſolemnitate Paſchali; qui Agnus, ut etiam dictum eſt, Chriſtum figurabat pro ſalute noſtra occidendum, & immolandum, cujus ſanguine eramus conſecrandi, & ſanctificandi. Unde dicit Eccleſia in Præf. Sacrificii Miſſæ laudata Apoſtoli verba repetens, & explicans. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata Mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam Reſurgendo reparavit*. Quem etiam Agnum Divinum nos myſtice immolamus in Sacrificio Miſſæ, comedimus quoque præſertim in Paſchate ex præcepto Eccleſiæ præſcribentis Communionem, ideo Paſchalem dictam, de qua egimus par. 1. c. 3. Unde Apoſtolus poſt ſupra laudata ipſius verba *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* ſubdit: *Itaque epulemur &c.* Inde Eccleſia in Miſſa feſti SS. Corporis Chriſti in Sequentia canit: *In hac menſa novi Regis, novum Paſcha novæ legis, Phaſe vetus terminat*. Conſonat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 1. de Chriſto dicens: *Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis . . . eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit . . . Novum inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum &c.* Appoſite etiam Populus Chriſtianus Communionem Paſchalem vocat ſimpliciter *Paſcha*: unde communiter dicit: *accipere Paſcha*: hoc eſt, communicare, ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis. Quod Chriſtus ſit Paſcha noſtrum in Euchariſtia exponit, & tractat Raynaud. to. 6. Candel. Sanct. de Euch. Onomaſt. Euch. ſect. 5. ad hæc verba *Paſcha noſtrum*. Aliæ acceptiones Paſchæ videri poſſunt apud eumdem Raynaudum *to.* 9. loco ſuperius cit. nu. 1. & Azor. *Inſtit. moral. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 3. *qu.* 2. & nos etiam nonnullas produximus alibi, & producemus, ubi occaſio ſeſe præbuerit.

Proprie autem Paſcha nobis ſignificat ſolemnitatem, qua celebramus Jeſu Chriſti Domini Salvatoris Noſtri Reſurrectionem.

Qu. II. Quis feſtum Paſchæ inſtituerit? 2

℞. Solemnitatem noſtram Paſchalem non jure quidem divino, ut alii qui putarunt, ſed humano, & Eccleſiaſtico celebrari, ex inſtitutione tamen ipſorum Apoſtolorum, in Eccleſia abſque ulla etiam interruptione retenta. Vide Suar. *de Relig. to.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 3. *qu.* 3. Unde habet omnem firmitatem, & immutabilitatem, quam habet dies Dominica, de qua tr. 1. lib. 2. par. 2. c. 1. art. 1. qu. 4. a nu. 11. Et quidem cum majori excellentia, & cauſa, quia Paſchalis ſolemnitas, & dies Dominicæ Reſurrectionis eſt tamquam exemplar, & prototypon omnium Dominicarum anni, quæ ideo potiſſimum Dominicæ dictæ ſunt, ut loco cit. qu. 2. notavimus.

Porro qualis, & quanta ſit Paſchæ ſolemnitas, tum per ſe patet, tum etiam conjici poteſt ex immenſis præconiis, quibus celebratur a Patribus. Et quidem a S. Gregorio Nazianzeno *orat.* 19. & S. Ephrem *ſerm. de Cruc. Domini* vocatur *dierum Regina*: ab eodem Nazianz. *orat.* 42., quæ eſt 2. *in Paſcha* initio appellatur *Feſtivitatum feſtivitas, & celebritas, tanto cæteris omnibus, non ſolum*

lum humanis, *& humi defixis*, *ſed iis etiam*, *quæ ipſius Chriſti ſunt*, *ac propter ipſum celebrantur*, *ſuperior*, *quanto ſol ſtellas antecellit*. Mox item vocat *diem dierum omnium maximum*. Sicut etiam S. Epiphanius *orat. de Reſurr.* initio vocat *diem feſtorum omnium principem*, *totius Mundi feſtum*, *& Encœnia*, *verticem*, *& arcem feſtorum omnium*. Chryſoſtomus orat. 4. de Aſcenſ. edita a Voſſio, dicit *Glorioſiſſimam*, *atque pacificam*, *& triumphalem diem*, *quæ mater feſtorum*, *& celeberrima dies fidelibus ſemper eſt habita*. Ad excellentiam Paſchatis facit etiam, quod, licet annus Eccleſiaſticus nunc incipiat ab Adventu; ſeu a Domin. 1. Adventus, ut ſuo loco notavimus: olim vero Eccleſia annum ſuum incipiebat a die Paſchæ; ut teſtatur Cujacius, & Scaliger apud Caſſal. c. 62. fine.

Denique eamdem Paſchatis excellentiam arguere licet ex quadam conſuetudine, quæ alicubi invenitur. Enimvero ex Durando *in Ration. Offic. lib. 7. c. 1. nu. 25.* & Raynaud. loc. infra cit. mos eſt alicubi, ſolemniſſima per annum occurrentia feſta vocare Paſcha, ut *Paſcha Pentecoſtes: Paſcha Natalis: Paſcha Epiphaniæ*. Sic etiam apud Dianam *edit. coord. to. 5. tr. 4 R. 11. §. 2.* Avilam *de Interd. diſp. 4. ſect. 2. dub.* 10. & pleroſque alios Scriptores. Videri inſuper poſſunt dicenda in Dom. Pentec. art. 1. qu. 5. nu. 8. fine. Qui mos apud Græcos item habetur, hi quidem Paſcha vocant quamlibet magnam celebritatem alicujus Myſterii ſpectantis ad Chriſtum Dominum. Vide Raynaud. *to.* 10. *tract. de Gladio ſect. 3. §. 5.* Hujuſmodi autem feſta ſolemniora dicuntur Paſcha a Rege dierum feſtorum, ut ſupra laudati Patres vocant Paſcha Reſurrectionis, tamquam a primario analogato. Quod notavit etiam Raynaud. *to. 10. de Roſa cap. 1. ubi de antiqu. rit. bened. Roſ.* Dicit quoque Durand. l. cit. eadem ſolemniora feſta vocari Paſcha, quia Paſcha ſignificat tranſitum, ut initio quæſtionis 1. expoſuimus; in magnis autem feſtivitatibus debemus tranſire de vitiis ad virtutes; Ita ille: ſed hæc ratio ducitur ex Allegoria: propria vero eſt ea, quam cum Raynaudo aſſignavimus, quæque conducit ad Paſchatis excellentiam.

Qu. III. An feſtum Paſchæ celebrandum ſit ſub gravi præcepto; & utrum unico die, vel pluribus? 3

℞. Celebrandum ex gravi, & rigoroſo præcepto univerſali, uti habetur ex traditione, & conſtat ex Conſtit. Urbani VIII. incip. *Univerſa per orbem* an. 1642. pro obſervat. feſtor. quam laudavimus die 1. Januar. nu. 1. & colligitur etiam ſatis ex dictis, & patebit adhuc ex dicendis. Ponitur item hoc feſtum C. *pronunciandum* 1. *diſt. 3. de conſecr. & C. Conqueſtus de feriis*. Et initio quidem impoſitionis hujus feſti hebdomada integra colebatur. Vid. Bened. XIV. *de feſt. Dom. c. 9. §. 1. poſt initium:* Hinc invenies apud nonnullos antiquiores Auctores, prohiberi in tota hebdomada Paſchali opera ſervilia, ſaltem non neceſſaria: ſic Durand. *in Ration. Offic. lib. 6. c. 86. n.* 10. dixit: primis tribus Paſchæ diebus ſolemniter eſſe feriandum, ſeu omnino vacandum ab operibus ſervilibus; In ſequentibus vero licere quidem viris ruralia opera, quæ magis neceſſaria ſunt, exercere, ſed fœminis non eſſe licitum nere. Idem ſcripſit Beleth *de Divin.*

Offic.

Offic. c. 20. Verum hodie ex generali conſuetudine, & ut conſtat ex cit. Conſtit. Urbani, duæ tantum proxime ſequentes feriæ poſt Dominicam Reſurrectionis ut feſtivæ de præcepto univerſali coluntur; cæteri dies, ut feriati tantum a Judiciis. Vid. Suar. *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Azor. *Inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 1. *c.* 7. *qu.* 4. *& c.* 25. *quæſt.* 6. & dicta in 1. par. hujus 2. par. c. 2. n. 3.

Notandum autem hic 1. eſt, nomine diei Paſchæ, vel ſimpliciter nomine Paſchæ venire primum tantummodo diem feſtivum ex prædictis tribus, in quo nimirum Dominicæ Reſurrectionis myſterium accidit, reliqui duo proxime ſequentes dies feſtivi ad majorem ſolemnitatem, & extenſionem devotionis adduntur. Inde autem nomine feſtivitatis Paſchalis, in communi uſu loquendi, venire omnes ſimul prædictos tres dies, notabimus art. 7. qu. 1. n. 33.

Notandum 2. feſtum Paſchæ, ſeu Dominicam Paſchæ inter feſta de præcepto majora adnumerari. Quid autem hoc importet? Vide dicta tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 1. n. 3.

4 Qu. IV. An, ad celebrandum Paſcha, attendenda ſit certa, ac fixa dies hebdomadæ, vel potius menſis, ut fit ex. gr. in Nativitate Domini, in Myſterio Incarnationis &c.?

℞. Attendendam eſſe certam, ac fixam diem hebdomadæ, non autem menſis: quod alterum tamen intellige in ſenſu explicando qu. 6. Quare autem attendatur potius dies hebdomadæ? explicabimus qu. ſequenti.

5 Qu. V. Qua die hebdomadæ Paſcha ſit celebrandum?

℞. Prima ſemper hebdomadæ die, ſcilicet ſemper in Dominica. Semper autem in Dominica celebrandum Paſcha, habetur ex traditione Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis traxit originem, ut Pius I. Papa, & Martyr habet in Epiſtola 1. decretali, ubi etiam de hac obſervatione ſpecialem legem tulit, quæ habetur C. *Noſſe eos* 21. *diſt.* 3. *de conſecr.* Quamvis nonnulli eſſe velint apocrypham hujuſmodi decretalem. Vide Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *de die S. Paſchæ num.* 2. Benedict. XIV. *de feſt. Dom. cap.* 9. §. 1. Statutum hujuſmodi celebrandi Paſcha in Dominica confirmavit Victor I. Papa, & Martyr. epiſt. 1. & refertur C. *Celebritatem* 22. *diſt.* 3. *de conſecr.* ubi ſic ait: *Celebritatem S. Paſchæ die Dominico agi debere, & prædeceſſores noſtri jam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die ſolemniter celebrare mandamus &c.* Et cum eo fere tempore de hoc articulo controverſia orta eſſet inter Orientales Eccleſias, omnes Epiſcopi Orientis in Concilio ejuſdem Victoris Summi Pontificis hortatu in Cæſarea Paleſtinæ coacto, ſtatuerunt, omnino eſſe retinendam traditionem, ut feſtum Paſchæ in die Dominico celebraretur. Ita refert Euſebius *lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 22. addens, eo tempore in variis Provinciis tam Orientis, quam Occidentis, atque etiam Romæ fuiſſe de hac re motam quæſtionem, & omnes Epiſcopos in hanc ſententiam conſpiraſſe. Tandem vero in Concilio Nicæno I., ad hunc propoſitum finem congregato, omnis controverſia conſopita eſt, & dicta veritas ſtabilita anno 325. Vide Suar. *de Relig. tom.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 6. *nu.* 4. Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *l.* 1. *c.* 4. *qu.* 3. Durand. *in Ration. Offic. lib.* 6. *c.* 86. *n.* 11. Benedict. XIV. *l. cit.* Merat. *to.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3.

cap. 3. *n.* 1. Ita ut hæreticum nunc eſſet, dicere: non eſſe latum præceptum celebrandi Paſcha ſemper in Dominica; vel non potuiſſe ferri hujuſmodi præceptum; aut præceptum eſſe injuſtum; aut materiam non eſſe capacem præcepti; omnia enim hæc ſunt contra communem ſenſum, & traditionem univerſalis Eccleſiæ, & Pontificum, Conciliorum, ac Patrum. Vide Suar. l. cit. a n. 5. An autem eſſet hæreticus, qui affirmaret: minus convenienter Paſcha ſemper in Dominica celebrari: non audet definire Suar. n. 10., quia, inquit, de hac majori convenientia, & majori congruitate non apparet expreſſa definitio, neque neceſſaria conſecutio ex vi præcepti, vel traditionis de re ipſa, quia ad obligationem, & honeſtatem præcepti ſatis eſt, quod res pia ſit, & honeſta, ac ſubinde conveniens; quidquid ſit de illa comparatione. Nihilominus tamen docet idem Suar. ibid. illud ſentire, fore pluſquam temerarium; idem docere, valde ſcandaloſum, & impium. Profecto convenientiſſimum fuiſſe, Paſcha ſemper in Dominica celebrari, evidenter ſupponitur, & ſignificatur a Sanctis Patribus, Eccleſiaſticiſque Decretis.

6 Rationes autem, quæ potuerunt Eccleſiam movere, duas innuere, ſatis ſit. Prima, quod ita fuerit ab Apoſtolis traditum, ut ſupra dictum eſt: Et univerſalis conſuetudo, paucis exceptis, ita tenuerit uſque ad Concilium Nicænum, ut ex Patribus, & hiſtoriis uſque ad illud tempus conſtat. Quam quidem univerſalem conſuetudinem, & inſtitutionem Deus confirmavit ſpeciali revelatione facta Hermæ Doctori Eccleſiæ antiquiſſimo, ut refert ſupra laudatus S. Pius I. in cit. epiſt. 1. decretali. Item prædictum morem, & ritum Eccleſiæ Catholicæ miraculis confirmatum oſtendit Sylveſter Petra Sancta Societatis Jeſu in 2. *tom. Rituum Eccleſiæ Cathol. cap.* 19. Altera ratio: quia ſi dies omnis Dominica præcipue colitur ut feſtiva propter gloriam Reſurrectionis, ut ſuo loco docuimus: certe multo magis conveniens fuit, feſtum ipſum Reſurrectionis, quod, ut n. 2. notavimus, eſt veluti prototypon omnium Dominicarum, extra Dominicam diem minime celebrari. Rationem hanc longo diſcurſu tractat Auguſtinus *epiſt.* 55. *alias* 119. *ad Januarium*, præſertim a cap. 9. ad 17.

Ex hac autem obſervatione intelligitur ratio, ob quam feſtum Reſurrectionis non celebretur in die fixo, & immobili alicujus menſis, ut fit in Nativitate, & aliis feſtis, quæ a Paſchate non dependent, quæ immobilia vocantur. Nam eo ipſo, quod oportuit in Dominica ſemper fieri, non potuit in aliqua die certa menſis, puta tertia, vigeſima &c. fieri, quia non ſemper talis dies menſis eſt Dominica, ut notavit Suar. nu. 13. & indicat S. Iſidorus hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 31. *fine*. Et videri poſſunt dicta tract. 1. 25. Decembr. art. 1. ſect. 1., qu. 3. Aliam rationem hujus rei reddit Auguſtinus in laudata ep. 55. alias 119. cap. 1. ſcilicet, quia in feſto Nativitatis, & ſimilibus non repræſentatur aliquod Sacramentum, id eſt ſacra aliqua ſignificatio, ſed fit tantum annua commemoratio talis myſterii: In feſto autem Paſchatis non ſolum fit commemoratio myſterii ſecundum ſe, ſed etiam repræſentatur peculiare Sacramentum, mortis, & ſepul-

ſepulturę Chriſti, nec non reſurrectionis ejus pro ut talibus diebus factæ ſunt. *Quæris*, (ait Augustinus l. cit.) *quæ cauſa ſit, cur anniverſarius dies celebrandæ Dominicæ Paſſionis, non ad eumdem redeat anni diem; ſicut dies, qua traditur natus?* Et poſt pauca reponit: *Hic primum oportet, ut noveris: diem Natalis Domini non in Sacramento celebrari, ſed tantum in memoriam revocari, quod natus ſit: Ac per hoc nihil opus erat, niſi revolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta devotione ſignificari. Sacramentum eſt autem in aliqua celebratione, cum rei geſtæ ita rememoratio fit, ut aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſancte accipiendum eſt. Eo itaque modo agimus Paſcha, ut non ſolum in memoriam, quod geſtum eſt, revocemus, id eſt, quod mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit: ſed etiam cætera, quæ circa ea atteſtantur, ad Sacramenti ſignificationem non omittamus. Quia enim, ſicut dicit Apoſtolus: mortuus eſt* (traditus eſt. (Ad Rom. 4. 25.) propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. *Tranſitus quidam de morte ad vitam in illa Paſſione Domini, & Reſurrectione ſacratus eſt*. Hæc Auguſtinus. Videri rurſus poſſunt dicta 25. Decembr. l. cit.

5 Qu. VI. In qua Dominica Paſcha ſit celebrandum?

℞. In Dominica prima poſt Lunam quartam decimam, quæ Luna fiat die vigeſima prima Martii, vel primo poſt prædictam diem in ſequentibus diebus Martii, vel Aprilis; ut declaravit S. Victor Papa I. ſecundo labente ſæculo, & confirmatum fuit in pluribus ſubſequentibus Conciliis. Vid. Merat. *to. 1. par. 4. tit. 11. de die Paſchæ n. 3. & to. 2. ſect. 2. c. 3. n. 1.* Ita ut ſi Luna quartadecima fiat die 21. Martii, quæ ſit Sabbatum, tunc ſequenti die 22. erit Paſcha Reſurrectionis, ut accidit ann. 1761. Si vero Luna quarta decima fiat die 21. Martii, quæ ſit feria 2. tunc Paſcha celebrabitur die 27. Martii, quia tunc primo occurrit Dominica poſt Lunam quartam decimam, quæ primo fit die 21. Martii. Similiter ſi Luna quarta decima fiat die 21. Martii, quæ ſit Dominica, Paſcha erit in ſubſequenti Dominica celebrandum. Item ſi primo poſt diem 21. Martii Luna quartadecima fiat die 3. Aprilis, quæ ſit Sabbatum, tunc quarta die April. erit Paſcha. Si autem primo poſt diem 21. Martii Luna quartadecima fiat die 18. Aprilis, quæ ſit Dominica, tunc Paſcha celebrabitur die vigeſima quinta Aprilis, quia tunc primo occurrit Dominica poſt Lunam quartam decimam, quæ primo accidit poſt diem 21. Martii.

Nota hic; quod cum Luna quarta decima, quæ primo fiat poſt diem 21. Martii non occurrat ſerius die decima Octava Aprilis: hinc ſequitur, Paſcha non poſſe ſerius celebrari, quam die 25. Aprilis, qui caſus nec eſt quotieſcumque Luna quartadecima fiat die 18. April. ſed adhuc requiritur, quod eadem dies 18. ſit Dominica. Ex prædictis etiam habes, Paſcha non poſſe maturius celebrari, quam die 22. Martii; qui caſus ſolum datur, quando Luna quartadecima fiat die 21. Martii, in qua occurrat Sabbatum; denique habes cur aliquando Paſcha celebretur in Martio, aliquando in Aprili?

Inter. hic 1. Quare Eccleſia in celebratione Paſchæ obſervet regulas prædictas? 8

℞. Primo, quia vult Paſcha cele-

brare primo menſe anni Lunaris in Martio, vel Aprili: porro primus menſis anni Lunaris eſt inter Martium poſt noſtrum æquinoctium vernum, & Aprilem. Quod æquinoctium ponitur fieri die vigeſima prima Martii, (confer dicta tract. 1. in prœmio n. 2.) moraliter loquendo, & juxta Eccleſiam, quæ in hac re non procedit ſecundum exactam Aſtronomiam, cum id nec expediat, nec ſit neceſſarium ad convenientem Myſteriorum Chriſti celebrationem, quæ in hac, & ſimilibus feſtivitatibus, & obſervationibus intenditur. Vide Suar. *de Relig. to.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *c.* 6. *nu.* 27. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 2. *l.* 1. *c.* 4. *qu.* 5. *& c.* 5. *qu.* 2. *& a* 4. *ad* 6. Benedict. XIV. *de feſt. Dom. c.* 9. §. 1. Merat. *to.* 2. *ſect.* 2. *c.* 4. *nu.* 2. §. *Item cum Paſcha*. Primus autem menſis hic appellatur ille idem, quem deſignavit Deus Hebræis ad ſuum ipſorum Paſcha celebrandum, dum exirent de terra Ægypti. Exodi 12. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium: primus erit in menſibus annis*: ſcilicet Lunaris. Vid. Suar. num. 16. (alias per errorrem num. 15.) Ille autem menſis fuit inter Martium, & Aprilem: nam Exodi 14. 4. vocatur menſis novorum frugum: quo clare oſtenditur, inquit Suar. n. 15. (alias per errorem num. 14.) fuiſſe principium Veris, quod inter Martium, & Aprilem cadit. Et vero Hebræos ex divina inſtitutione accepiſſe, quod primus eorum menſis, in ordine ad celebrandum Paſcha, is cenſeretur, cujus Luna decima quarta caderet in ipſum æquinoctium vernum, vel proxime poſt illud; habet traditio Hebræorum, & eſt ipſius Eccleſiæ, nec non graviſſimorum Auctorum opinio, quos citat, & ſequitur Suar. cit. n. 15. Raynaud. *to.* 9. *tract. de Juda prodit. n.* 6. Azor. *loc. cit. c.* 3. *qu.* 4. Sicut ergo Hebræi obſervabant illum menſem ad ſuum Paſcha celebrandum; ita etiam voluit Eccleſia eumdem ad verum Paſcha obſervari. Diverſo tamen ſpiritu; nam Judæi in recognitionem temporalis beneficii, quod in Ægypto receperunt, illum menſem obſervabant, ut qu. 1. explicatum fuit. Eccleſia vero in repræſentationem mortis, & Reſurrectionis Chriſti, qui quidem in prædicto primo menſe anni Lunaris mortuus eſt, & reſurrexit. Vide Azor. loc. cit. c. 6. qu. 2. Suar. num. 18. & 20. Hoc etiam modo inſinuatur Paſchæ veritatem per Chriſtum eſſe adimpletam, & figuratum reſpondere figuræ; de qua re dictum eſt qu. 1. Dicit etiam Auguſtinus ſupra cit. epiſt. 55. alias 119. ad Januar. c. 3. in celebratione Paſchæ nos obſervare menſem novarum frugum, quia innovationem noſtram, ſcilicet ſpiritualem recognoſcimus. *Propter hanc ergo vitæ novitatem*, (ait, quam in præcedentibus explicaverat:) *primus menſis in anni menſibus celebrationi huic* (Paſchæ) *attributus eſt. Nam & ipſe dicitur menſis novorum*. Ita Auguſtinus. Idem ſignificat S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Offic. lib.* 1. *cap.* 31. Obſervatur itaque ad celebrandum Paſcha primus menſis anni Lunaris, qui aliquando cadit in Martio, aliquando in Aprili; primus menſis Lunaris cadit in Martio, quando dies decima quarta menſis Lunaris, vel alia dies præcedens puta 13. vel 12. occurrit die vigeſima prima menſis Solaris Martii, quo die ponitur Eccleſiaſticum Æquinoctium vernum, ut ſupradictum eſt; &

tunc

tunc Paſcha celebrari poteſt in Martio; Eſt enim primus menſis Lunaris in dicto caſu. E contra non eſt in Martio primus menſis Lunaris, & conſequenter non poteſt in eo celebrari Paſcha, ſed celebrandum in Aprili, quia in Aprili cadit primus menſis Lunaris, quando dies decima quarta menſis Lunaris occurrit ante Eccleſiaſticum Æquinoctium vernum, ſeu ante diem 21. Martii; tunc enim menſis ille ultimus eſt, & ideo Paſcha in eo celebrari non poteſt. Vide Suar. n. 15. & 16. Azor. c. 4. a qu. 4. Tancredi *de Relig. tract.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 72. *qu.* 2. *n.* 15.

Secundo Eccleſia ſervat ſupradictas Regulas in celebratione Paſchæ, quia non vult illud celebrare ante noſtrum Æquinoctium vernum. Hoc autem non vult, tum quia Chriſtus non eſt mortuus, nec reſurrexit ante noſtrum Æquinoctium vernum; Suar. n. 18. & 20. Tancredi n. 16. Azor. c. 3. qu. 4. & cap. 6. qu. 2. Mortuus enim eſſe, putatur, die vigeſima quinta Martii. Vid. Benedict. XIV. *de feſt. Dom. cap.* 7. §. 6. verſus fin. atque adeo reſurrexit die 27. menſis prædicti. Tum quia, ob explicatas rationes, vult Paſcha celebrare in primo menſe anni Lunaris, hic autem non fit ante noſtrum Æquinoctium vernum, ut patet ex prædictis. Quare autem dicamus: Æquinoctium vernum *noſtrum*. Vide infra dicenda n. 14. Tertio quia non vult, Paſcha celebrare in ipſo æquinoctio, die videlicet 21. Martii; tum quia Chriſtus mortuus eſt poſt Æquinoctium. Suar. Azor. ll. cit. Tancr. n. 17. nimirum die 25. Martii ſecundum opinionem prædictam; Tum ne umquam celebret Paſcha eodem die, quo Judæi; ne videatur Judaizare: quæ ratio traditur a Patribus. Vide Suar. n. 12. (alias per errorem nu. 11.) Profecto Judæi Paſcha ſuum celebrant in decima quarta Luna primi menſis Lunaris, quæ licet numquam ſit ante æquinoctium, aliquando tamen accidit in Æquinoctio, ſcilicet 21. Martii, ut conſtat ex dictis. Ob quam alteram rationem quoque fit, ut numquam Eccleſia celebret Paſcha in Luna quarta decima, etiamſi occurrat poſt æquinoctium; & ſit Dominica; ſed eo caſu adhuc expectet Dominicam ſequentem: unde, ut dictum eſt, aliquando accidit celebrari Paſcha die 25. Aprilis.

9 Sed dices 1. Sicuti ſæpe feſtum agimus in die Sabbati ſine ritu Judaico, quia alio titulo, & modo id obſervamus, ut notavimus tr. 1. l. 2. par. 2. c. 7. de Sabb. art. 1. qu. 3. n. 19. ita ſimiliter poſſemus ſine timore judaizandi celebrare Paſcha in Dominica incidente in Lunam decimam quartam primi menſis, etiamſi tunc Judæi celebrent Paſcha ſuum, quia nos noſtrum alio ritu, diverſoque titulo celebramus.

℞. Licet in rigore non eſſet judaizare; nihilominus ob celebritatem magnam Paſchæ, & propter Judæorum inſolentiam, ac cæcitatem noluit Eccleſia cum eis unquam concurrere in hujus feſti ſolemnitate. Ita Suar. n. 12. (alias per errorem 11.)

10 Dices 2. Si contingat, decimam quartam Lunam eſſe diem Sabbati, & eamdem eſſe æquinoctii diem; nihilominus tunc Eccleſia celebrat ſuum Paſcha Luna decima quinta proxime ſequenti. At tunc dies ille eſt ſolemniſſimus dies feſtus Judæorum; Eſt enim primus Azimorum, qui erat etiam feſtum Paſchæ, juxta Joannem c. 13. Ergo ſi hoc non eſt Ju-

daizare, neque etiam fuiſſet, quod in ipſa decima quarta Luna interdum caderet noſtrum feſtum Paſchæ.

℞. Beda apud Suar. num. 22. reſpondet, verum eſſe, in eo caſu, in quo Dominica dies incidit in decimam quintam Lunam, nihil obſervantiam Eccleſiaſticam a legali diſſonare quoad tempus: diſcrepare vero multum in Sacramentis, quibus Paſchalem colimus, & ideo nullum eſſe inconveniens.

Sed hujuſmodi reſponſionem, inquit Suar., non omnino evacuare difficultatem; & ideo addit, ſemper eſſe in hoc diverſitatem, quod Eccleſia numquam celebrat ut feſtivam veſperam illam decimæ quartæ Lunæ, quatenus pars illius diei eſt; illa autem Veſpera erat proprium Paſcha Judæorum, & ita non obſervando illud, ſatis oſtendit Eccleſia, non curare de cæremoniis legalibus, nec illas ſervare, ſed ſua propria Sacramenta. Ita Suar. quem ſequitur Tancr. n. 20. qui etiam citat Laym. & Bellarminum.

11 Dices 3. Eccleſia convenit cum Judæis in eo, quod non celebret Paſcha ante Lunam quartam decimam, idque ſine inconvenienti, ſeu abſque timore Judaizandi, quia non propter eorum legem, ſed propter ſuas rationes morales, aut myſticas id facit. Ergo eodem modo poſſet cum illis concordare Luna quarta decima, ac ſubinde in æquinoctio.

℞. Cum Suar. num. 20. non eſſe eamdem rationem, quia in primo habet reſpectum ad ipſam Chriſti Reſurrectionem, in hoc vero ſecundo non poteſt habere hunc reſpectum, quia Chriſtus Dominus non eſt mortuus, nec reſurrexit in decima quarta Luna, ſed poſt illam; mortuus eſt enim in decima quinta Luna, & reſurrexit in decima ſeptima, & ideo non eſt, cur Eccleſia celebret ſuum Paſcha in ipſa decima quarta, ideoque id non obſervat, ne videatur Judæis conſentire, vel id facere ex obſervantia legis veteris. Unde convenientia in ſola illa negatione non celebrandi Paſcha ante æquinoctium, non poteſt habere veſtigium cæremoniæ Judaicæ; obſervare autem poſitive (ut ſic dicam,) definitum diem decimæ quartæ Lunæ, multo majorem habet convenientiam, ſeu concurrentiam, quam Eccleſia omnino voluit vitare. Hactenus expoſuimus rationes, ex quibus Eccleſia ſervat regulas ſuperius explicatas quoad Paſchæ celebrationem, quæ rationes quæſitæ fuerant in propoſita Interrogatione prima.

Inter. 2. Ex cujus ſtatuto prædictæ ſint regulæ ſervandæ; & an ſub gravi præcepto? 12

℞. Prædicta legum conſtitutio innititur eadem auctoritate, & traditione Eccleſiæ, Pontificum, Conciliorum, & Patrum, qua inniti diximus legem de celebrando Paſchate ſemper in Dominica: & ſub eadem eſt prorſus obligatione gravi ſervanda. Vide Suar. num. 15. (alias per errorem n. 14.) & n. 20. Azor. locis cit. Ex qua aſſertione inferes eadem, quæ deduximus ex conſtitutione ſervandi Paſcha ſemper in Dominica. Recole dicta qu. 5. n. 5.

Inter. 3. An prædictæ conſtitutiones, & leges, celebrandi Paſcha, obligent omnes fideles, in quibuſcumque orbis partibus degentes? 13

℞. Affirmative. C. *De obſervatione Paſchæ*. 26. *diſt*. 3. *de conſecr*. Paſchæ itaque feſtum celebrandum eſt ſimul a Chriſtianis totius orbis uno eodem-

que

que die, quo illud Romana Eccleſia celebrat: Ita enim Pontifices Romani Pius, Victor, & ſequentes ſtatuerunt, qui jus habent ſtatuendi pro univerſo orbe. Ita etiam Concilium Nicænum I. decrevit. Vide Suar. num. 28.

14 Sed dices: Impoſſibile eſſe, omnes Orbis partes celebrare Paſcha ſimul poſt æquinoctium vernum uno, & eodem die hebdomadæ, ac menſis? Res eſt clara, quia æquinoctium vernum non eſt in univerſo orbe eodem die; ſed aliis citius, aliis tardius accidit, juxta diverſitatem Regionum; & tanta eſt inter aliquas Regiones oppoſitio, ut quod uni eſt æquinoctium vernum, alteri ſit autumnale.

℞. Quando dicitur, Paſcha univerſaliter celebrandum poſt æquinoctium vernum in Dominica &c. intelligitur æquinoctium ab Eccleſia deſignatum. Unde conſulto ſuperius diximus: Paſcha celebrandum poſt vernum æquinoctium *noſtrum*. Eccleſia autem deſignavit univerſaliter attendi æquinoctium, quod accidit in Regione Judeæ; tum quia ibi Chriſtus eſt mortuus prope æquinoctium vernale: videlicet die 25. Martii juxta opinionem ſuperius ſignificatam: tum etiam quia in Eccleſia Romana, quæ eſt Sedes, & Mater cæterarum Eccleſiarum, idem eſt Æquinoctium. Quod ſi quæ difficultates in aliis Regionibus occurrant, per providentiam Summi Pontificis ſubveniendum eſt, ut & ſciant, & commode valeant, tum feſtum ipſum, tum cætera quæ antecedunt, & ſubſequuntur, opportune agere. Vid. Suar. n. 818.

15 Licet autem hæc ita ſe habeant, nihilominus nota hic; apud eos, qui, Eccleſia permittente, utuntur veteri Kalendario, Paſcha aliquando celebrari pluribus diebus ſerius, quam in Eccleſia univerſali. Vide dicta hic tr. 2. l. 4. c. 1. art. 6. n. 59.

ARTICULUS II.

De Horis Canonicis.

16 DOM. Paſchæ Reſurrectionis dupl. 1. cl. major, & numquam omittitur, quocumque feſto in ea occurrente. *Rubr. gen. Brev. tit. 1. num. 1. tit. 7. n. 3. tit. 9. n. 3. & in duab. tab. excerpt. ex Rubr. gen.* Cum Octava. *Rubr. gener. Brev. tit. 7. n. 1.* Offic. ut in propr. Si occurrat feſtum ſimplex, nulla fit de eo commemor. Sed eo anno plane omittitur. *Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 4. & 5.* In Choro ad Lectionem Martyrologii ante Calendas legitur: *Hac die &c.* omnibus ſtantibus detecto capite; deinde pronunciatur Luna &c. ut in eodem Martyrologio ſub die ſequenti poſt Dom. Reſur.

Non dicitur ad Primam Symbolum S. Athanaſii *Quicumque*. Rubr. gen. Brev. tit. 33. n. 2. Quod ideo non recitari, quia in futura vita, quam hæc Reſurrectionis Dominica cum ſua hebdomada deſignat, totum jure habetur, quod nunc creditur, & ſperatur: interpretatur Honorius *in Gem. lib. 3. c. 128.* Cur autem non dicantur hymni, & capitula, atque Antiphonæ ad Horas minores? Cur unicum etiam nocturnum recitetur cum tribus Lectionibus, & Pſalmis tantummodo tribus, cum tribus Antiphonis; adeoque cur Officium Paſchale ſit adeo breve? Quoniam hæc Octavæ Paſchæ communia ſunt, explicavimus hoc lib. 5. par. 2. in ejus

1. par.

1. par. ubi de not. in genere infra Octav. Paſchæ c. 1. n. 2. Hic ſolum reſtat tamquam hujus diei proprium explicare : cur hodie in Reſponſorio Lectionis primæ poſt ℣. dicatur *Gloria Patri*, & repetatur integrum Reſponſorium ? Hæc enim duo Myſterium aliquod ſignificare videntur utique , quemadmodum affirmavimus in ſimili pro Officio Nativitatis Domini . Verum & hic non occurrunt nobis rationes ſpeciales pro diſpoſitione hodierna , ſed fere aptanda , & accommodanda ſunt præſenti myſterio Reſurrectionis, quæ, de Nativitate Domini loquentes , diximus 25. Decembr. art. 1. ſect. 3. nu. 14. Aſſerimus igitur : *Gloria Patri* ; recitari ad dandam gloriam Deo , eo quod Jeſum Chriſtum Crucifixum hodie reſuſcitaverit : *Quem Deus ſuſcitavit* . Act. 2. 24. *Hunc Deus ſuſcitavit tertia die* . Act. 10. 40. Et nos ubi de Sabbato Sancto nu. 319. fine notavimus. ex Gavanto , ideo Cereum magnum accendi inclinando verſus illum tres Candelas arundinis , ad ſignificandum , Chriſti Reſurrectionem eſſe totius Trinitatis effectum ; & rurſus ubi de infra Oct. Paſchæ cit. nu. 2. diximus ex Durando : in die Paſchæ, & infra Octavam ideo unicum recitari nocturnum ſub tribus Lectionibus , & tribus tantummodo Pſalmis cum tribus Antiphonis , ad ſignificandum, quod virtute Trinitatis , in qua eſt perfectio , facta ſit Reſurrectio . Ideo igitur hic gratias agimus , & damus Gloriam Trinitati .

Poſt *Gloria Patri* ; Integrum Reſponſorium repeti , ait cum Durando Gavantus in Rubr. Brev. ſect. 5. c. 13. num. 5. ad denotandam plenam notitiam , & perfectionem Sanctorum . Nos autem fieri , judicamus primo , ad explicandum , quare hodie ſpecialiter demus gloriam Deo ? videlicet tum propter Reſurrectionem Chriſti , ut dictum eſt , tum quia dignatus ſit , illam nobis nunciare per Angelos ; *qui dicunt* , *eum vivere* . Luc. 24. 23. & in præfato Reſponſorio habetur : *Angelus Domini .... dixit ... Crucifixum quæritis ? Jam ſurrexit* . Secundo ad ſignificandam ingentem admirationem , qua ſumus affecti, & exultationem ſimul & gaudium , quo repleti ſumus propter Reſurrectionem Domini , mirantes præ gaudio : ut de Apoſtolis dicitur Luc. 24.41. Maximi quidem gaudii, & exultationis , vel admirationis ingentis eſt indicium , eadem revolvere ſæpius mente , ſæpiuſque ore repetere, quæ ſint concepti gaudii cauſa , & exultationis occaſio , vel admirationis objectum . Tertio denique dici poteſt : præfatum Reſponſorium repeti , ut commoneamur, Reſurrectionis Chriſti Myſterium menti noſtræ altius eſſe figendum ; & jugi memoria recolendum , juxta monitum Apoſtoli 2. ad Timoth. 2. 8. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis* .

Veſperæ de eodem feſto; Vide dicta ubi de not. in genere infra Oct. Paſchæ l. ſupra cit.

ARTICULUS III.

De Miſſa .

MISSA ut in propr. dupl. 1. cl. Si occurrat feſtum ſimplex nulla fit de eo commemoratio; poteſt autem fieri Collecta pro Conſecratione Epiſcopi , ſi dies Anniverſaria in Dominica Paſchæ occurrat : ſed ſub unica 17

ca

-ca concluſione, uti dicetur articul. 5. num. 28. Dicitur Sequentia; *Credo*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 11. Præfatio, *Communicantes;* & *Hanc igitur* propr. uſque ad Sabbatum ſequens incluſive; in Præfatione ℣. *in hac potiſſimum die*. In fine Miſſæ dicitur: *Ite Miſſa eſt, Alleluja, Alleluja;* & reſpondetur: *Deo gratias Alleluja, Alleluja;* uſque ad Sabbatum ſequens incluſive. Vide etiam dicta 1. par. hujus 2. par. c. 2.

Param. color alb. ex Rubr. gener. Miſſ. tit. 18. n. 2. Rationes aſſignavimus in Sabb. Sancto ſubſ. 4. §. 2. num. 354. Si in Paſchate celebraret quis in paramentis nigris, eum mortaliter peccaturum, docet Tamburinus, & innuit Gobat, ut diximus tract. 1. 2. Novemb. art. 1. ſect. 4. ſubſ. 3. qu. 5. nu. 80. Rurſus Franciſcus De-Lugo *de Sacram. lib.* 5. *de Miſſa c.* 9. *qu.* 4. *nu.* 33. docet: Si Miſſa defunctorum, vel de Paſſione legeretur publice in die Paſchatis, vel ſimili, fore mortale; quia eſſet mutatio ritus graviter culpabilis propter ſcandalum, quod quidem regulariter ſequeretur; Vide dicta in Domin. Palmarum ſubſ. 3. §. 4. qu. 4. Idem de Miſſa Defunctorum affirmat Tamburinus *Meth. celebr. Miſſ. l.* 2. *c.* 6. §. 1. *nu.* 7. propter injuriam, quæ videretur irrogari tantæ ſolemnitati. Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto; Excipitur tamen Dominica Reſurrectionis cum duobus ſequentibus diebus. Rubr. gen. Miſſ. tit. 6. Sunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

In Dominica ipſa Paſchæ non licere celebrare in Oratoriis privatis, notavimus tract. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. Vide ibi dicta.

Hac die fit Statio apud Sanctam 18
Mariam Majorem, quia ex Durand. *in Rat. l. cit. init.*, cum Beatus Gregorius hac die ibi celebraret, & *Pax Domini* pronunciaret, Angelus Domini alta voce reſpondit: *& cum Spiritu tuo*. Et propter hoc, cum Papa ibi hac die celebrans dicit: *Pax Domini;* in teſtimonium hujus miraculi, nil ſibi reſpondetur; Ita Dur. Rationem vero, cur hac die Statio fiat ad S. Mariam Majorem hanc reddit idem Durand. lib. 4. c. 6. verſus finem: Romanam Eccleſiam videri ſentire: Chriſtum Dominum prima Reſurrectionis ſuæ die Beatiſſimæ Genitrici ſuæ apparuiſſe, ante quam aliis ſuis Diſcipulis, ac Sanctis Mulieribus apparuerit. Id ipſum tenet Rupertus Ab. *de Divin. Offic. lib.* 7. *cap.* 25. Profecto *Traditio per manus majorum, ac per ſequentia ſæcula ad poſteros dilapſa teſtatur, eumdem Dominum noſtrum apparuiſſe primum omnium Sanctiſſimæ Genitrici Mariæ: quod nemo pius, puto, negabit*. Verba ſunt, ac teſtimonium Cardinalis Baronii ad an. Chr. 34. n. 183. Et confirmatur alio teſtimonio Patris a Lapide, qui in Matth. c. 28. v. 10. ſcribit, quod Chriſtus Dominus poſtquam reſurrexit, *primo apparuit Matri ſuæ Virgini Deiparæ, ut docet S. Ambroſ.* lib. de Virg. poſt principium, S. Anſelm. lib. 6. de excellentia Virginis: (*ſed hujus operis Auctor eſt Eadmerus S. Anſelmi Epiſcopi Cantuar. Diſcipulus, & Comes; confer dicta tr.* 1. 15. *Auguſt. n.* 6.) Rupert. lib. 7. Divin. Offic. cap. 25. S. Bonavent. in Vita Chriſti c. 87. *Eſtque hic communis Doctorum, & fi-*

delium

delium ſenſus, quem evincit tum Virginis præcedens dolor de Paſſione, & morte ſui Unigeniti; Item merita, & dignitas tantæ Matris; tum amor, & pietas tanti filii erga talem Matrem. Hæc laudatus Interpres. Et de hac re videri etiam poteſt Benedictus XIV. *de feſt. Dom. c.* 8. §. 4.

19 In Miſſa leguntur quidam verſus, qui Sequentia nuncupantur, ut ſupra ſignificavimus. Cur autem ita vocentur? Explicat Gavantus *in Rubr. Miſ. par.* 1. *tit.* 5. *fine*. Meratus *tom.* 1. *in Gavant. par.* 1. *tit.* 10. *nu.* 3. videtique poteſt iterum Gavant. eod. tit. 10. n. 3. litt. r. Ubi quærit de Sequentiarum Auctoribus, de quibus item videri poſſunt Benedictus XIV. *de Sacrific. Miſſ. ſect.* 1. *cap.* 8. §. 3. Caval. *to.* 3. *c.* 10. *a n.* 4., & alii, quorum loca indicat Meratus l. cit. Notat etiam Gavantus, pulchre jungi Sequentias cum vocibus Alleluja in ſolemnioribus feſtis, puta in Paſchate, & Pentecoſte: Ad explicandam nimirum Paradiſi lætitiam ineffabilem.

20 Qu. hic I. An, & quale peccatum ſit, ſi a Celebrante in Miſſa omittatur Sequentia: item Præfatio: *Communicantes*, & *Hanc igitur*: propria: quando occurrunt in Miſſa, & dicantur Ordinaria, ſeu communia?

℞. Quo ad omiſſionem Sequentiæ lethale non committi, ſaltem ſi Miſſæ ſint privatæ, & ſcandalum abſit, exiſtimat Quintanadvennas *to.* 1. *ſingular. tr.* 7. *de celebr. Miſſ. ſingul.* 39. *nu.* 2. & probat primo ex Granado *contr.* 6. *de Euchar. tr.* 14. *n.* 3. ſtatuente: quando pars, quæ omittitur, non eſſet neceſſaria ad ordinariam Miſſæ integritatem, quia ſolet non dici, ut Symbolum, vel *Gloria*, vel tres Orationes; facilius poſſe a culpa mortali excuſari ejus omiſſionem. Ergo cum Sequentiæ dici non ſoleant in ordinariis Miſſis, immo admodum raro in totius anni decurſu legantur, & ſine illis integra Miſſa habeatur; harum omiſſio venialis ſolum culpa erit, ſine cauſa; & cum hac ne venialis quidem.

Præterea, quia Sequentiæ non ex præcepto, aut decreto, ſed ex Privilegio Nicolai Papæ introductæ fuerunt, ut refert Durandus *lib.* 4. *de Rit. cap.* 22. Ergo non erit lethalis earum omiſſio.

Nec obſtat, inquit n. 9. Eccleſiæ antiqua conſuetudo, de dicendis Sequentiis in Miſſa: quia quantumvis vetuſtiſſima, ſub mortali obligare non valet. Sic antiquiſſimus obtinuit mos, ut ab introitu Miſſa audiretur, & tamen qui ab Evangelio audiret, non peccaret graviter diebus feſtis, ſicut nec Sacerdos qui *Gloriam*, aut *Credo* omitteret. Ergo ſimiliter &c. Ita argumentatur Quintanadvennas.

Veniale etiam eſſe docet ex Gob. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 60. §. 5. *n.* 420. Bordonus quoque apud Dianam to. 2. edit. coord. tr. 1. *R.* 188. §. 2. docet: Sacerdotem in Miſſa Defunctorum, quando dicenda eſt Sequentia *Dies iræ*, ſi illam voluntarie omittat, non peccare mortaliter, quia non eſt pars ſubſtantialis Miſſæ, ſed tantum integralis. Quæ ratio militat etiam pro omnibus Sequentiis in aliis Miſſis; adeoque juxta Bordonum quæcumque Sequentia omittatur; non erit mortale. Hanc Bordoni ſententiam adnotaverat idem Diana eodem cit. tr. 1. Reſol. 72. ubi tamen dixerat: ſe illi non aſſentiri: tum quia illa omiſſio eſt quantitas notabilis; tum etiam quia verſatur circa materiam gravem ab Eccleſia

clesia ſpecialiter pro illis diebus aſſignatam.

Verum hujuſmodi Dianæ Rationes ſententiæ prædictæ auctoritatem nequaquam infirmant. Et quidem non valet prima ratio deducta ex quantitate notabili, quæ omitteretur; 1. quia iſta ratio ſi valeret, ad ſummum valeret pro longa Sequentia, puta pro *Dies iræ*: pro *Lauda Sion.*; non valeret autem pro Sequentia breviori; puta *Victimæ Paſchali*. Sed nec 2. valet pro Sequentia etiam longiori; longior enim Sequentia non videtur major in quantitate, quam ſint, *Gloria in excelſis* ſimul & *Credo*. Et tamen, qui hæc ſimul omitteret, in ſententia ipſius Dianæ eodem tr. 1. Reſol. 191. §. 1. non peccaret mortaliter. Ergo etiamſi foret reſpectus habendus quantitatis, ſeu longitudinis cujuslibet partis in omiſſione Miſſæ, adhuc tamen Sequentia, etiam ex longioribus, non contineret quantitatem notabilem, adeoque nec grave eſſet, illam omittere; ſicuti grave non eſt, omittere illam quantitatem Miſſæ, quæ invenitur in *Gloria in excelſis* ſimul, & *Credo*, in ſententia ipſius Dianæ.

Sed quid? Quod in omiſſione partium Miſſæ gravitas materiæ non deſumitur ex quantitate, & longitudine partis, ſive multitudine, vel paucitate verborum, ſed maxime ex dignitate: quæ putatur conſiſtere in hoc, ut ſit pars Ordinaria, nec tantum Ordinaria, ſed etiam principalis, & neceſſaria ad eſſentiam Sacrificii, & conſtitutionem conſuetæ formæ Miſſæ. Quod etiam docet ipſemet Diana *eadem Reſol. cit.* 191. ubi affert auctoritatem Dicaſtilli, & utitur quidem ad ſolvendum ſimile argumentum, & reſpondendum ad ſimilem objectionem. Ad quæſitum enim: An, qui ſecluſo ſcandalo, & contemptu, in Miſſa relinqueret Epiſtolam, vel Evangelium, peccaret mortaliter? Ita reſpondet Diana: *Videtur prima facie negative reſpondendum, quia ſi quis in Miſſa relinqueret* Credo, *&* Gloria; *non peccaret mortaliter, ut me citato docet noviſſime Leandrus de Sacr. tom.* 2. *tract.* 8. d. 7. *qu.* 58. *& me citato Martinus de S. Joſeph. ubi ſupra; tamen aliquando longius eſt* Credo *&* Gloria *quam Epiſtola, & Evangelium: Ergo &c. Sed hoc argumentum nihil officit, & opinioni affirmativæ adhærendum eſſe, puto, cum Martino de Sanct. Joſeph. in monit. Confeſſ. to.* 1. *lib.* 1. *tr.* 13. *de Euchariſt. nu.* 12. *Dicaſtillo de Sacram. to.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 13. *n.* 256. *ubi ſic ait: Unde ſi omittatur aliquid ejuſmodi ex urgenti aliqua neceſſitate, (quæ vix poteſt contingere:) ſine irreverentia, nullum erit peccatum. Neque in hoc vim habet, ut probetur, omittere Evangelium, aut Epiſtolam, non eſſe mortale peccatum; parvitas materiæ ſecundum ſe conſiderata, & quod ſæpe Evangelium pauciora verba habeat, quam* Gloria, *&* Credo: *Nam parvitas, vel gravitas materiæ in hac re non ſumitur ad eum modum, quo ſecundum probabiliorem opinionem, ſumitur in Orationibus, etiam in Horis Canonicis; nimirum penſata quantitate verborum Orationis; ſed conſideratur ſecundum quod Miſſa eſt quoddam ens artificiale morale, conſtans certis quibuſdam partibus, ex quibus certa ordinis diſpoſitione confluentibus ens illud artificiale reſultet. In quodam autem compoſito artificiali aliquæ partes eſſe poſſunt magis principales, & neceſſariæ ad illius conſtitutionem, quam aliæ. Unde illorum defe-*

ctus, etiamſi ipſæ in quantitate ſint minores, quam aliæ, magis deformant, aut deturpant ens illud artificiale, quam defectus aliarum partium etiam majorum. Sicut enim in ſtatua v. gr. alicujus Sancti, etiamſi ex veſte ipſa defluente, vel ex aliquo inſigni, puta ex enſe, quem habet in manu, quandoque major pars abſcindatur, quam ſit pars naſi, barbæ, oris, aut oculorum, non ita illarum partium defectus deturpat, atque harum. Nam deficiente enſe, aut illo ſinu, vel parte veſtis, ſine qua ab initio potuit eſſe talis imago, non tantus eſt defectus, atque defectus naſi, & aliorum etiam minorum in quantitate. Sic etiam in Miſſa defectus hymni Angelici, & Symboli Nicæni, ſine quibus ens illud artificiale, quod dicitur Miſſa, poteſt conſiſtere, non tanti momenti cenſetur, etiamſi major ſit illorum verborum quantitas, quam Epiſtolæ, aut Evangelii: quia his deturpatur, & deformatur conſuetum illud ens artificiale, quod eſt Miſſa; Cum tamen ſine Symbolo aut Gloria *ſæpe conſueta forma conſiſtat.* Hæc ex Dicaſtillo recitat, & laudat ipſemet Diana. Ergo ſicuti ex eo, quod Epiſtola, & Evangelium ſint aliquando breviora quam *Gloria*, & *Credo*, non ſequitur, venialiter tantum peccari, omittendo Epiſtolam, aut Evangelium, quia non conſideratur in hac materia ſola quantitas verborum, quam habent partes Miſſæ; ita nec ex eo, quod Sequentia contineat quantitatem notabilem verborum, ſequitur graviter peccari per illius omiſſionem; quia in hac materia non habetur ſolum reſpectus ad quantitatem verborum, quam habent partes Miſſæ; quaſi vero omittere partem Miſſæ breviorem, numquam ſit materia gravis, quia non continet magnam quantitatem verborum; & contra, omittere partem Miſſæ longiorem, ſemper ſit materia gravis ex eo, quod contineat magnam quantitatem verborum. Et hæc quantum ad rationem deductam ex quantitate notabili. Jam ad aliam rationem ejuſmodi Dianæ erutam ex materia gravi. Dicit enim: omittere Sequentiam, eſſe materiam gravem. Negatur. Nam ut jam cum Dicaſtillo, & ipſomet Diana vidimus, in hac re non eſt deſumenda materiæ gravitas ex quantitate verborum, quod nimirum longa, ſeu magna ſit; & deinde Doctoribus communiter, & ipſi quoque Dianæ omiſſio partis non ordinariæ, ſeu non regularis Miſſæ nequaquam videtur materia gravis. Sed hujuſmodi eſt Sequentia. Ergo.

Neque prædicta gravitas materiæ poteſt colligi ex eo, quod Sequentiæ ſpecialiter ſint deſignatæ huic, vel illi Miſſæ; ut ſentire videtur Diana, dum dicit: omiſſionem Sequentiarum eſſe gravem, quia verſatur circa materiam gravem ab Eccleſia ſpecialiter pro illis diebus aſſignatam. Nam etiam *Credo* videtur ſpecialiter deſignari huic, vel illi Miſſæ, nec tamen ejus omiſſio verſatur circa materiam gravem, ipſo fatente Diana; licet fateamur ſpecialiorem eſſe deſignationem Sequentiarum in Miſſa; ex qua tamen ſpecialiori deſignatione adhuc non ſatis apparet gravitas materiæ in Sequentiis. Immo ex hoc ipſo, quod aliquæ partes Miſſæ non ſint ordinariæ, colligunt communiter Doctores, ut diximus, & aſſentitur ipſe Diana, earumdem omiſſionem nequaquam eſſe materiam gravem.

Ad illam itaque quæſtionis propoſitæ

ſitæ partem, qua quærebatur: an, & quale peccatum ſit, ſi a Celebrante in Miſſa omittatur Sequentia, quando occurrit? Reſpondetur, peccari quidem, ſed venialiter tantum.

21 Jam accedamus ad idem examinandum de Præfatione, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propriis. De quibus ſimiliter in propoſita quæſtione quærebatur: an, & quale peccatum eſſet pro illis dicere ordinaria & communia?

℞. Itaque 2. Non dicere *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria, quando occurrunt, ſed dicere tunc ordinaria, ſeu communia, negat eſſe mortale Quintanadv. l. cit. n. 5. quia illud, quod additur in illis propriis, eſt extraordinarium, & veluti irregulare; ſed ex regula generali ſuperius data ex Granado, & ab Auctoribus communiter tradita, omittere partem non ordinariam in Miſſa, eſt tantum veniale. Ergo &c. Ita fere arguit Quintanadv. ſimiliter Filliuc. *tr.* 5. *de Sacrific. Miſſ. cap.* 5. *qu.* 7. *num.* 155. Rodriqu. *in ſum.* 1. *part. c.* 247. *concl.* 24. *n.* 25. Franc. De-Lugo *de Sacram. lib.* 5. *de Miſſ. c.* 9. *quæſt.* 2. *n.* 22. Tambur. *Meth. Celebr. Miſſ. l.* 2. *c.* 5. §. 2. *num.* 4. Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *de celebr. Miſſ. R.* 191. *n.* 3. *& R.* 186. *num.* 2. *&* La-Croix *lib.* 6. *de Sacr. Miſſ. qu.* 60. §. 5. *n.* 420. qui etiam mentionem facit de Præfatione propria; Et ſimiliter Rodriqu. loc. cit. & certe eodem modo diſcurrendum eſt de Præfatione propria, ac de *Communicantes*, & *Hanc igitur* propriis, eadem enim militat ratio; Immo magis pro Præfatione, cum ſit extra Canonem, de quo cum majori rigore agi ſolet, quam de aliis Miſſæ partibus. Hanc ſententiam quoque tenent Suar. Gob. Sporer, Dicaſtil. Leand. & alii apud laudatos Auctores, quidquid contradicat Averſa relatus a Fran. De-Lugo & a La-Cr. ll. cit.

Sed objicies: pro *Communicantes*, & *hanc igitur* propriis dicendo communia, ſeu ordinaria; eo ipſo omittuntur illa verba, quæ ſunt in propriis, unde diſtinguuntur ab ordinariis, quæ verba, licet ſint pars extraordinaria Miſſæ, attamen adhuc ſunt verba Canonis Miſſæ. Enim vero *Communicantes*, & *Hanc igitur* certe ſunt pars Canonis prædicti. Et licet in Canone etiam dari poſſe materiam levem, ſicut in aliis graviſſimis Religionis præceptis, voto, juramento, & ſimilibus, cum par ſit omnium ratio, doceant Suar. Filliuc. Cardinal. De-Lugo, Averſa, Cœleſtin. Francif. de Nigro, Diana, Ledeſma, quos citat, & ſequitur Franc. De-Lugo num. 21. quibus adde Rodriqu. & Tamb. ll. ſupra cit., & eſt ſententia communior inter Doctores; licet igitur etiam in omiſſione verborum Canonis detur parva quantitas, excuſans a mortali; adhuc tamen non videtur parva quantitas verborum, ſi in *Communicantes*, & *hanc igitur* propriis omittantur illa verba, unde diſtinguuntur ab ordinariis. Ergo nihil favet, quod eadem verba prædicta ſint pars extraordinaria Miſſæ, dum ſunt pars Canonis, & quantitas notabilis ejus. 22

℞. Omiſſio verborum, ſeu partium Miſſæ extraordinariarum a Doctoribus materia levis abſolute, & ſimpliciter reputatur; atque adeo ex eorumdem ſententia adhuc levis erit, etiamſi talis omiſſio in Canone fiat.

Inſtab. Si omittere *Communicantes*, 23

Digitized by Google

& *Hanc igitur* propria, & dicere communia, eſt tantum veniale, quia, quamvis ſint in Canone, ſunt tamen partes irregulares, ſeu extraordinariæ: Ergo ſimiliter veniale erit, omittere totam primam orationem ex tribus, quæ a Sacerdote, ſeu celebrante recitantur immediate, antequam ſumat hoſtiam, & communicet; Illa enim oratio cum non dicatur in Miſſis Defunctorum, adeoque non in omni Miſſa dicatur, videtur pars extraordinaria, & irregularis Miſſæ; quemadmodum Pſalmus *Judica;* qui a Paſqual. quem ſequitur La-Croix *l. 6. par. 2. qu. 60. §. 2. num.* 417. ideo reputatur pars extraordinaria, quia in Miſſis Defunctorum non dicitur, nec tempore Paſſionis, in Miſſis de tempore.

℞. Hæc inſtantia ſupponit, tres illas orationes, quas recitat Sacerdos immediate ante conſumptionem Sacrificii, ſeu Communionem, pertinere ad Canonem Miſſæ: quod etſi verum ſit in ſententia Suarez *in 3. par. tom. 3. diſp. 83. ſect. 2.* initio, & rurſus in fine, docentis Canonem Miſſæ incipere a *Te igitur*, & terminare uſque ad conſumptionem Sacrificii incluſive: In communiori tamen aliorum ſententia non eſt ita. Enim vero Innocentius III. apud Azor. *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 10. c. 35. qu. 9.* docet, Canonem terminari in Oratione Dominica incluſive; ſed & hanc ipſam partem a Canone excludit S. Gregorius apud Suar. l. cit. expreſſe ſignificans, Canonem claudi immediate ante Orationem Dominicam; pro qua ſententia alios laudat Azorius, eamque exiſtimat probabiliorem loc. cit. Idem docet Bellarminus, quem laudat, & ſequitur Benedict. XIV. *de Sacr. Miſſ. lib. 2. c. 19. n. 1.* & Caval. *to. 5. c. 22. initio*, qui etiam c. 16. initio obſervat, & ait: titulum, quo Rubricæ VIII. & IX. reperiuntur inſcriptæ, oſtendere, orationem Dominicalem eſſe extra Canonem; Prima enim intitulatur: *De Canone Miſſæ uſque ad Conſecrationem*. Altera: *De Canone poſt conſecrationem, uſque ad Orationem Dominicam*: Argumentum utique validum, inquit Cavalerius, quod uſque ad eamdem orationem Canon Miſſæ perduret, ſeu perſeveret, & non ultra; cum Rubrica, quæ continuo ſubſequitur, non amplius inſcribatur: *De Canone*. Sed *de Oratione Dominica, & aliis uſque ad factam Communionem*. Subditque laudatus Auctor: Inde Typographos perperam agere, deprehendi, dum in ordine Miſſæ, etiam poſt præfatam Orationem Dominicam: *Canon Miſſæ:* continuant adnotare, quaſi quod Miſſæ Canon uſque ad finem ipſius Miſſæ perduret. Igitur in ſententia multorum, & graviſſimorum Auctorum prædictæ tres Orationes, quæ recitantur a Celebrante immediate ante Communionem, non pertinent ad Canonem.

Verum quidquid ſit de hac quæſtione; reſpondeo ad inſtantiam, concedendo conſequentiam. Sive enim prima ex prædictis Orationibus pertineat ad Canonem, ſive non; Si conceditur, eſſe pars irregularis, & non ordinaria; concedendum ſimiliter, venialiter tantum peccari per illius omiſſionem; ſemper enim militat ratio in qualibet hujuſmodi parte Miſſæ.

Qu. II. Si quis oblitus ſit, dicere Sequentiam, quando dicenda eſt, aut Præfationem propriam, aut *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria, vel 21

vel quid ſimile extraordinarium, an deinde, ubi adverterit, ſe omiſiſſe, debeat hæc dicere, & ſupplere?

℟. Et dico 1. Finita jam Miſſa nihil horum debet Sacerdos ſupplere, etiam ad Altare, & multo minus ad ea ſupplenda, debet ad Altare redire, ſi ab hoc diſceſſerit finita Miſſa; & multo etiam minus debet ſupplere extra Altare, puta in Sacriſtia, quidquid nonnulli voluerint; quia prior actio jam cenſetur completa. Idque adeo verum eſt, ut etiam valeat in ſubſtantiali, ſive eſſentiali; puta, ſi Sacerdos poſtquam ab Altari diſceſſerit, adverteret, ſe unam ſpeciem non conſecraſſe valide. Ita cum aliis La-Croix *lib. 6. part. 2. qu. 77. §. 13. n.* 543. Tamb. *Meth. Celebr. Miſſ. l. 2. c. 5. §. 2. nu.* 23.

Dico 2. Intra ipſam Miſſam, abſolute negat, faciendam eſſe repetitionem prædictarum partium minime ſubſtantialium, Diana tom. 2. edit. coord. tr. 1. R. 191. §. 4. & 5. ubi hoc quærit; & ſolvit: *Sed quid dicendum, ſi aliquis ex. gr. in die Pentecoſtes, ex inconſideratione omitteret* Communicantes, *&* Hanc igitur oblationem: *teneretur poſtea illa repetere? Et Reſpondeo negative ex doctrina generali, quam contra Vaſquez docet Dicaſtillus loco citato num.* 266. *nempe in Miſſa nihil repetendum, quod non ſit de ſubſtantia, etiamſi ſine ſcandalo, aut nota fieri poſſit, ſed ulterius pergendum. Nam in Rubricis Miſſalis, ubi agitur de defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus §. 5. cujus titulus eſt:* De defectibus formæ, *in fine dicitur: ſi valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat; ſed procedat ulterius. Talia autem ſunt verba, de quibus nunc agimus, quæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti. Ergo illa jam omiſſa, etiamſi quis ſecreto poſſit, non ſunt repetenda; ſed pergendum ulterius.* Hæc Diana. At melius alii circumſcripte loquuntur, negando repetitionem prædictarum partium faciendam eſſe tantummodo *regulariter*. Quod explicant, dicendo: repetitionem non eſſe faciendam, ſi multum fuerit progreſſum; aut etiamſi parum, fieri tamen non poſſit ſine notabili perturbatione, & Celebrantis confuſione, nec non populi ſcandalo, ſeu gravi admiratione. Si vero parum progreſſum fuerit, & repetitio fieri facile poſſit ſine notabili perturbatione &c. tunc repetendas eſſe partes omiſſas. Ita Sylveſter Verbo *Miſſa* 1. qu. 3. §. 4. ubi ponit exemplum de eo, qui poſt Orationem recolit omiſiſſe *Gloria in excelſis*; & docet, non debere tunc illum hymnum recitari. Similiter Suar. to. 3. in 3. par. diſp. 83. ſect. 3. §. *Dico primo* in fine; ubi hoc quærit, & ſolvit. *Quæri poterit, an, ſi quis ex oblivione naturali aliquid in Miſſa omittat, verbi gratia* Gloria, *aut* Credo, *poſtquam vero aliquantulum progreſſus eſt, recordetur: an, inquam, debeat repetere, quæ omiſit? Reſpondetur, regulariter non eſſe neceſſarium, ut notat Sylveſt. Verbo Miſſa primo quæſt. 3. §. 4. & 5. quia moraliter illa non poteſt fieri commode, & omnia, quæ in Miſſa dicuntur, ita ſunt ordinata, ut variato ordine, & extra propria loca, (ut ita dicam,) conſtituta, non recte cohæreant: ſupponimus autem ea, quæ omittuntur, non eſſe de ſubſtantia Sacrificii; Nam ſi hujuſmodi ſunt, ſemper ſunt repetenda.* Hæc Suarez qui rurſus diſp. 85. ſect.

2. §.

2. §. *Secundo in genere;* hæc docet : *Secundo in genere dici poteſt, defectus accidentales, poſtquam jam commiſſi ſunt, regulariter loquendo, non eſſe ſupplendos, iterando aliquid, vel præpoſtero ordine dicendo, aut faciendo, quod prius efficiendum erat; hoc inſinuatur ſæpe in Regulis Miſſalis, & ſumi etiam poteſt ex dictis tam ſectione præcedenti, quam in ſect. ultim. diſputationis præcedentis. Ratio vero in genere eſt, quia cum hæc non ſint de ſubſtantia ſacrificii, non oportet illa iterare propter Sacrificii perfectionem; & alioqui, quando non dicuntur ſuo loco, ac tempore, & debito ordine, non conferunt ad decorem, & ſplendorem hujus Officii, vel ad ſignificationem, propter quam ſunt inſtituta. Ac denique magis perturbat illa repetitio, quam ad reverentiam Sacrificii juvet, & interdum etiam poteſt ſcandalum generare. Dixi autem:* regulariter, *quia ſi in aliquo caſu, aliud eſſet ſtatutum, illud eſſet ſervandum. Item ſi aliquando tam parva eſſet mora, ut ſine incommodo poſſet fieri repetitio, tunc ſuppleri poſſet defectus.* Hactenus Suarez. Quem etiam laudat, & ſequitur Tamburinus l. cit. ubi a n. 23. hoc examinat : *Si quis paululum in Miſſa procedens advertat ſe aliquid omiſiſſe, obligatur ne id repetere? . . . . Dico cum Suarez* de Sacram. diſp. 85. ſect. 2. §. 2. in genere : *non eſſe regulariter repetendum, quia id non poteſt commode fieri, & turbaretur Miſſæ Ordo. Dixi: (Regulariter) ſi enim de ſubſtantia ſit id, quod omiſſum eſt, ut aliquid v. g. pertinens ad conſecrationem, debere repeti, certum eſt.... Dixi iterum (Regulariter) nam ſi quis, dum ſecrete orat, certo poſt pauca verba advertat, ſe aliquid notabile, quamvis accidentale omiſiſſe, puto cum Suario.* de Sacrament. diſp. 85. ſect. 2. §. 2. in genere ; *non eſſe inconveniens, immo neceſſarium, tunc repetere, quia id & commode fieri poteſt, nec in tali caſu notabiliter turbaretur Miſſæ Ordo. Quid enim turbationis eſt, ſi certo advertens, me non dixiſſe v. gr. orationem* Communicantes *dicendam in die Paſchatis, paulum progreſſus, regrediar, ad eam recitandam? Nota illud :* paululum: *& illud:* ſecreto: & illud: dum ſecreto orat; *nam in orationibus publicis valde modicum deberet eſſe progreſſus, ut regredi ad ſupplendum obligaretur Sacerdos, quia in publicis facillimum eſt turbationis, & populi admirationis periculum.* Hæc Tamburinus. Similia habent Franc. De-Lugo *de Sacram. l. 5. de Miſſa c. 9. qu. 2. n. 23.* Rodriquez *in ſum. 1. par. c. 247. concl. 24. n. 25.* Filliuc. *tr. 5. de Euch. c. 5. qu. 7. n. 155.* La-Croix *l. cit.* §. 1. & alii. In dubio autem, an aliquid non eſſentiale ſit ſupplendum? hoc eſt eligendum, quod minorem admirationem, & commotionem cauſabit in adſtantibus; in iſta etenim actione debet Sacerdos oſtendere ſe irreprehenſibilem, uti ex aliis Doctoribus monet La-Croix l. cit. §. 3. nu. 533. Sic S. Th. 3. *par. qu.* 83. *art. 6. ad 2.* ait : *Quod ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo;* & Suar. *tom. 3. in 3. part. diſp.* 84. *ſect.* 2. prope finem ait : *Si unuſquiſque in eo caſu id faciat, quod magis expedire cenſuerit, non peccabit. Illud ſolum præ oculis habendum eſt, ut ſcandalum ſemper caveatur.* Igitur quia ſæpe oriri poteſt Sacerdoti perplexitas in Miſſa, ita ut neſciat, quid potius facere debeat? Conſideret, quidnam videatur eſſe minus incommo-

dum,

dum, & hoc bona fide faciat. Oportet autem, ut quilibet Sacerdos bene ſtudeat Rubricis, & videat, ac ſciat quomodo corrigendi ſint defectus occurrentes in Miſſa, juxta leges Miſſalis, aut ſaltem juxta alias doctrinas etiam admiſſas aliorum Doctorum, ſecus peccabit in cauſa, & ignorantia ejus non excuſabit illum: dicente Domino per Oſeam Prophetam c. 4. 6. *quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

25 Nota hic 1. quod, qui aliquid omiſſum ſupplet, nihil debet repetere, niſi quod omiſit, dummodo id ſuppleri poſſit ſe ſolo, quia nempe ſuam de ſe ſignificationem habeat. S. Th. & Lohn. apud La-Cr. l. cit. §. 8. n. 538.

Nota 2. Quod, ſi quis initio omiſerit aliquam orationem, quam dicere debebat; La-Croix l. cit. §. 2. n. 532. vult nihilominus, ut addat illius ſecretam, & Poſtcommunionem; ſi autem omiſerit etiam ſecretam; Lohn. & Gob. apud ipſum La-Croix, qui non contradicit, volunt omitti etiam Poſtcommunionem.

26 Qu. III. Utrum in Dominica Reſurrectionis liceat celebrare Miſſam mox poſt mediam noctem: ſtante opinione illorum Doctorum, qui ſuſtinent, Miſſam, quæ nunc celebratur in Sabbato Sancto mane, fuiſſe olim celebratam in Dominica Reſurrectionis mox poſt mediam noctem.

℞. Hujuſmodi opinionem nos refutavimus hoc tr. 2. lib. 4. part. 2. cap. 8. articul. 3. ſect. 2. ſubſ. 2. cæterum etiamſi vera foret illa opinio, adhuc ad qu. reſpondendum eſſet negative. Et vero ipſemet Suarez, quem cæteroqui l. cit. adnumeravimus inter illos, qui in illa ſuppoſitione fuerunt, nihilominus *to. 3. in 3. par. diſp.* 84. *ſect.* 4. §. *ſecunda exceptio;* fatetur, negandum eſſe, nunc licere celebrare Miſſam in nocte Dominicæ Reſurrectionis, quia, inquit, jam conſuetudo illa ceſſavit.

ARTICULUS IV.

De Communione.

In adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ in Paſchate quid ſervandum? Notavimus hoc lib. 5. par. 1. c. 1. Utrum in Regularium Eccleſiis, aliiſque extra Parochias miniſtrari communio poſſit Clericis, & Laicis in die Dominica Paſchæ? examinavimus 1. par. hujus par. 2. cap. 3. ſect. 7. Utrum habentes Bullam Cruciatæ poſſint in die Paſchæ communicare ex devotione in Oratoriis privatis? Examinavimus ubi de Bulla Cruciatæ hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 8. qu. 4. An tempore Interdicti in Dominica Paſchæ liceat communicare? Vide 1. par. hujus 2. par. c. 3. ſect. 2. qu. 17. 27

ARTICULUS V.

De Functionibus Pontificalibus.

In feſto Paſchatis functiones Pontificales, abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem ex Decreto S. C. R. 3. Decemb. 1672. In Andrien. apud Caval. to. 4. c. 19. n. 3. d. 10. *Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia,* 28

tia, & *omnibus dignitatibus impeditis*, *vel abſentibus*, *primus Canonicus id exequatur*. S. R. C. 26. Novemb. 1670. in Senen. Apud Caval. l. cit. d. 11. *Celebratio Miſſæ ſolemnis in diebus Nativitatis Domini*, *Paſchatis Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, & *in die feſto Corporis Chriſti ſpectat privative ad primam dignitatem*, *ſeu primum de Capitulo*; *Eo autem abſente*, *vel impedito*, *non poteſt alium in ſui locum ad libitum ſubrogare*: *ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab illo*, *qui immediate ſuccedit*, *non vero ab hebdomadario*. S. R. C. 23. Martii. 1709. in Compſana. Apud Caval. loc. cit. d. 12. Vide tamen dicta in feria V. Cœnæ ſubſect. 7. quæſt. 1. fine.

Quando dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in diem Paſchæ, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione, ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum, & declaravit S. C. R. 4. Aprilis 1705. in Lycien. vide dicta 25. Decembr. n. 101.

29 In Dominica Paſchatis non benedicitur aqua in Eccleſiis, ubi eſt Fons baptiſmalis, ſed ibi ſolemnis aſperſio fit cum aqua fontis baptiſmalis pridie reſervata. Ex Rubr. Miſſal., & etiam ex Ordine Romano tit. de Ordine in die Sancto Paſchæ, & meminit Rupertus *de Divinis Officiis lib. 7. c.* 20. ubi ſignificat, id eſſe ad aliquam memoriam baptiſmi recepti in Veſperis præcedentibus, ſeu in Sab. Sancto. Vide dicta in Sabbato Sancto ſubſ. 3. §. 7. n. 336. & tr. 1. lib. 2. par. 2. c. 1. de Dominica art. 3. ſect. 2. ubi habes ritum ſervandum tempore Paſchali in hujuſmodi aſperſione ſolemni.

ARTICULUS VI.

De Exequiis recenter Defunctorum.

Quamvis in ſequentibus feriis liceat præſente cadavere unica Miſſa ſolemnis de *Requiem*: uti notavimus part. 1. hujus ſecundæ partis ubi de infra Octav. Paſchæ c. 2. n. 2. attamen in die ipſo Paſchatis ſeu Dominica Reſurrectionis non licet, etiam præſente cadavere; neque ullæ ſunt publice celebrandæ Defunctorum Exequiæ, nec conſuetum ære campano emortuale ſignum edendum: ſed ſi quis in die Paſchæ moriatur, Officium, & preces recitentur privatim; Vel Cadaver reſervetur in diem ſequentem, ob reverentiam Paſchæ, & feſti ſolemnitatem: Juxta quod ſignificat Rituale Romanum Pauli V. tit. de exequiis poſt initium. Idem monet Joannes Beleth. *de Divin. Offic. c.* 67. Durand. *in Ration. lib.* 7. *c.* 35. *nu.* 17. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 5. *lit. x.* Vide etiam dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 8. art. 6. Monet inſuper Caval. *tom.* 3. *c.* 15. *in d.* 15. *num.* 6. ipſas exequias privatas ſub veſperum habendas eſſe, & ſi commode fieri poſſit; magis anticipandas eſſe ſub veſperum præcedentis diei Exequias illas, quæ ſic valeant anticipari: ut ſi qui moriatur poſt meridiem Sabbati Sancti: nulla ratione offuſcetur lætitia majoris ſolemnitatis anni: Aut ſi fieri poteſt, melius differendas in feriam ſecundam ſequentem (ſi quis moriatur in die Paſchæ,) ut congruentiori ritu, & Miſſa ſolemni celebrentur. 30

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

Not. Tempore Interdicti Localis Generalis.

31 ETſI tempore Interdicti localis generalis interdictum ſit divina Officia publice, & ſolemniter celebrare, & ad illa quantumvis privata populum, aut etiam Clerum campanarum ſono convocare; Nec liceat januis apertis eadem privatim celebrare, nec privatim celebratis intereſſe eos, qui privilegiati non ſint: *In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis, alta voce, Divina Officia ſolemniter celebrentur; Excommunicatis prorſus excluſis, ſed Interdictis admiſſis: quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum, (& ut ipſi ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur,) præfatis diebus participationem permittimus Divinorum: Sic tamen quod illi propter quorum exceſſum Interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent.* Ita de jure Bonifacii VIII. *Cap. Alma Mater.* 24. *de ſent. excom. in 6.* Vide Avilam *de Cenſur. par.* 5. *diſp.* 4. §. Supponendum quarto; *& ſect.* 2. *dubit.* 8. *ſine. & dubit.* 12. *concl.* 2. Sylveſt. V. *Interd.* 3. *in Addit. & Interd.* 5. *qu.* 2. *nu.* 2. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 18. *&* 8. *de Cenſur. c.* 3. *qu.* 6. *n.* 75. *& c.* 4. *qu.* 8. *n.* 108. Bonac. *to.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. pu.* 4. *nu.* 13. Tambur. *de Cenſur. tract.* 3. *de Interd. c.* 1. §. 3. *nu.* 7. Lezan. *ſum. V. Interd. Regul. n.* 27. Sa. V. *Interd. nu.* 28. Tolet. *Inſtr. Sacr. lib.* 1. *cap.* 53. *n.* 6. Buſemb. *lib.* 7. *de cenſur. cap.* 4. *de Interd. dub.* 2. Chiavett. *Conſult.* 151. *n.* 1. 3. *&* 7.

Nota hic 1. Præter quatuor præ- 32
dictas feſtivitates laudato jure ſignatas, eſſe quoque nonnullas alias, in quibus ſimiliter quoad Divina Officia ſuſpenditur Interdictum generale locale; ſive adhuc univerſaliter, ſive tantum particulariter, in particularibus ſolum determinatiſque locis, ſeu Eccleſiis, propter ſpeciale aliquod privilegium a Summis Pontificibus conceſſum. Vide dicta tr. 1. ſub die 8. Decemb. art. 1. ſect. 6. & dicenda fer. V. poſt Dom. 1. Pentec. in Feſto Corp. Chr. ſect. 1. ſubſ. 8.

Nota 2. Conceſſionem prædictam valere in Interdicto locali generali, non item in ſpeciali, ſeu particulali. Interdictum itaque locale ſpeciale, ſeu particulare prædictis ſimilibuſque diebus, ſeu feſtis non ſuſpenditur. Ratio eſt, quia in dicto §. *In feſtivitatibus:* conceditur ut publice celebrentur Officia Divina in loco, in quo in præcedenti §. *Adjicimus;* ejuſdem *Cap. Alma Mater*, erat conceſſum, ut ea quocumque die celebrarentur ſubmiſſa voce, januis clauſis, &c. Sed in eo §. *Adjicimus;* conceduntur in loco generaliter Interdicto. Ergo in loco ſpecialiter Interdicto non conceditur ſolemnitas Divinorum Officiorum in dictis, ſimilibuſque privilegiatis feſtivitatibus.

Hinc habes, quod ſicut non valet Privilegium *Cap. Alma Mater.* pro celebratione Divinorum januis clauſis &c. ſingulis diebus, ſi Interdictum ſit ſpeciale alicujus loci; ita neque valet in Interdicto locali generali pro Eccleſia, quæ ſit ſpecialiter interdicta, conceſſio ejuſdem Capitis celebrandi januis apertis in illis feſtivitatibus jam dictis, & dicendis. Vide Avilam *diſput.* 4. *ſect.* 2. *dubit.* 3. *& dubit.* 9. §. *Ultimo notandum.* Tolet.

let. *c.* 53. *n.* 2. Sylveſt. V. *Interd.* 3. *in Addit.* Lezan. *n.* 22. Chiavet. *conſult.* 150. *n.* 11. *&* *Conſult.* 151. *n.* 17. Filliuc. *nu.* 65. 80. *&* 109. Bonac. *pu.* 3. §. 2. *num.* 11. *&* *pu.* 4. *num.* 13.

Nota 3. Perſonaliter Interdictos, ſeu illos propter quorum exceſſum Interdictum hujuſmodi eſt prolatum, nullatenus poſſe Altari appropinquare in feſtivitate Paſchali, ſimilibuſque aliis feſtivitatibus, in quibus Interdictum locale generale ſuſpenditur; licet bene poſſint divinis officiis intra Eccleſiam intereſſe. Dum autem Altari appropinquare vetantur; a tribus beneficiis excluduntur: primo ab Altaris approximatione locali; ſecundo ſuſceptione Euchariſtiæ; tertio ab oblationibus faciendis in Miſſa. De his vid. Chiavet. *Conſult.*
33 151. *n.* 7. *&* 8.

Quale autem ſit Interdictum perſonale, vel particulare, vel univerſale? Videri poteſt apud Auctores laudatos, & alios agentes de hac re; non enim oportet tractatum de Interdicto hic texere; ſed ſolum exponere ea, quæ Inſtituti noſtri præſentis ſunt propria. Similiter quid hic veniat nomine Divinorum Officiorum? Videri poteſt apud Chiavet. *Conſult.* 148. *n.* 30. *&* *Conſult.* 150. *nu.* 10. *&* *Conſult.* 151. *nu.* 3. 7. *&* *duob. ſequ.* Filliuc. *c.* 3. *n.* 78. Bonac. *pu.* 3. §. 2. *n.* 11. *&* §. 3. *num.* 7. *&* 9. *&* *pu.* 4. *a n.* 1. Avil. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *dubit.* 1. *&* *dub.* 6. *concl.* 4. *ver. ſequitur tertio.* Sylveſt. V. *Interd.* 5. *n.* 3. *fine;* *&* *nu.* 5. Lezan. *num.* 20.

Qu. hic I. Utrum nomine feſtivitatis Paſchalis, in qua ſuſpenditur quoad Divina Officia Interdictum locale generale, veniat ſolus primus dies, nempe ſola Dominica Reſurrectionis?

℞. Affirmat Filliuc. l. cit. n. 109. Idem ex Archid. videtur admittere Sylveſt. V. Interd. 5. n. 3. & tenent plerique alii, eo quod ex jure Cap. *Alma Mater.* unum tantummodo diem, dicunt, concedi pro ſuſpenſione Interdicti, nimirum primum diem Paſchæ, & ſimiliter Pentecoſtes, & Nativitatis.

Sed contra eſt, quia in jure allegato non dicitur, unum tantum diem concedi; Sed permitti participationem Divinorum, ſeu quoad Divina Officia Interdictum ſuſpendi in feſtivitatibus Paſchæ, Pentecoſtes &c. Non bene autem nomen feſtivitatis interpretatur, & ſumitur pro uno tantummodo primoque die Paſchæ, Pentecoſtes &c. Enim vero, ut communiter obſervant Auctores, juxta communem uſum loquendi, nomine feſtivitatis ſæpe veniunt plures dies ad unum, & idem feſtum, eamdemque celebritatem pertinentes, & hujuſmodi quidem eſt celebritas, & feſtivitas Paſchæ, ut jam videbimus.

Alii itaque communius, veriusque docent: non ſolum primum diem Paſchæ, ſed reliquos quoque duos immediate ſequentes dies feſtivos venire nomine feſtivitatis Paſchalis, in qua ſuſpenditur Interdictum Generale locale: quia in communi uſu loquendi, nomine feſtivitatis Paſchalis non intelligitur ſola Dominica Reſurrectionis, ſed ſequentes adhuc duos dies feſtivos, qui ex præcepto ſervantur. Ita Diana *to.* 5. *edit. coord. tract.* 4. *R.* 11. §. 2. Avila *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dubit.* 9. *init.* Bonac. *pu.* 4. *n.* 14. Chiavet. *Conſ.* 143. *nu.* 8. *&* *Conſ.* 151. *nu.* 2. *&* 4. Tambur. *de cenſur. tract.* 3. *de Interd. c.* 1. §. 3. *nu.* 7.

Digitized by Google

nu. 7. & *Meth. Comman. c.* 6. §. 7. *fine*, & alii quamplures. Certum autem ſit; non venire totam Octavam Paſchæ: quia hæc in communi uſu loquendi, nunc non venit nomine feſtivitatis Paſchalis. Vide Avilam, & Dianam ll. citt. & Chiavet. *conſult.* 151. *n.* 4.

34 Nota hìc, ne idem ſæpius repetamus: quod cum Interdictum locale generale ſuſpendatur etiam in nonnullis aliis feſtivitatibus, quæ pluribus ſimiliter celebrantur feſtivis de præcepto diebus: nimirum in Natali Domini, & Pentecoſte; Auctores ſupra laudati; aliique idem ob eamdem rationem docent de illis aliis feſtivitatibus.

Igitur Interdictum locale Generale ſuſpenditur in Dominica Reſurrectionis, & ſequentibus duobus diebus; In Dominica Pentecoſtes, & ſequentibus duobus; In Natali item Domini ſuſpenditur in die ipſo Nativitatis, & tribus ſequentibus diebus feſtivis. Profecto duo feſtivi dies ſequentes Dominicam Reſurrectionis, & Pentecoſtes tantum pertinet ſpecialius ad ea Myſteria, & in honorem eorum obſervantur; Quapropter merito intelligendi ſunt venire, & complecti ſub nomine feſtivitatis Paſchalis, & Pentecoſtes.

In feſtivitate quoque Nativitatis Domini Salvatoris negandum non eſt, inquit Diana *cit. R.* 11. §. 2. reliquos dies feſtivos poſt primum etiam pertinere ad feſtivitatem Nativitatis, quamvis principalius ad alios Sanctos, & obſervari non tantum in eorum honorem, ſed etiam in honorem Nativitatis, quia quamvis in honorem Sanctorum non obſervarentur, etiam obſervarentur in honorem Nativitatis, ſaltem duo poſt primum, ſicut fit in feſtivitatibus Paſchæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & ut obſervetur tertius dies poſt primum, non parum juvat Nativitas Chriſti; ita Diana. Obſerva etiam Chiav. conſ. 151. n. 4. feſta S. Stephani, S. Joannis, & SS. Innocentium, quæ Natalem Domini immediate ſequuntur, vocari feſta Natalis. Feſtivitas itaque Natalis Domini includit prædicta tria feſta, adeoque quatuor diebus abſolvitur. Et confirmatur ex eo, quia feſtum S. Jo: Evang. quod celebratur tertia die a Nativitate Domini, non habet Vigiliam, quamvis ſit ex duodecim Apoſtolis. Ratio autem, quæ aſſignatur ab Innoc. III. relato in C. *Conſilium*. *de obſervat. jejun.* eſt quod celebretur S. Joannis Evang. ſolemnitas infra Natalem Domini. Ergo ex Innocent. ſolemnitas Natalis Domini non uno clauditur die, ſed ſequentes quoque complectitur dies feſtivos.

Etſi autem, ut ſupra dictum eſt, privilegium hujuſmodi extendendum minime ſit ad omnes dies Octavæ, ob rationem contrariam ſupra indicatam; nihilominus ſunt nonnullæ feſtivitates, in quibus ſpeciali, & expreſſo privilegio Interdictum ſuſpenditur per totam Octavam. Vide dicta tr. 1. S. Decembr. art. 1. ſect. 6. & dicenda fer. V. poſt Dom. 1. Pentec. in feſto Corp. Chr. ſect. 1. ſubſ. 8.

Qu. II. Quandonam in prædictis feſtivitatibus incipiat, deſinatque ſuſpenſio Interdicti? 35

℞. Et dico 1. Quoad initium attinet, in feſtivitate Paſchæ Reſurrectionis Interdictum ſuſpenditur a Sabbato Sancto; Et quidem alii dicunt ſuſpendi ab initio Veſperarum

Digitized by Google

manet jam confutata ex modo dictis. Cæterum & ipſe loco objecto fatetur, atque teſtatur, eſſe communem opinionem prædictam volentem Interdictum ſuſpendi in feſtivitate Paſchali a *Gloria* Miſſæ Sabbati Sancti. Et hæc quoad initium ſuſpenſionis Interdicti in feſtivitate Paſchali.

37 Quod autem attinet ad finem ſuſpenſionis ejuſdem, nonnulli dicunt, terminare in ſecundis Veſperis prædictæ feſtivitatis Paſchalis, ſive feſtivitas Paſchalis dicatur eſſe unicus dies, ſive tres omnes ſimul dies feſtivi Paſchæ; ita ut non liceat dicere ſolemniter Completorium Dominicæ, vel feriæ tertiæ poſt Dom. Reſur. Probant ex Cap. *Quoniam de feriis*; ubi dicunt haberi, quod feſtivitates incipiant a Veſperis, & finiantur in Veſperis. Ita nonnulli apud Sylveſt. V. Interd. 5. qu. 2. nu. 3. & apud Avilam diſp. 4. ſect. 2. dub. 10. Sed primo contra eſt: cum potius omnino oppoſitum habeatur in allegato jure, ut videre eſt in ejus verbis ſuperius recitatis nu. 35. Deinde communiter Doctores ſuſtinent, Interdictum terminare in Completorio incluſive, quia in die, ſive in diebus feſtivitatis Paſchalis licet ſolemniter celebrare omnia Officia Divina. Sed Completorium eſt pars Officii ejus diei, ſive ejuſdem feſtivitatis, pro ut complectitur omnes tres dies feſtivos. Ergo ſuſpenditur Interdictum in Completorio incluſive feſtivitatis Paſchalis acceptæ modo ſupradicto. Ita Avila *loc. cit. concl.* 3. Bonac. *pu.* 4. *n.* 15. Diana *R.* 11. §. 3. Tamb. *de Interd. l. cit. n.* 8. Chiavet. *Conſul.* 151. *n.* 4. Sa. *n.* 28. Tolet. *c.* 13. *n.* 6. La-Croix *lib.* 7. *de Interd. qu.* 50. §. 1. *n.* 419. Lezan. *num.* 27. & videatur etiam Filliuc. n. 109. ubi dicit: Interdicti ſuſpenſionem terminare in occaſu diei; Occaſus autem eſt certe hora Completorii, ſeu in qua recitatum eſt Completorium, ut patet ex hymno, *Te Lucis ante terminum*. Vide dicta tr. 1. lib. 1. c. 1. art. 1. n. 18. Confirmatur ex Sylveſt. l. cit. quia nimirum in beneficiis eſt larga interpretatio facienda, & in Veſperis Completorium continetur.

Animadvertendum tamen eſt, prædictum Completorium recitandum eſſe hora conſueta, & non differendum in fraudem Interdicti. Quia vero non omnes Eccleſiæ eamdem ſervant horam, poterit etiam illud recitari ſecundum diverſum modum Eccleſiarum; Unde ſi in aliqua dicatur Completorium, poſtquam finitum eſt in Cathedrali, & ibi pulſatum eſt ad Interdictum, poterit quidem in hujuſmodi Eccleſia dici Completorium cum ſolemnitate. Avila & Bonac. ll. cit. Hactenus de principio, & fine ſuſpenſionis Interdicti pro feſtivitate Paſchali, nunc pro aliis.

Dico 2. In Feſto Pentecoſtes alii volunt, ſuſpendi Interdictum a Veſp. Sabbati præcedentis, ex regula generali, cujus fecimus mentionem ſupra n. 35. Alii dicunt, ab ipſa Miſſa, quæ dicitur in Sabbato: quia conceſſio non eſt pro die Pentecoſtes, ſed pro feſtivitate; hæc autem incipit a Miſſa Vigiliæ, ut patet ex Præfatione, in qua dicitur: *hodierna die Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit*; & in *Communicantes* dicitur: *diem Sacratiſſimum Pentecoſtes celebrantes*. Et ad menſam adhibetur benedictio propria feſti Pentecoſtes. Confer dicenda in Vigilia Pentec. n. 14. 38

n. 14. & 29. ita Avila concl. 2. Chiav. loc. cit. & alii apud Sylveſt. V. Interd. 3. in Addit. & Moſc. apud Dian. R. 11. §. 2. etſi hanc ſententiam non admittat, concedit tamen eſſe probabilem.

Quoad finem attinet, idem dicunt, ac ſtatutum eſt ſupra pro feſto Paſchatis Reſur.

39 Dico 3. In feſto Nativitatis Domini aliqui apud Sylv. l. cit. & apud Avil. concl. 1. volunt, ſuſpendi a Miſſa Vigiliæ, quia, dicunt, ab illa incipit Officium ſequentis feſti, ſeu ab illa incipit feſtivitas Nativitatis. Sed huic aſſertioni contradicit ipſe Avila concl. 2. affirmatque, illam eſſe falſam; quia in Miſſa Vigiliæ Nativitatis nec ponitur Præfatio feſti, nec aliud, ex quo colligatur, celebrari tunc feſtum Nativitatis, imo contrarium colligitur ex Introitu, in quo legitur *Hodie ſcietis quia veniet Dominus, & ſalvabit nos, & mane videbitis gloriam ejus*. Adde & in Graduali dici ℣. *Craſtina die delebitur iniquitas terræ &c.* Sic in *Communione*, *Revelabitur Gloria Domini: & videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*. Et ſic in tota fere illa Miſſa innuitur, ea non eſſe Nativitatis, ſed expectationis illius. Unde & in Collecta dicitur: *Deus, qui nos Redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas &c.*

Dicendum itaque: In feſto Nat. Interdictum ſuſpendi in Vigilia Nat. a Veſp. incluſive.

Finis autem idem, qui pro feſto Paſchæ fuit conſtitutus: ſcilicet in Completorio incluſive feſti Nativitatis, vel in ultimo Completorio diei quarti feſtivi Nativitatis pro varietate opinionum juxta ſuperius dicta.

40 Dico 4. In feſto Aſſumptionis B. V. & aliis feſtivitatibus, in quibus, ut innuimus n. 32. poſſint celebrari Divina Officia tempore Interdicti localis generalis, computatur feſtivitas, adeoque & Interdicti ſuſpenſio a 1. Veſp. uſque ad Completorium incluſive ipſius diei feſti. Ita Auctores communiſſime; licet quidam apud Sylv. *V. Interd.* 5. *qu.* 2. *nu.* 3. dixerit: Interdictum ſuſpendi in ipſo tantum die uſuali, ita ut initium ſumat ſuſpenſio, quando dies incipit luceſcere. Sed hoc nimis rigide dictum eſt, & contra communem.

Dico 5. In feſtivitatibus, in quibus expreſſe ſuſpendatur Interdictum per totam Octavam ex ſpeciali privilegio: initium eſſe in 1. Veſp. feſti, finem vero in die Octava in ejuſdem Completorio incluſive, ſecundum ſupradicta. Et ſic ex.gr. in feſto SS. Corporis Chriſti in quo, ut ſuo loco dicemus, ſuſpenditur Interdictum per totam Octavam; ſuſpenditur a primis Veſp. feſti uſque ad Completorium incluſive ultimæ diei Octavæ. Chiav. *conſult.* 151. *n.*4. 41

Qu. III. An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſit ingredi Eccleſiam in feſtivitate Paſchali, & aliis ſimilibus, in quibus ſuſpenditur Interdictum? 42

℟. Affirmative. Probatur ex eo, quia Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ eſt ſpecies Interdicti perſonalis; ſed affectus Interdicto perſonali poteſt ingredi Eccleſiam in dictis feſtivitatibus. Ergo Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poteſt in his Eccleſiam ingredi. Imo hic a fortiori; Enimvero ſi in his feſtivitatibus admittuntur illi, qui ſunt ſimpliciter, & abſolute interdicti, potiori jure, non ſimpliciter Interdictus, ſed ſolum quoad ingreſſum Eccleſiæ.

Digitized by Google

Non poterit tamen in Eccleſia appropinquare ad Altare, neque in ea recipere Sacramenta, quia hæc ſunt prohibita in his etiam feſtivitatibus ei, qui ſit perſonaliter Interdictus. Vide Chiavet. *Conſult.* 152. *n.* 5. & 15. Filliuc. *cap.* 4. *qu.* 6. *n.* 102. & recole dicta hic n. 32. §. *Nota* 3.

Dixi: non poterit in *Eccleſia*: quia extra poterit, & tenetur in Paſchate communicare; Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 3. ſect. 3. qu. 16.

43 Qu. IV. An in feſtivitate Paſchali, tempore Interdicti localis generalis, poſſit, & debeat adminiſtrari Sacramentum Euchar. pro præcepto Paſchali?

℟. Huic quæſtioni ſatisfecimus cit. c. 3. ſect. 2. qu. 17.

44 Qu. V. Utrum tempore Interdicti localis Generalis, in illis diebus, in quibus conceduntur Divina Officia, licitum ſit, ſepelire in loco Sacro Laicos, non habentes privilegium ſepulturæ Sacræ: Et an publice, & cum ſolita funebri ſolemnitate celebrare exequias liceat Defunctorum?

℟. Affirmant alii probabiliter; Alii probabilius negant. Affirmativa autem ſententia non procedit de iis, qui ſint nominatim Interdicti, & qui cauſam dederint culpabilem Interdicto, vrl non ſervaverint illud. Item eadem affirmativa ſententia quoad publicitatem exequiarum non procedit pro caſu, quo ſit aliunde prohibitum ratione ſolemnitatis maximæ, puta in Sab. Sanct. in Dom. Reſurrect. &c. ſecundum dicta art. 6. præc. & hoc tr. 2. l. 4. par. 2. c. 8. art. 3. ubi de ultimo Triduo hebd. Sanctæ ſect. 3. pro hac quæſtione ſepulturæ Sacræ, & exequiarum tempore Interdicti localis generalis in diebus prædictis privilegiatis videri poteſt Bonac. *pu.* 5. *n.* 7. Filliuc. *c.* 4. *qu.* 3. *nu.* 96. Avil. *diſp.* 4. *ſect.* 3. *dub.* 3. Sylveſt. V. *Interd.* 5. *qu.* 2. *n.* 4. & *qu.* 8. §. *Sexto*. Lezan. *num.* 34. *fin.* La Croix *nu.* 421. Dian. *tom.* 5. *edit. coord. tr.* 4. *R.* 21. Sa. V. *Interd. n.* 28. Tamb. *de Interd. loc. cit. nu.* 6. & 12. Chiavet. *Conſult.* 149. *n.* 7. & 12. & 15.

45 Quoniam modo in fine hujus articuli nominavimus *Laicos*: & ejuſdem articuli initio diximus: Tempore Interdicti localis Generalis interdictum eſſe Campanarum ſono ad Divina Officia convocare *Populum, aut etiam Clerum*: Unde ſignificavimus: populum eſſe diſtinctum a Clelo: ideo nota hic: nomine populi non venire Clericos, & Religioſos, ſecundum uſum Eccleſiæ, & Canonum; ut in tract. de Interdicto paſſim notant Auctores. Vid. Avil. *de Cenſur. par.* 5. *diſp.* 1. *dubit.* 4. *concl.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 18. & 8. *de cenſur. c.* 1. *qu.* 5. *n.* 14. Bonac. *to.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. pun.* 1. *nu.* 12. Lezan. *in ſum.* V. *Interd. Regular.* 5. La-Croix *lib.* 7. *de Interd. quæſt.* 49. §. 1. *n.* 11.

Deinde quod Latine dicitur populus, Græce dicitur λαός *Laos*. Inde Laici vocantur ii, qui nullo ordine Sacramentali, ſeu Eccleſiaſtico, nec prima Tonſura ſunt ad Officia Eccleſiaſtica deputati, ut notat S. Iſidorus infra laudandus, Durandus *in Ration. Offic. l.* 2. *c.* 1. *n.* 10. Chiavetta *lib.* 1. *inſtit. jur. canon. init. n.* 1. Franc. Antonius Phœbeus *inſtit. Can. l.* 1. *tit.* 1. *nu.* 2. Idque confirmat, quod modo dicebamus, videlicet, nomine populi non venire Clericos. Unde nomen Laici convenit cum nomine populi; Atque adeo nomine populi proprie Laici veniunt;

Et

par. 2. *tr. de Conciliis* §. 2. *append.* 1. §. 2. Alias, *de locis moral. Theolog. tract.* 4. *de Conciliis cap.* 3. *in Append. Juris utriuſque &c.* §. 3. *de uſu utriuſque juris.*

ARTICULUS VIII.

De Indulgentiis.

47 QUICUMQUE habuerit apud ſe aliquam Coronam, aut Crucem benedictam, aut Numiſma benedictum a Summo Pontifice, fueritque ſolitus ſaltem ſemel in unaquaque hebdomada recitare Coronam Domini, aut B. Virginis, vel integrum Roſarium, aut ipſius ſaltem tertiam partem, vel Officium Divinum, aut illud B. Virginis, vel Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut conſueverit intereſſe Sacrificio Miſſæ, ſive illud celebrare, ſi Sacerdos ſit; aut aliquod aliud opus pium Chriſtianæ miſericordiæ præſtare, & exercere; ſi confeſſus, & Sacra Euchariſtia refectus fuerit in die Reſurrectionis, atque Domino preces fuderit pro hæreſum, & Schiſmatum extirpatione, Fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, ac pro aliis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, Indulgentiam Plenariam lucrabitur. Vid. Bened. Plazza *de Purgator. part.* 2. *artic.* 5. §. 10. *num.* 52.

48 Adulti in Italia, & Inſulis adjacentibus, qui aſſidue frequentant pium exercitium docendi, vel ediſcendi rudimenta fidei, ſeu Doctrinam Chriſtianam, lucrantur Indulgentiam Plenariam in die Reſurrectionis Domini, ſi cætera conſueta præſtiterint requiſita. Conceſſit Clemens XII. *Conſtit.* 157. *pag.* 28. *Tomi* 14. apud Plaz. l. cit. n. 55.

49 Hodie lucrantur Indulgentiam Plenariam illi, qui adſunt in platea, aut in Porta Baſilicæ Sancti Petri, dum Summus Pontifex ritu ſolemni populum benedicit. Circa hujuſmodi Indulgentiam notandum eſt primo, quod ad moralem præſentiam requiſitam, ut percipiatur fructus benedictionis hujuſmodi, ſufficit, ſi confluentes poſſint aliquo modo advertere quid agatur, quamvis plures ob aliquod impedimentum nihil diſcernant. Item ad moralem præſentiam hic ſufficere videtur, ut confluentes remotiores ſint pars illius multitudinis, quam Summus Pontifex intendit benedicere. Quapropter omnes in publico foro exiſtentes; & etiam in feneſtris domorum circumcirca ſitarum, omneſque etiam confluentes, quamvis per milliare diſtent a Summo Pontifice benedictionem conferente, omnes, inquam, percipient fructum, & Indulgentiam benedictionis prædictæ. Ita Quarti *de Benediction. tit.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 4. *prope fin.*

Notandum 2., quoad eamdem Indulg., quod cum ex communi Doctorum ſententia, ad Indulgentiam valide largiendam requiratur rationabilis cauſa, adæquata, & proportionata effectui, ſeu quantitati Indulgentiæ, tamquam medium ad finem; unde tale aliquod opus pium regulariter imponitur exercendum, per quod poſſit hujuſmodi finis probabiliter obtineri; nihilominus ad hoc ut cauſa ſit proportionata Indulgentiæ, non eſt neceſſarium, quod opus injunctum ſit ex ſe ſufficiens ad relaxandam pœnam; neque quod ſit in ſe multum meritorium, & ſatisfactivum, aut difficile, & laborioſum; (etſi

(etſi ad hoc quoque habendus ſit reſpectus ;) Sed ſufficit , tale opus impoſitum eſſe medium aptum , & utile ad conſecutionem finis , in cujus gratiam conceditur Indulgentia . Quapropter præſtando opus aliquod , ſi imponatur , ex ſe leve , & facile , maxima etiam Indulgentia poterit obtineri , ſi illud opus leve ſit medium aptum , & utile ad obtinendum finem aliquem in oculis Domini acceptiſſimum .

Jam vero hujuſmodi eſt prædicta Indulg. Plenaria , quam , diximus , Summum Pontificem impertiri iis , qui in die ſolemni Paſchæ adſunt in platea , aut Porta Baſilicæ S. Petri , dum ipſe dat populo benedictionem ſolemnem ; Enim vero illa aſſiſtentia , & frequentia populi Chriſtiani eo temporis , licet abſolute , & in ſe ſit cauſa admodum levis ; nihilominus eſt medium aptum , & utile ad proteſtationem fidei Supremi Capitis Eccleſiæ , & ad exhibendum debitum reſpectum , & honorem erga Sedem Apoſtolicam ; qui eſt finis prædictæ Indulgentiæ, ut obſervat Plazza cit. art. 5. §. 6. n. 131.

Ritum Benedictionis Papalis , ſeu Pontificis nomine extra Urbem , a nonnullis Regularibus ſuper populum impertiendæ , deſcribemus in Appendice ad Calcem Diarii c. 12. §. 8.

ARTICULUS IX.

Not. in feſto S. Marci occurrenti in die Paſchæ.

50 QUID notandum in feſto S. Marci occurr. in die Paſchæ. Vid. tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 1. ſubſ. 2.

ARTICULUS X.

De Benedictione Agni in Paſcha , & Ovorum.

IN fine Miſſalis Romani inter alias 51 rerum benedicendarum formulas ponitur Benedictio Agni in Paſcha , & Benedictio Ovorum , quæ item ſit in die Paſchæ . Benedictio Agni in die Paſchæ ponitur etiam in Ordine Romano antiquiſſimo .

Benedictionem Ovorum , aliorumque eſculentorum non eſſe de juribus Parochorum , ſed fieri poſſe a quolibet Sacerdote : declaravit Sacrorum Rituum Congregatio 10. Decembr. 1703. approbante Clemente XI. 12. Januar. 1704. apud Caval. tom. 4. c. 25. d. 1.

Benedici poſſunt Ova ſive cruda , 52 ſive cocta , cum cortice , vel nudata , aut aliquo tincta colore ; pura etenim accidentia hæc ſunt , quæ non mutant ſubſtantiam . Caval. in cit. d. 1. num. 3. Quod ſi Cereos *Agnus Dei* albos non licet aliquo colore depingere ; id eſt ſpecialiter interdictum : uti videbimus in Sab. in Albis n. 13. propter ſpecialem rationem myſticam militantem pro iis , explicandam ibidem .

Vult Baruffaldus apud Caval. loc. cit. n. 2. Agnum , qui benedicitur , debere eſſe mortuum , immo coctum , & aſſatum , fœmina ſit, aut maſculus, dummodo non ſit plurium annorum , aut qui inter armenta coierit ; ne , inquit , deperdatur figura Agni innocentis ; conſentit Cavalerius ; qui tamen ſubdit , quod , quatenus non attendatur ad figuram , nihilominus & ille hodierna eadem formula benedictionis Agni Paſchalis poterit benedici ; ſicut etiam , inquit , bene-

benedici poſſunt carnes quæcumque aliæ: quia etſi prædicta formula inſcripta ſit: *Benedictio Agni in Paſcha:* & huic fortaſſe congrue reſervetur adhibenda: orationis tamen verba, dum nullam Agni mentionem faciunt, ſed ſimpliciter creaturæ carnis, adaptabilia ſunt cuique carni.

53 Deinde Auctor Micrologi *de Eccl. obſervat. c.* 54. Honorius *in Gemma lib.* 4. *c.* 117. *tit. de Sancto die*, & Durandus *in Ration. lib. 6. cap.* 86. *nu.* 7. notant: Agnum juxta Romanum Ordinem non ad Altare, ſed ad menſam benedici. Benedicatur itaque Agnus in menſa, vel in culina, aut alio loco privato. Idipſum dicendum de Ovis. Etſi aliquando cibi ſuper Altare oblati, ac benedicti fuerint, ad confutandum illum hæreticorum errorem, qui dicebant: cibos non a Deo, ſed a Dæmone fuiſſe creatos; vide dicta tr. 1. l. 1. cap. 7. n. 14. & Bernini *hiſt. hæreſ. ſæc.* 3. *ubi de Eutichiano*. P. cap. 12. ſine.

Refert etiam Raynaudus *tom.* 10. *tract. de Agno cereo c.* 9. *n.* 9. viguiſſe jam olim inter Catholicos uſum, quod in ſolemnitate Paſchali offerrent Agnos non ſine aliqua pompa, & quaſi triumpho, qui publice benedicerentur in Eccleſia. Quem Occidentalium uſum calumniati Græci, commenti ſunt: Latinos in Paſchate cum Corpore Domini Agnum ſacrificaſſe; uti habetur in Catalogo Rituum Græcanicorum Latinis adverſantium, in calce Manuelis Calecæ. Idem refert Flodoardus *lib.* 3. *Hiſt. Rom. c.* 17. ac etiam Nicolaus I. Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, qui recte ait, hanc eſſe meram Græcorum calumniam, quæ in Armenos abſque injuria cadit, ut habet Iſaac eorum OEcumenicus hær. 27. & Nicon lib. de Armenorum erroribus, ſic ſcribens: *Agnum Magno Dominico ſacrificant, & limina inungunt; & oſſa comburentes, ſervant cinerem cum ſanguine, in ſignum expiationis; & Velum ante Altare ſtatuunt, & tintinnabula ipſi, & Altari appendunt.* Hæc reſipere, vere Judaizare eſt, ut animadvertit Raynaudus *to.* 16. *ſect.* 2. *pu.* 6. verſus finem, & idcirco reprobantur. Nihil attamen tale admiſere Latini, ut Græci calumniabantur; immo ipſi haud diſſimiliter benedicunt carnes in Paſchate: ut liquet ex eorum Euchologio.

Qu. I. Cur in Paſchate benedicantur Agnus, & Ova? 54

℞. Quia cum per Quadrageſimam abſtinuerimus a carne, & ab iis, quæ ex carne trahunt originem, quemadmodum ſunt præcipue Ova: congruit, cum ſpeciali benedictione, ciborum hujuſmodi in Paſchate reſumere uſum; præſertim quia Dæmonium meridianum hoc tempore ſatagit magis, ſupplantare nos, ſuggerendo videlicet crapulam, & immoderatum uſum ciborum Paſchalium; unde, ut infra dicemus artic. ſequenti, Joannes Beleth, Durandus, aliique volunt, in die Paſchæ neminem debere omittere conſuetam benedictionem menſæ: ne poſt longum jejunium fiat ex ſuggeſtione Diaboli exceſſus in cibo.

Inter ea, quæ ex carne trahunt originem, ſelecta ſunt Ova, ut benedicantur in Paſchate ſpeciali benedictione hodierna, non ſolum quia præcipue veniunt inter ea, quæ ex carne trahunt originem, ut jam innuimus: verum etiam, proculdubio, ut aliquod Symbolum Reſurrectionis, quam confitemur de Chriſto

Digitized by Google

Domino, & cujus nos ſperamus aliquando fore conſortes. Quam rationem indicat Quarti *de Benedict. tit.* 3. *ſect.* 4. *prælud.* 2. Qui etiam ibi quædam breviter alia proponit, & explicat myſteria, ac documenta Eccleſiæ benedictionis hujuſmodi.

Ex carnibus autem benedicendis benedictione hac ſpeciali ſeligitur Agnus in Paſchate, ut notum Symbolum Chriſti Salvatoris, qui dicitur Agnus Dei: Joann. 1. 29. & Agnus occiſus ab origine Mundi. *Apoc.* 13. 8. & immolatus eſt pro nobis, 1. *ad Cor.* 5. 7. In cujus figura præceſſit Agnus Paſchalis Hebræorum: quemadmodum vidimus art. 1. qu. 1. erat enim ille Agnus irrationalis deducens nos ad magnum, & cœleſtem Agnum pro nobis, & univerſo Mundo mactatum, ait Sanctus Epiphanius hæreſi 8. Hanc rationem aſſignat Theophilus Raynaudus *tom.* 10. *tr. de Agno cereo c.* 9. *n.* 5. poſt initium; eamdem tradit etiam Durandus in Ration. lib. 6. c. 86. n. 7. ubi docet, hodie Agnum benedici a Sacerdote, ad repræſentandum, quod Deus, per Moſen, & populum Agnum comedi, juſſerit, in figuram Jeſu Chriſti, cujus ſanguine omnia primogenita ſibi de Mundo redemit, & Angelo nocte illa omnia primogenita in Ægypto percutiente, populum ſuum ſervavit Agni ſanguine prænotatum; ita Durandus; quæ quidem ratio ſignificatur in ipſa formula benedictionis hujuſmodi Agni Paſchalis; videri etiam poteſt Quarti *citat. tit.* 3. *ſect.* 3. *prælud.* 2.

55 Qu. II. Utrum poſſit benedici Agnus, non ſolum in fruſta conciſus, ſed etiam integer? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quod, benedicere Agnum integrum, videatur, ſapere judaicam ſuperſtitionem.

℞. Theophilus Raynaudus *to.* 10. *tr. de Agno cereo c.* 9. *nu.* 5. & iterum *to.* 16. *ſect.* 2. *pu.* 6. *§. penult. de calumn. Græcor. circa bened. Agni*; & Cavalerius in ſupra cit. d. 1. adducunt, ac reprehendunt Walafridum Strabonem *lib. de reb. Eccl. c.* 18. tamquam ibi exiſtimantem: benedicere Agnum in Paſchate, ſapere judaicam ſuperſtitionem. Sed Walafridus loco cit. non videtur, arguere ſuperſtitionis judaicæ, ſimpliciter benedicere Agnum, ſed benedicere Agni carnes ad Altare, benedictione propria, ſcilicet non inſtituta ab Eccleſia; eumque comedere cum cæremonia quadam; quæ ſapiat judaicam ſuperſtitionem; puta, ante alios cibos; En ejus verba: *Illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Paſcha* juxta, vel ſub Altari *eas ponentes, benedictione* propria *conſecrabant, & in ipſa Reſurrectionis die* ante cæteros corporales cibos *de ipſis carnibus percipiebant*. Hæc Walafridus. Cæterum quidquid ſit de Walafridi mente; Agnum in Paſchate etiam integrum benedici poſſe, Catholicorum ſenſum communem affirmare, teſtatur Gobat *to.* 2. *tract.* 5. *c.* 23. *ſect.* 5. *qu.* 4. *n.* 251. & Gretſerus *lib.* 2. *de Benedict. c.* 42.

Confirmari poſſet ex eo, quia in Miſſali Romano in titulo benedictionis hujus non dicitur: Benedictio *carnis* Agni: ſed ſimpliciter: Benedictio *Agni*: unde ſignificatur, Agnum etiam integrum benedici poſſe. Et quamvis in formula ipſa benedictionis, quæ deinde ſubditur, oretur Deus, ut benedicat *hanc creaturam carnis*; id ideo dicitur, quia Agnus benedicitur, ut caro eſt, ſeu quidam

cibus

Digitized by Google

cibus carnalis ſumendus ad nutritionem corporalem, ut proſit manducantibus: quemadmodum de generali benedictione ciborum in menſa docuimus, & explicavimus tract. 1. l. 1. c. 7. qu. 4. Specialis autem benedictio pro carne Agni in Paſcha proponitur propter ea, quæ dicta ſunt præcedenti quæſtione. Ex eo autem quod benedicatur Agnus ex intentione, ut in cibum adhibitus, ſit ſalutaris animæ, & corpori: non eſt unde hic ſuperſtitio judaica timeatur; ut animadvertit Gobat loc. cit. Rurſus ex eo, quod benedicatur Agnus etiam integer, attamen ut Symbolum Chriſti Salvatoris, qui dicitur *Agnus Dei*: quemadmodum explicatum eſt ſupra qu. præcedenti: nec inde ſequitur, nos judaizare, quia ſic non utimur ritu judaico, ut notum eſt; nec agimus animo judaico, ſed Chriſtiano; ut patet; quæ utique ratio eſt, ob quam non dicimur, judaizare, celebrando Paſcha, aut Pentecoſtem, etiamſi Hebræi quoque has celebrent ſolemnitates; Nec adhibendo ritum Purificationis Mulierum poſt partum: ut vidimus tr. 1. 2. Februar. art. 1. Et ſic manet ſoluta ratio dubitandi in quæſtione propoſita.

56 Qu. III. Utrum Oſſa, & Carnes Agni benedicti debeant religioſe tractari; unde non liceat, dare canibus, aut projicere in loca immunda?

℞. P. Jacobus Gretſerus *lib. 2. de benedict. cap.* 42. negat licere, Oſſa Agni benedicti, aut aliarum carnium benedictarum objicere canibus devoranda: tum propter illud Salvatoris: *Nolite ſanctum dare canibus*. Tum quia benedicta oportet religioſe tractari. Unde vult ejuſmodi Oſſa comburi, & cineres decenter tractari.

Sed contradicit Gobat. *l. ſupra cit. qu.* 5. *nu.* 253. & *ſequentib.* docens: nullam reverentiam religioſam deberi Agno benedicto ratione benedictionis. Id ipſum docet Theophilus Raynaudus *tom. 16. ſect. 2. pu. 6. prope fin.* Tamburinus *Meth. celebr. Miſſ. lib. 1. c. 2. §. 3. nu. 5.* Quarti *de benedict. tit. 1. ſect. 7. dub. 4. fine;* ubi generaliter loquitur de hujuſmodi benedictionibus; Idem tamquam probabilius ſuſtinet La-Croix *lib. 6. part. 1. qu. 41. §. 6. n.* 227. tum quod Oſſa Agni non cenſeantur benedici; ſed acceſſorie, & per accidens habeant ſe ad partes comeſtibiles, ſuper quas cenſetur cadere benedictio; quod etiam docet Raynaudus. Tum etiam quia res hujuſmodi non benedicuntur benedictione conſtitutiva, ſive conſecrativa: Id eſt, per quam reddantur res in rigore conſecratæ, ſed tantum benedictione invocativa, per quam ſolum invocatur ſpecialis aſſiſtentia Dei circa rerum illarum uſum; quæ autem ſic benedicuntur, poſſunt, inquit, adhiberi ad omnem uſum, ad quem poterant antequam benedicerentur: nam etiam ſæpiſſime a Sacerdote benedicuntur omnes cibi ante menſam: Et tamen poſtea ex iiſdem cibis datur canibus. Hac ipſa ratione utitur Gobat; quæ continet Cajetani Doctrinam; quam tamen nos nequaquam admiſimus tract. 1. l. 1. c. 7. de bened. Menſæ qu. 5. n. 16. & lib. 3. 2. Februar. art. 3. §. 8. qu. 3. nu. 47. Nihilominus & nos in hac ſententia ſumus: quod nimirum Agno benedicto nullus debeatur religioſus reſpectus, & reverentia religioſa. Id tamen diverſa ratione tuemur: Videlicet ex eo quod Agnus, & hujuſmodi res comeſtibiles

les benedicantur benedictione *ſimpliciter* invocativa. Quæ autem ſic benedicuntur, poſſunt adhiberi ut prius; Quid vero importet benedictio *ſimpliciter* invocativa? & quare ei non competat religioſa reverentia ulla? explicatum eſt ſunt, atque probatum a citatis quæſtionibus 3. & 5.

Ad rationes autem a Gretſero adductas reſpondemus etiam, dicendo ad primam: Carnes Agni benedicti non eſſe quid Sanctum. Ad ſecundam: non omnia, quæ ſunt benedicta, debere religioſe tractari, ut apparet in thalamo, Culina, lardario benedictis, de quibus ipſemet Gretſerus lib. 2. 49.

57 Qu. IV. Utrum Ovis benedictis debeatur religioſus aliquis reſpectus, ex quo non poſſint ipſa Ovorum putamina projici infimetum?

℞. Gretſerus quod de Oſſibus Agni benedicti voluerat, idem affirmat de Ovis benedictis; putat igitur, & ipſa debere religioſe tractari, eorumque putamina comburi, aut ſaltem ad quiſquilias non amandari. Sed in his quoque contradicunt Raynaud. Tamb. Gob. & La-Croix. locis præcedenti qu. citatis ob rationes eaſdem, quas ibi aſſignarunt quoad Carnes, & Oſſa Agni Benedicti. Cum quibus ego ſentio, ob diverſam tamen meam rationem illam aſſignatam quoad Agnum quæſtione præcedenti, hic quo ad Ova ſimiliter facientem, quia videlicet Ova, ut reliqui cibi, benedicuntur benedictione *ſimpliciter* invocativa.

58 Qu. V. Utrum liceat ſolemniter benedicere Ova in Paſchate, & Agnum Paſchalem tempore Interdicti?

℞. Affirmavimus pro Interdicto locali Generali tr. 1. l. 1. c. 7. qu. 3. fine. At vero negavimus ibidem, quoad particulare. Et quidem in priori caſu, quia ſuſpenditur Interdictum locale generale in Paſchate. In poſteriori vero, quia non ſuſpenditur Interdictum locale particulare, ſecundum dicta hic art. 7. n. 32.

ARTICULUS XI.

De Benedictione Menſæ, & Gratiarum actione.

In die Paſchæ, & deinceps uſque ad Cœnam ſequentis Sabbati, ad benedicendam menſam, poſt *Benedicite;* dicitur ℣. *Hæc dies quam fecit Dominus. Alleluja.* ℞. *Exultemus, & lætemur in ea. Alleluja. Gloria Patri;* & alia de more. 59

In fine menſæ repetitur. ℣. *Hæc dies;* cum *Gloria Patri;* & alia de more; Sed dicitur Pſ. *Confitemini;* vel Pſalm. *Laudate Dominum omnes Gentes.* Rubr. Brev.

Modum prædictum benedicendi menſam, & gratias agendi in die Paſchæ, ſervandum uſque ad Cœnam excluſive Sabbati in Albis, eo quod ad Veſperas Sabbati cenſeatur expletum Officium Octavæ Paſchatis, cujus propria eſt prædicta particularis benedictio: Docet Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 9. c. 6. n.* 10. & conſentit Caval. *to.* 4. *c.* 25. *in d.* 2. *n.* 8.

Peculiari Benedictione benedici in Paſchate ſolere carnes Agni, & Ova, notavimus art. præcedenti. Baruffaldus item relatus a Caval. *cit. c.* 25. *in d.* 1. *n.* 4. priorem ex duabus benedictionibus panis in Miſſali aſſignatis exiſtimat propriam temporis Paſchalis, eo quod in oratione nominetur *Panis Angelorum:* & *Panis vitæ æternæ:* qui Paſchali tempore diſtribuitur ex præcepto.

Vult

60 Vult Joannes Beleth *de Divinis offic. cap.* 18. ne quid comedatur hac die Paſchæ, quod prius non ſit a Sacerdote benedictum; Idem dicit Durandus *in Ration. Offic. lib. 6. c.* 86. *n.* 7. quia, inquit, inimicus noſter nunc nos magis ſatagit ſupplantare; Quod admittit Quarti *de benedict. tit.* 3. *ſect.* 3. *prælud.* 2. *fine*; & Caval. *cit. cap.* 25. *initio*. Procul dubio ratione allegata alluditur ad exemplum Chriſti Domini, de quo legitur Matth. c. 4. v. 2. & 3. quod *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens tentator dixit ei &c.* Sicuti ergo Diabolus tentavit Chriſtum poſt Quadrageſimale jejunium, ita timere debemus, ne tentet & nos poſtquam modulo noſtro per Quadrageſimam jejunaverimus; & ne per ingluviem noceat. Quod ne nobis eveniat, ſunt præſertim hodie cibi benedicendi; vide dicta art. præced. qu. 1. Porro benedictio ciborum valet ad abigendos dæmones, ne nobis infeſti ſint, dum manducamus: & ad ſalutem confert animæ, & corporis manducantis: uti docuimus, & explicavimus tr. 1. l. 1. c. 7. qu. 4. Hoc autem hodie eſſe faciendum ex obligatione præcepti inſinuari a Durando, putat Raynaudus *tom.* 16. *ſect.* 2. *pu.* 6. verſus finem; ubi tamen recte docet: Obligationem hujuſmodi gratis invehi, nec habere ullum fundamentum, ſive in jure poſitivo, ſive in jure naturali; Ideoque non eſſe admittendam.

ARTICULUS XII.

De quadam vana obſervantia in Dom. Paſchæ.

Qu. An ſit ſuperſtitio, in feſto Paſchatis, vel alio ſolemni die abſtinere a carnibus: credendo, ſe per hoc infallibiliter liberandum a febri, aut alio malo? 61

℞. Affirmative. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 5. §. 2. *n.* 29.

CAPUT II.

Not. Fer. II. poſt Dom. Reſur.

EXPLICANTUR ARTICULIS V.

Art. I. *De Horis Canonicis.*
Art. II. *De Miſſa.*
Art. III. *Not. in feſto S. Marci Ev. occurrenti in fer. 2. Paſchæ.*
Art. IV. *De Functionibus Pontificalibus.*
Art. V. *De Exequiis recenter Defunctorum.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

Offic. ut in propr. dupl. 1. cl. ſi occurrat feſtum ſimplex, nulla fit de eo commemoratio. Vide dicta parte 1. hujus 2. par. c. 1. & par. 2. c. 1. ſect. 1. 1

ARTICULUS II.

De Miſſa.

Miſſa ut in propr. dupl. 1. cl. oratio unica; de ſimplici non fit commemoratio. Color param. alb. 2

Vide

Vide dicta par. 1. hujus 2. par. c. 2. & parte 2. c. 1. ſect. 2. col. param. alb. Utrum hodie liceat celebrare in Orat. privat. examinavimus tr. 1. 6. Januar. artic. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. quæſt. 3.

3 In hac feria 2. fit in Urbe Statio apud S. Petrum: propter hoc, inquit Durandus *in Ration. lib. 6. cap.* 90. fine, quod in Evangelio hujus Miſſæ habeatur: *& apparuit Simoni:* & quia ibidem dicitur: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis:* quoniam ipſe præ cæteris magis arſit, Dominum diligendo: ita Durandus; videri etiam poteſt Rupertus *de Divin. Offic. lib.* 8. *c.* 7.

Hanc feriam eſſe feſtivam de præcepto, habes ex dictis heri artic. 1. quæſt. 3.

ARTICULUS III.

Not. in feſto S. Marci Ev. occurrenti in feria II. Paſchæ.

4 Si hodie occurrat feſtum S. Marci Evangeliſtæ, quid notandum? vid. tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 2.

ARTICULUS IV.

De Functionibus Pontificalibus.

5 Celebratio Miſſæ in fer. 2. Paſchæ Reſurr. ſpectat ad ſecundum de Capitulo, ex D. S. C. R. 23. Martii 1709. in Compſana apud Meratum *in decr. Miſſ. n.* 611.

ARTICULUS V.

De exequiis recenter Defunctorum.

In feria 2. Paſchatis poteſt decantari unica Miſſa ſolemnis Defunct. præſente tamen cadavere. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii cap. 8. de die obit. ſeu depoſit. Def. art. 3. n. 22. 6

CAPUT III.

Not. fer. III. poſt Dominic. Reſurrect.

Explicantur Articulis III.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*
Art. III. *Not. in feſto S. Marci Ev. occurrenti in feria III.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

Offic. ut in propr. dupl. 1. claſ. ſi occurrat feſtum ſimplex, non fit de eo commem. Vide dicta hujus 2. partis parte 1. cap. 1. & parte 2. cap. 1. ſect. 1. 1

ARTICULUS II.

De Miſſa.

Miſſa ut in propr. dupl. 1. claſ. dicit. un. or. Si occurrat feſtum ſimpl. non fit de eo commem. col. param. alb. Vide dicta hujus 2. partis parte 1. c. 2. & parte 2. c. 1. ſect. 2. Utrum hodie liceat celebrare in Oratorio privato? Examinavimus tract. 1. 6. Januar. artic. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 3. Hodierna Statio eſt 2

apud

apud S. Paulum, quia, inquit Durand. *in ration. Offic. lib. 6. c. 91. verſus fin.* Miſſa eſt de Sapientia; ut patet ex Introitu; profectò S. Paulus fuit ſapientior omnibus Apoſtolis, inquit Dur. cui Dominus ſingulariter aperuit intelligentiam Scripturarum, de quibus legitur in Evangelio, & Introitu Miſſæ hodiernæ: Unde ipſe dicit: non a me, nec ab homine accepi Evangelium meum, ſed per revelationem Domini mei Jeſu Chriſti. Vel quia per eum maxime adimpletum eſt, quod in Evangelio legitur: ſcilicet, oportuit prædicari pœnitentiam in omnes gentes, ideo & ejus prædicatio legitur in hodierna lectione Actuum Apoſtolorum. Hæc Durandus. Videri etiam poteſt Rupert. *de divin Offic. l.* 8. *c.* 8.

3 Hanc feriam eſſe feſtivam de præcepto, habes ex dictis in Dom. Reſur. art. 1. qu. 3. Cum Gobat docuiſſet ex communi: Peregrinum non teneri audire Sacrum in Feſto etiam communi toti Eccleſiæ, ſi ſit in loco ubi non ſervetur; animadvertit id intelligi, ſi ſit in loco Catholico; Secus ſi in hæretico, ubi hæretici ex contemptu Eccleſiæ Feſtum illud non ſervent: & ponit exemplum hujus Feriæ tertiæ Paſchatis ſic: *Limita ad loca Catholica, ſi enim Feria III. Paſchatis, E.G. exiſtas Argentorati, Norimbergæ, ad S. Galli, aut Lindavii, vel Ulmæ, aut Memmingæ, in quibus urbibus negligitur illa feria, teneberis in Templo aliquo Monaſterii, domus Teutonicæ &c. iis urbibus incluſo, vel vicino intereſſe rei ſacræ; Eſt enim homine Catholico indigniſſimum, conformare ſe ritibus hæreticorum contrariis Religioni Orthodoxæ. Tannerus tom.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 3. *n.* 112. *teſtans, neminem a ſe lectum, qui diſſentiat: nec ego legi; at legi multos conſentientes Tannero.* Hæc Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *caſu* 17. *n.* 386. cujus, & aliorum ſententia hæc, ut veriſſima, eſt omnino ſequenda.

ARTICULUS III.

Not. in feſto S. Marci occurrente in feria III. Paſchæ.

SI hodie occurrat feſtum S. Marci Evangeliſtæ, quid notandum? vid. tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 2. 4

CAPUT IV.

Not. fer. IV. poſt Dominic. Reſurrect.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

OFFIC. ut in propr. & infra oct. In hac, & ſequentibus feriis infra Octav. Paſchæ, ſi occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commem. ſine lect. Vide dicta hujus 2. partis parte 1. cap. 1. & parte 2. cap. 2. ſect. 1. 1

ARTICULUS II.

De Miſſa.

MISSA ut in propr. ſemid. In hac, & ſequentibus feriis infra Oct. Paſchæ dicitur 2. or. tantum *Eccleſiæ* vel pro Papa. Vide dicta hujus 2. partis parte 1. c. 2. & parte 2. c. 2. ſect. 2. Col. Param. alb. Hodierna Statio eſt ad S. Laurentium, quia 2

in Evangelio fit mentio de magnis piſcibus, & fuit aſſatus pro Chriſto, ideo, inquit Durand. *in Ration. Offic. lib. 6. c. 92.* fit Statio ad B. Laurentium. Idipſum dicit Rupertus *de div. Offic. l. 8. c. 10.*

3 Qu. Utrum feria quarta poſt Paſcha ſit colenda ex præcepto?

℟. Negative, niſi aliunde occurrat feſtum ex præcepto. Vide dicta hujus 2. par. parte 1. c. 2. n. 3.

CAPUT V.

Not. Fer. V. poſt Dom. Reſur.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Horis Canonicis.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

1 OFFIC. ſemidupl. ut in prop. & heri.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

2 MISSA ut in propr. & heri ſemid. col. par. alb. Hodierna Statio eſt ad Sanctos duodecim Apoſtolos, quia, inquit Durand. in Ration. Off. l. 6. c. 93. fine, in Philippo, de quo in Epiſtola, quique interpretatur *os lampadis*, intelliguntur omnes Apoſtoli, per quorum prædicationem converſio gentium, de qua agit Miſſa, facta eſt. Item quia Fratres Domini, de quibus in Evangelio legitur, ſunt Apoſtoli, per quos os muti apertum eſt, & diſertæ factæ linguæ infantium. Idem dicit Rupert. l. 8. c. 12.

CAPUT VI.

Not. fer. VI. poſt Dom. Reſur.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Hor. Canon.

OFFIC. Semid. ut in propr. & heri. 1

ARTICULUS II.

De Miſſa.

MISSA ut in propr. & heri ſemid. col. par. alb. Hodierna Statio eſt ad S. Mariam ad Martyres, quia, inquit Durand. *in Rat. l. 6. c. 94. fine.* Beata Virgo creditur interfuiſſe inſtitutioni Baptiſmi, de qua agitur in Miſſa; hæc enim in domo ejus apud Nazareth facta eſt. Ita Durandus, qui allegat auctoritatem S. Hieronymi. Idem dicit, & eamdem Hieronymi auctoritatem allegat Rupertus *de divin. Offic. lib. 8. c. 14.* 2

CAPUT VII.

Not. in Sabbato poſt Dom. Reſur. quod eſt Sabbatum in Albis.

Explicantur Articulis IV.

Art. I. *De Horis Canonicis; ubi cur hoc Sabbatum vocetur in Albis?*

Art. II. *De Miſſa.*

Art. III. *Not. pro Benedictione menſæ, & gratiarum actione.*

Art. IV. *De Formis Cereis, quæ vulgo vocantur Agnus Dei.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis;
Ubi
Cur hoc Sabbatum vocetur in Albis?

1 SAB. in Alb. ſemid. ut in propr. & heri. Ad Nonam hujus Sabbati, finita Miſſa, terminatur Octava Paſchæ *Rubr. Gen. Brev. tit. 7. n. 2. & Rub. Miſſ.* Cum Solemnitas Paſchalis cœperit a Miſſa in Sabbato Sancto, hinc rite in hoc Sabbato, quod octava recurrit die, poſt Miſſam, Octava Paſchæ decernitur abſoluta. Sed quid igitur titulus præfixus Officio, & Miſſæ Dominicæ ſequentis in Albis, habet: *Dominica in Albis in Octava Paſchæ?* Huic quæſtioni reſpondebimus in ſequenti Dominica in Albis ſect. 2. n. 6.

Veſperæ rit. dupl. ut in propr. ſimiliter Completorium ut in Breviario hic.

2 Qu. Cur hoc Sabbatum vocetur in *Albis?*

℟. Hoc Sabbatum vocatur in *Albis*, vel quia eo Neophyti veſtibus Albis induebantur; vel contra, quia exuebantur: juxta diverſitatem opinionum, vel potius ſecundum conſuetudinem variam Eccleſiarum.

Sciendum enim eſt primo, quod olim Neophyti, ſeu recenter baptizati ſolemniter in Sabbato Sancto, induebantur veſtibus albis, quibus ſignificabatur innocentiæ ſtola, quæ hominibus redditur in baptiſmo. *C. poſt Baptiſmum 91. & C. Accepiſti 92. diſt. 4. de Conſecr.* Beleth. *de divin. Offic. c.* 110. ex Beda Amalarius *de Eccl. Offic. l. 1. c.* 39. Rabanus *de inſtitut. Cleric. l. 1. c.* 29. Honorius *in Gemma l. 1. c.* 243. Hugo Victor. *de Sacram. Eccleſiaſt. l. 1. c.* 20. Hujuſmodi autem veſtibus albis Neophyti induebantur in hoc Sabbato in nonnullis Eccleſiis, ut tradit Joan Beleth *de Divin. Offic c.* 121. poſt initium. Jam vero ex illa conſuetudine, dicit Beleth, hoc Sabbatum *in Albis* appellari: quia nimirum in eo Neophyti veſtibus albis induebantur. Juxta hanc conſuetudinem, voci *in Albis* ſubintelligitur verbum: *Aſſumptis*, *impoſitis*, *geſtatis*: aut quid ſimile. Huic opinioni, ſeu teſtimonio videtur ſavere, quod etiam nunc Dominica, quæ hoc Sabbatum ſequitur, vocetur *in Albis*, & hebdomada ſequens item vocetur *in Albis*; Supponendo quod intelligatur verbum *geſtatis*, aut quid ſimile, ut jam diximus. Porro Neophyti veſtes albas geſtare omnino debebant ſeptem, ſeu octo dierum ſpatio, ut habetur ex Ordine Romano; cujus numeri dierum rationes myſticas aſſignant vulgatus Alcuinus *de Divin. Offic. C. de Sab. in Alb.* Amalarius *de Eccl. Offic. l. 1. c.* 29. Beleth *c.* 210. Atque adeo baptizati in Paſchate, ferebant veſtes albas in hoc Sabbato, & per hebdomadam ſequentem uſque ad Sabba-

tum. Juxta hanc igitur conſuetudinem, ideo hoc Sabbatum *in Albis* vocamus, & Dominicam ſequentem *in Albis* cum ſua hebdomada, quia Neophyti, ſeu ſolemniter baptizati in Paſchate, ambulabant *in Albis*, ſeu veſtibus Albis induti in hoc Sabbato & ſequenti Dominica, atque hebdomada uſque ad Sabbatum ſequens.

Sciendum 2. Apud alias Eccleſias Neophytos conſuevisſe prædictis veſtibus albis indui in ipſo Sabbato Sancto, mox poſt baptiſmum ſolemniter ſuſceptum in eo; ut habetur in Ordine Romano, & tradit etiam Amalarius, & Alcuinus l.l. cit. Durandus *in Ration. lib. 6. c. 83. a n. 66.* ubi plura habet de veſte alba Neophytorum, & c. 86. n. 16. atque id dicit Beleth cit. c. 121. Hugo Victor. *de Miſſ. obſerv. l. 3. c. 27.* Sed apud has quoque Eccleſias Neophyti geſtabant veſtes albas ſeptem, ſeu octo dierum ſpatio, quas dies ideo vocabant *dies albas*, teſte Rabano *Inſtit. Cleric. l. 2. c. 39. fine*; atque eas veſtes deponebant in hoc Sabbato poſt Paſcha: ut dicitur in cit. Ordine Romano antiquo tit. de Septuageſima, & tit. de Sabbato infra albas; & a Ruperto *de Divin. Offic. l. 8. c. 15.* Hug. Amalar. Alcuin. l.l. cit. Id ipſum docet, & probat Theophilus, Raynaudus *tom. 10. de Agno Cereo c. 7. n. 8.* Jam vero affirmat Durandus cit. c. 86. ideo hoc Sabbatum appellari *in Albis*, quia Neophyti, ſeu recenter baptizati in Paſchate, deponebant in hoc Sabbato veſtes albas, quas induerant in Sabbato Sancto. Id etiam inſinuatur apud Burium in Onomaſtico Etymologico, V. *Dominica in Albis*: ubi aſſeritur: Sabbatum *in Albis* vocari, quia erat ultima dies albarum veſtium. Juxta vero prædictam conſuetudinem, voci *in Albis* ſubintelligitur verbum *depoſitis*. Huic opinioni, ſeu teſtimonio favet, quod in Miſſa Ambroſiana, Dominica in Albis vocetur *Dominica in Albis depoſitis*. Unde dicendum eſt: hoc Sabbatum, juxta explicatam conſuetudinem, appellatum fuiſſe *in Albis*; ſubintelligendo vocem *depoſitis*. Atque adeo ſimiliter nuncupatum *Sabbatum in Albis depoſitis*. Favet inſuper laudatus Ordo Romanus, in quo Dominica ſequens vocatur *Dominica poſt Albas*; & ita etiam a S. Gregorio, & vulgato Alcuino nuncupatur, ut ibi notabimus n. 1.

Itaque hoc Sabbatum vocatur *in Albis*, vel quia in eo Neophyti veſtibus albis induebantur; vel contra, quia in eo deponebant veſtes albas in Baptiſmo receptas in præcedenti Sabbato Sancto; ita ut in priori ſententia ſeu juxta priorem conſuetudinem, voci *in Albis* ſubintelligatur verbum *impoſitis*: *geſtatis*: *aſſumptis*: aut quid ſimile; in poſteriori autem ſententia, ſeu juxta poſteriorem conſuetudinem, voci *in Albis*, ſubintelligatur verbum *depoſitis*.

Sed interrogabis: Quare Sabbatum poſt Pentecoſten non vocetur item *in Albis*? Profecto, ut nos notavimus in Sab. Sancto, non ſolum in Paſchate adminiſtrabatur Baptiſmus ſolemnis, verum etiam in Pentecoſte; atque adeo & in Pentecoſte Neophyti induebantur veſtibus albis. Quare ergo Sabbatum poſt Pentecoſten non vocatur ſimiliter Sabbatum *in Albis*? 4

℟. Huic Interrogationi reſpondetur apud Burium loco cit. dicendo: Id eſſe, quia primitus, tantum in Paſchate baptizabantur Neophyti, & nomen *in Albis* tunc ortum; Etſi autem deinde etiam in Pentecoſte id fie-

Digitized by Google

fieret, nomen tamen *in Albis* tranſlatum non fuit, quia in Pentecoſte propter ignem Spiritus Sancti, omnia in rubris ſunt.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

5 MISSA ut in propr. Color Param. alb. Hodierna Statio ad S. Joannem in Laterano, quia enim ibi in præcedenti Sabbato baptizati ſunt pueri, & in octava die in lege circumcidebantur: ideo recte hac die ibi conveniunt, ut hoc ſpiritualiter agatur cum baptizatis; & hoc eſt, quod dicitur in Epiſtola hodiernæ Miſſæ: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum &c. ſicut modo geniti infantes;* ne per feneſtras quinque ſenſuum intret mors; Ita Durandus *in Rat. Offic. lib. 6. c. 95. n. 5.* Rupert. *de Div. Offic. l. 8. c. 16.*

6 Ab hac die incluſive omittitur Graduale toto Paſchali tempore, hoc eſt uſque ad octavam Pentecoſtes, tam in Officio de tempore, quam de Sanctis. Graduale (ita dictum, eo quod caneretur tempore, quo Diaconus aſcendebat gradus ſuggeſtus, ut ibi juxta priſcorum temporum conſuetudinem caneret Evangelium; uti ex Rhenano tradit Bellarminus *de Miſſa l. 2. c. 16.* confer Meratum *to. 1. par. 1. tit. 10. n. 2.*) lamentum indicat, & laborem: (aliam quoque ſignificationem notavimus in Sab. Sancto n. 356.) quæ non congruunt cum tempore ſummæ lætitiæ Paſchalis. Summa vero fuit lætitia poſt recuperatum Thomam in Dominica in Albis, in cujus præcedenti hoc Sabbato ideo ceſſant Gradualia. Eorum autem loco dicuntur duo verſus, qui nihil ſiniſtrum, aut triſte ſonant; ut ex Innocentio notat Gavantus *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 10. n. 2. lit. p.* Quod ſi infra Octavam Paſchæ, in præcedentibus diebus dictum eſt Graduale, id factum fuit propter recenter baptizatos, ut ſuo loco explicavimus. Rurſus, dicit Rupertus *de Divin. Offic. l. 8. c. 15.* Graduale ab hac die omitti, & in *Alleluja* converti, quia Neophyti, ob quorum reſpectum fuerat recitatum, jam depoſitis albis, ab hac die pares nobis ſunt in contemplatione Beatitudinis æternæ, cujus ſtatum ſignificat tempus a Paſchate ad Pentecoſtem; idem innuit Hugo Victor. *de Eccl. Offic. l. 2. c. 18.* Itaque ab hac die incluſive uſque ad Octavam Pentecoſtes tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis non dicitur Graduale: ſed ejus loco dicuntur duo verſus cum quatuor *Alleluja* hoc ordine: videlicet, dicuntur duo *Alleluja* ante primum verſum, & unum *Alleluja* poſt eumdem primum verſum; & unum *Alleluja* poſt ſecundum verſum. Cum autem dicitur Sequentia, tunc unum illud *Alleluja*, quod dicendum eſſet poſt ſecundum verſum, dicitur poſt Sequentiam. *Rub. Miſſ. in Sab. in Alb. & gener. tit. 10. n. 2. & 3.* A prædicta vero Regula excipiuntur Miſſæ Rogationum, & Vigiliæ Pentecoſtes, nec non Sabbati quatuor Temporum infra hebd. Pentecoſtes, in quibus *Alleluja* dicitur, ut proprio loco in Miſſali. Præfatus ritus, dicendi *Alleluja*, ſervatur etiam in Miſſis votivis, vel ut in proprio deſignatur, vel ut in reſpectivo communi habetur. Cum aliis Meratus *tom. 1. par. 1. tit. 4. n. 45.* Quot autem dicantur *Alleluja*, quove ordine extra tempus Paſchale? Explicabimus l. 6. par. 1. c. 2.

Ad

Digitized by Google

7 Adhuc in Miſſa hujus diei dicuntur Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria Paſchæ; & in Præfatione adhuc dicitur ℣. *In hac potiſſimum die*: & in fine Miſſæ duplex *Alleluja* poſt *Ite Miſſa eſt*: quia Octava Paſchæ terminatur hodie *finita Miſſa*. Rubr. Miſſ. hic.

ARTICULUS III.

Not. Pro Benedict. Menſæ, & gratiarum actione.

8 IN Cœna hujus Sabbati adhibenda eſt ordinaria, & quotidiana formula benedicendi Menſam, & gratias agendi: eo quod ad Veſperas Sabbati hujus cenſetur expletum Officium Octavæ Paſchatis; atque adeo ceſſat benedictio propria Paſchæ; quemadmodum ex Gavanto, & Cavalerio docuimus in Dom. Reſur. art. II. Ubi autem celebretur jejunium, puta Litaniarum S. Marci; ad Benedictionem Menſæ in meridie retinendam eſſe Paſchalem formulam ben. Cœnæ: docebimus in Sab. poſt Dom. Pentecoſtes art. 3. n. 9.

ARTICULUS IV.

De Formis Cereis, quæ vulgo vocantur Agnus-Dei.

9 ECCLESIÆ Catholicæ inſtituto veteri Summi conſuevere Pontifices primo initæ Pontificiæ Sedis anno, & deinceps quolibet ſeptennio, ſolemni precationum ritu, multiſque cœremoniis ſacris conſecrare in Sabbato Sancto quaſdam formas ex Cera alba, pura, virginea, ſeu recenti ex alveari, quæ quidem formæ vulgo vocantur *Agnus-Dei* a figura Agni illis impreſſa; eaſque deinde omnino gratis populo diſtribuere in Sabbato in Albis, in Miſſa poſt. *Agnus Dei*. Cærem. Papæ lib. 1. c. 8. Ordo Rom. *tit. de bened. Cerei*, *& de ordine in Octavis Paſchæ*. Amalarius *l.* 1. *de Divin. Offic. c.* 16. Durand. *in Ration. Divin. Offic. lib.* 6. *c.* 79. *initio*, *& c.* 95. *fine*. Azorius *inſtit. moral. par.* 1. *l.* 9. *c.* 9. *qu.* 1. Suar. *de Relig. tom.* 1. *tr.* 3. *l.* 4. *c.* 14. *n.* 16. Quarti *de bened. tit.* 2. *ſect.* 8. *prælud.* 1. Theophil. Raynaud. *tom.* 10. *tract. de Agno Cereo c.* 8. *n.* 4.

Hujuſmodi autem *Agnus-Dei* in Sabbato Sancto fuiſſe confectos de Cera nova benedicta, vel de Cera Cerei Paſchalis anni præcedentis, admixto ſacro Chriſmate, ab Acolytis Eccleſiæ Romanæ: tradit Durand. cit. c. 79. videri etiam poteſt Raynaudus l. cit. n. 6. In laudato item Ordine Romano antiquiſſimo *cit. tit. de benedictione Cerei* legitur: *In Catholica Eccleſia infra Civitatem Romanam ..... mane primo, Sabbato Sancto venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit Ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat eos in loco mundo.*

At vero Quarti cit. ſect. 8. initio hæc ſcribit: *De hac ſolemni benedictione ſic habetur in Cæremoniali Papæ lib.* 1. *c.* 8. *Agni-Dei ſoliti ſunt benedici a Summo Pontifice primo anno ſui Pontificatus, & deinde ſeptimo quoque anno, dum vivit. Antiquitus Ceram mollificabant Oleo Sancto, & Oleo Chriſmatis; deinde Agni Dei benedicebantur per Papam; hodie vero Cera ſumitur vel ex Cereo benedicto in Sabbato Sancto anni præteriti, vel aliunde expenſis Papæ; Non ſit mixtio Chriſmatis cum Cera*

ra in ipſa confectione Agnorum, ſed puri formantur. Deinde a Pontifice primo benedicitur aqua, in quam Agni prædicti immergi debent, & in ipſam aquam infunduntur balſamum, & Sanctum Chriſma &c. Addit Caſtald. in prax. Cærem. lib. 3. *ſect.* 9. *c.* 3. *modo obſoletam eſſe conſuetudinem conficiendi Agnos ex Cereo Benedicto, ſed ex puriſſima Cera per Sacriſtam formari benedicendos deinde a Summo Pontifice.* Hæc Quarti.

Nunc quidem, ut initio ſignificavimus, prædicti *Agnus-Dei* formantur ex Cera alba, pura, virginea, ſeu recenti ex Alveari: conſecrantur autem immergendo illos in aqua prius benedicta, ac Balſamo, & Chriſmate mixta, ac Summus Pontifex iam ante, quam poſt merſionem ſanctiſſimis precibus Deum exorat, ut eas formas benedicere, ſanctificare, & conſecrare dignetur, ſicque tantam impertiat virtutem, ut quicumque recta fide, ac vera pietate iiſdem uſus fuerit; ea dona, & beneficia conſequatur, quæ explicabuntur inferius.

Ritum vero prædictum, plerique opinantur, originem traxiſſe ex eo, quod olim diſpertiebantur fidelibus quædam particulæ Cereæ deſumptæ ex magno Cereo Paſchali benedicto, ut refert Bened. XIV. *de Feſt. Dom.* c. 8. §. 5. Clarius rem hanc tradit Raynaudus l. cit. n. 16. in fine, & n. 19. fine, ubi ſcribit: extra Urbem Romanam diſpertitas fuiſſe populo particulas Cerei Paſchalis ad ſuffumigandum pio, ac religioſo animo, avertendaque alia mala, & bona conciliand a. Romæ vero ad hunc ipſum finem inſtitutos fuiſſe propter commodiorem uſum, ac diſtributos eſſe populo Cereos *Agnus-Dei*; licet huiuſmodi finis fuerit ſecundarius: Primarius autem aſſignabitur infra qu. 1. Profecto in laudato Ordine Romano *tit. de ben. Cerei*, deſcripto benedictionis Cerei magni Paſchalis ritu, ſimili ei, qui nunc ſervatur, ſubditur: *Et hic Ordo Cerei benedicendi in forenſibus Civitatibus agitur. Nam in Catholica Eccleſia infra Civitatem Romanam non ſic benedicitur: ſed mane primo, Sabbato Sancto venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit Ceram in vas mundum majus, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit Ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem Agnorum, & ſervat eos in loco mundo.* Et infra: *In Octava vero Paſchæ dantur ipſi Agni ab Archidiacono in ipſa Eccleſia poſt Miſſam, & Communionem populo, & ex eis faciunt incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis, pro quacumque tribulatione eis venerit neceſſitas. Similiter & in forenſibus Civitatibus de Cereo faciunt.* Hæc Ordo Romanus loc. cit. eadem habet tit. *de Ordine in Octavis Paſchæ.*

Huiuſmodi autem *Agnus-Dei* ſignificant Agnum illum Immaculatum, Chriſtum Dominnm, qui tollit peccata Mundi. Vid. Alcuin. *lib. de div. Offic. c. de Sab. S.* Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 17. Theoph. Raynaud. *c.* 9. qui etiam c. 10. n. 12. & 13. docet, & probat, eos inter Sacramentalia eſſe cenſendos; nimirum inter ea, quæ venialia peccata remittunt ex opere ſaltem operantis; (confer dicta tr. 1. in Dominica art. 3. n. 47.) & videri etiam poteſt Quarti l. cit. prælud. 3. & favet Benedictus XIV. loco laudando qu. 1. prope fin. Quidam, (etiam Catholici) ſentierunt hanc Chriſti Domini imaginem improbari in VI. Synodo Generali can. 82. & in Epiſtola Adriani P. ad Taraſium Patriarcham Conſtanti-

tinopolitanum recitata in Synodo VII. Actione 2. & refertur, *C. Sextam* 28. *diſt.* 3. *de conſecr.* Verum ut obſervat Bellarminus *tom.* 2. *Controv. gen.* 4. *lib.* 2. *de Reliqu. & Imag. Sanct.* c. 8. & Azorius *inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 9. *c.* 7. *qu.* 3. in allegato Canone non damnatur Imago Chriſti in figura Agni; ſed ſolum conſtituitur, ut Chriſtus depingatur in figura humana potius, quam in figura Agni. Vide dicenda in Dom. 1. poſt Pentec. ſect. 1. num. 4. videri quoque poteſt Raynaudus cit. c. 9. n. 10. Benedict. XIV. *to.* 1. *conſtit.* 141. incip. *Solicitudini* §. 36. Dicit etiam Durandus: hos Agnes Cereos ſignificare Agnos novellos, ideſt Chriſtianos recenter baptizatos, de quibus cantat Eccleſia in hoc Sabbato in Albis. Et confirmat ex eo, quod in Dominica in Albis ſequenti, menſam intrante Pontifice Summo, & Agnos Cereos Capellanis, & familiaribus ſuis diſtribuere volente, unus Acolythus ſolemniter portans, & præſentans ei Agnos ipſos, dicit ter alta voce: *Pater Sancte, iſti ſunt Agni novelli, qui annuntiaverunt Alleluja, modo venerunt ad fontes: repleti ſunt claritate.* Quæ ſunt verba Reſponſorii poſt ſecundam Lectionem Nocturni hujus Sabbati in Albis. Hoc ipſum late, & erudite oſtendit Raynaudus l. cit. c. 8. & favent dicenda qu. 1.

Conficiuntur prædicti *Agnus-Dei* ex Cera alba, pura, virginea: quo humana denotatur natura a Chriſto, virtute Divina, ſine ulla mixtione, aut contagione culpæ in puriſſimo Mariæ Virginis utero aſſumpta. Bened. XIV. in formula de ritu, & uſu bened. *Agnus-Dei*; quam laudabimus infra qu. 1. Vide etiam dicenda qu. 3.

Adhibetur aqua benedicta; quo nimirum elemento cum in veteri, tum in novo Fœdere præclara Sacramenta, & prodigia a Deo effecta ſunt. Idem ibid.

Miſcetur in ea Balſamum; quo bonus Chriſti odor ſignificetur, quem in omni actu, & converſatione redolere debent Chriſti fideles. Super infunditur Chriſma: quo res aliæ Divino cultui ſpecialiter addictæ, veluti templa, Altaria, Sacerdotes, præparari ſolent, ac conſecrari; atque in eo præſtantiſſima virtutum omnium Charitas figuratur. *Idem ibid.* Item quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus plenus eſt Miſericordia, quæ bene per oleum deſignatur. Durand. cit. c. 79. n. 2. vel, ut ait Raynaudus cit. c. 8. n. 3., quia Chriſma ob mixturam, & compoſitionem belle reſpondet unioni hypoſtaticæ; ob fragrantiam vero, donis gratiæ Chriſtum uberrime perfundentibus.

In Paſchate diſtribuuntur, ut in memoriam revocetur verus Agnus Paſchalis, Salvator noſter pro nobis immolatus. Item in Octava Paſchæ diſtribuuntur, quia in Reſurrectione univerſali, quæ per diem Octavam ſignificari ſolet, Chriſtus fidelibus in præmio tribuetur, inquit Durandus cit. c. 79. fine; Ideſt tribuetur juſtis beatitudo completa quo ad glorificationem etiam corporis. Rationem quoque aliam, cur diſtribuantur in Sabbato in Albis, mox ſignificabimus qu. 1.

Dicit autem Quarti *cit. ſect.* 8. *prælud.* 2. *fine:* prædictorum *Agnus-Dei* benedictionem a Summo Pontifice præter primum annum ſui Pontificatus, fieri deinde ſeptimo quoque anno dum vivit, propter Agnum deſcriptum in Apoc. c. 5. habentem cornua

cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, ut ipſe Joannes interpretatur ibidem. Item quia ſolus Agnus inventus eſt aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus, videlicet Chriſtus Dominus; Unde in his Cereis formari ſolet Agnus ſuper librum: quo denotatur Evangelium; ſeptem vero oculi, & ſeptem ſignacula deſignant ſeptem dona Spiritus Sancti, quibus Chriſtus repletus fuit; vel ſeptem Sacramenta, quæ ipſe Chriſtus inſtituit; vel ſeptem gradus Sacramenti Ordinis, vel plenitudinem myſteriorum Sacræ Scripturæ. Ita Quarti ex Cornelio A Lapide in Apocal.

Denique hujuſmodi *Agnus-Dei* diſtribuuntur a Summo Pontifice, & diſpertiuntur inde per univerſum orbem, ad ſignificandam ſupremam juriſdictionem ejuſdem in omnes Orbis terræ fideles; ut ait idem Quarti cit. prælud. 2.

11 Qu. I. Clarius explicari ad quem finem prædicti *Agnus-Dei* benedicantur, & in quem uſum a Fidelibus ſint adhibendi?

℟. Hujuſmodi *Agnus-Dei* excogitavit Eccleſia Romana, ut eſſent Symbolum Chriſtiani hominis, qui per baptiſmum factus eſt filius Dei. Quomodo autem ſint tale Symbolum? oſtendit Raynaudus l. cit. c. 8. a n. 1. Et inſuper inſtituti ſunt, ut iiſdem populus uteretur ad avertenda mala plura, concilianda autem bona. Ad cujus duplicis finis intelligentiam pleniorem

Sciendum eſt I. quod, ut notavimus in Sab. Sancto ſubſ. 3. §. 4. n. 319. initio, inſtitutus Cereus Paſchalis in univerſa Eccleſia primario fuit, ut eſſet imago baptiſmi Emblematica, ac Symbolica; quapropter Cerei magni vice, ſingulis, qui baptizabantur, unus modicus Cereus, ſeu Candela parva dabatur; ut illam aſſervarent, ad refricandam ſuſcepti baptiſmi memoriam. Jam vero in Urbe Romana inſtituti deinde ſunt prædicti Cerei *Agnus-Dei*, ut etiam eſſent Symbolum præfatum ſuſcepti baptiſmi; & quibuslibet recenter baptizatis, poſtquam depoſuerant veſtem albam, quæ erat inſigne recenter ſuſcepti baptiſmi, dabatur Cereus *Agnus-Dei*, propter commodiorem geſtationem ejus, quàm illius communis Cerei; ſeu Candelæ. Qui quidem *Agnus-Dei* collo appendebatur, ut memoria ſuſcepti baptiſmi cum veſte baptiſmali non abjiceretur; Sed excitante Sacro hoc monimento, oculos ſemper feriente, ac pendente de collo, viva ſemper, & numquam obliteranda perſtaret. Et hæc quidem eſt principalis cauſa inſtitutionis hujuſmodi. Vid. Raynaud. l. infra cit.

Hinc etiam habes rationem aliam, præter eam, quam ſupra n. præced. aſſignavimus, cur *Agnus-Dei* diſtribuantur populo in Sabbato in Albis? Supponitur autem hic, veſtes albas a Neophytis in hoc Sabbato fuiſſe depoſitas; recole dicta art. 1. num. 3.

Pro intelligentia vero cauſæ ſecundariæ, cur videlicet prædicti *Agnus-Dei* fuerint inſtituti? Sciendum 2. quod, ut ſuperius indicavimus n. 9. olim diſpertiebantur populo particulæ Cerei Paſchalis ad ſuffumigandum pio, ac religioſo animo, avertendaque varia mala, & bona concilianda; hæc fuit cauſa, quæ ſecundario acceſſit inſtitutioni Cerei Paſchalis. Similiter autem accidit his *Agnus-Dei* in Urbe Romana. Enimvero prædicto uſui primario, qui unicus præfixus eſt

eſt inſtitutioni *Agnus Dei* Cereorum, acceſſit veluti Corollarium ex precibus, ac benedictionibus Eccleſiaſticis, quibus ad acceptiorem uſum horum *Agnus-Dei* in primarium ipſorum finem 1, interpellatur Deus, ut pleraque bona utentibus conferat, & ab iiſdem mala avertat. Qua de altera cauſa Cerei *Agnus Dei* diſtribuebantur etiam reliquis fidelibus in Octava Paſchæ, quibus ad finem hunc uterentur; quemadmodum extra Urbem diſtribuebantur particulæ Cerei Paſchalis, ut dictum eſt. Quod conſtat ex Ord. Rom. tit. *de bened. Cerei* ubi ſic legitur: *In Octava vero Paſchæ dantur ipſi Agni* (Cerei infra Civitatem Romanam) *ab Archidiacono in ipſa Eccleſia poſt Miſſam, & Communionem populo, & ex eis faciunt incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque tribulatione eis evenerit neceſſitas. Similiter & in forenſibus Civitatibus de Cereo* (Magno Paſchali) *faciunt*. Hæc Ordo Rom. Eadem ibidem habentur tit. de ordine in Octavis Paſchæ. Videri etiam poteſt Theophilus Raynaudus *cit. c.8. n. 6. & 16. fine, & 19. fine*.

Prædicto autem ſecundario uſui horum *Agnus-Dei* adhuc paululum inſiſtere juvat, ut illum explicemus. Itaque in benedictione, ſeu conſecratione hujuſmodi *Agnus-Dei* Cereorum Romanus Pontifex multa ſancte precatur a Deo, ut illis concedat, qui animo pio, ac religiogioſo eos Sacros *Agnus-Dei* ſecum habuerint; ut ſupra ſignificavimus. In Provinciali Concilio Mediolanenſi V. ſub S. Carolo Borromæo Cardinali celebrato par. 1. tit. de pertinent. in genere ad Sacramental. & Sacram. dicitur: antiqui eſſe inſtituti, *Agnus-Dei* Ceram adoleri ad ſuffumigationem in Agris, vineiſque, ob imminentem tempeſtatem, fulgura, fulmina, incendia, & grandinis vim, aliaſve diabolicas illuſiones depellendas. Profecto in Ordine Rom. cit. tit. de ordine in Octavis Paſchæ dicuntur hujuſmodi *Agnus-Dei*, & ſupradictæ particulæ Cerei Paſchalis donari populo, ut ex eis fideles faciant intra domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque neceſſitate; ſeu ponant in agris, vel in vineis (vide tamen dicenda qu.2.) propter illuſiones diabolicas, ſive contra fulgura, & tonitrua; idem dicunt Amalarius, & Alcuinus, ſimiliter Durandus *in Ration. cit. c. 79.* fine affirmat, hos *Agnus-Dei* ex vi Pontificiæ Benedictionis, ſeu conſecrationis habere virtutem defendendi fideles a fulgure, & tempeſtate; idem ex eo habet Azorius inſtit. Moral. par. 1. l. 9. c. 9. q. 2. fine. Qui etiam qu. 1. initio notat, Summi Pontificis precationem tanto majoris eſſe momenti, quanto ejus Officium eſt in Eccleſia ſublimius, & cum Chriſto Domino, cujus locum, & vices tenet in terra, conjunctius; Quod quidem dicitur in ſupra laudato Concilio Mediolan. Id ipſum docet Raynaudus *eodem tr. de Agno Cereo c. 10. n. 10.* De operibus autem ſupra naturam a Deo patratis in gratiam eorum, qui hos Cereos *Agnus Dei* uſurparunt, videri poteſt laudatus Raynaudus cit. cap. 10.

Confirmantur hæc auctoritate Summi Pontificis Benedicti XIV. & ſimul ex eodem alius adhuc quidam ſecundarius finis explicatur benedictionis hujuſmodi. Laudatus itaque Pontifex in quadam formula de ritu, & uſu Cerearum formarum hujuſmodi, ſeu *Agnus-Dei*, impreſſa de ejus Mandato

dato anno 1752: habeturque in Appendice n. v. ad Tomum tertium ejus Bullarii: Explicat ad quid hujuſmodi *Agnus Dei* benedicantur, & fidelibus diſtribuantur? nimirum ait: *I. ut aſpectu, vel contactu Agni in Cereis illis formis impreſſi excitentur fideles ad memoranda ſub eo Symbolo Redemptionis noſtræ myſteria, conceptiſque grati animi ſenſibus, Divinam in nos Bonitatem benedicant, venerentur, ac diligant: fidentes, fore ut per eam peccatorum veniam obtineant, & maculas omnes abſtergant. II. Ut Vivicæ Crucis ſignum in iiſdem Cereis impreſſum maligni Spiritus contremiſcant, & fugiant, faceſſant grandines, ſubſidant venti, diſſipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura, & tempeſtates. III. Ut divinæ benedictionis virtute non prævaleant diabolicæ fraudes, inſidiæ, & tentationes. IV. Ut Parturientes cum fœtu incolumes ſerventur; eumque feliciter in lucem emittant. V. Ut iiſdem devote utenti nulla dominetur adverſitas, nulla noceat peſtilentia, aeriſque corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat, nulla maris tempeſtas, nullum incendium, nulla inundatio, nulla adverſus eum prævaleat malignitas. VI. Ut in proſperis, adverſiſque caſibus Divina protectione muniatur, ab humanis, vel diabolicis inſidiis, a ſubitanea, & improviſa morte, a cunctis denique malis, & periculis liberetur, per vitæ, ac Paſſionis Jeſu Chriſti myſteria.* Et poſt pauca ſubditur in eadem laudata formula: *Quæ quidem beneficia, & gratiarum dona a bonorum omnium Largitore Deo Fidelibus tribui, ac concedi virtute hiſce Sacris Cereis communicata per benedictionem, ac precationes in primis, quas Chriſti Vicarius Romanus Pontifex, univerſæ Eccleſiæ nomine, in eorum conſecratione fundere ſolet, res eſt firmiter omnino credenda, ac variis eximiſque miraculis ſæpiſſime confirmata. Quod ſi optatus non ſemper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei Sacræ, ſed vel infirmæ, exiguæque utentium fidei, ac devotioni, vel alteri occultæ cauſæ Deo compertæ, ac probatæ tribuendum eſt.*

Qu. II. An prædictis *Agnus-Dei* 12
honor, & veneratio debeatur?

℞. Affirmative, quia ſunt res benedictæ, & quidem benedictione ſimpliciter conſtitutiva, ſeu ſimpliciter conſecrativa; ut docebimus qu. 5. cui benedictioni poſitivus reſpectus, poſitivaque religioſa competit reverentia, ut omnes docent; & quidem de *Agnus Dei* expreſſe docet Azorius ſupra cit. qu. 1. & Thom. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. c. 43. n.* 28. Imo expreſſe præcipitur in Conſtitutione, quam Gregorius XIII. edidit, ad hujuſmodi *Agnus-Dei* pertinente, incip. *Omni certe ſtudio*: In ea quidem Summus Pontifex ſic loquitur §. 1. *Eos* (Agnus Dei) *albos, & mundos ..... decenter, ac reverenter a cunctis haberi, deſerri, & cuſtodiri præcipimus*. Et ſervat praxis fidelium univerſalis.

Faciunt etiam ad hanc rem; quæ in Concilio Mediolanenſi ſupra laudato ſtatuta ſunt, quoad hujuſmodi *Agnus Dei*. Videlicet primo, ut, cum *Agnus-Dei* Domi aſſervantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cryſtallinam, aut alterius generis decentis recte incluſi ſint; ita ut tactu violari nequeant; nec ad ornatum habeant quidquam, quod profanum ſit, quodque minime deceat. Ne item quiſquam Sacrum Agnum annulo geſtet: cum ita, parum religioſe geſtetur, ut aliqua fœditate, turpive tactu violari facile

 queat.

queat. Præterea, qui Sacros Agnos geſtant, hoc religioſius caveant; ne quid impure, turpiterve agant, aut a Sacra hujuſmodi re alienum. Nec præterea in Agri Campum benedicti Agni projiciantur; nec cuiquam arbori affigantur, neque in ramis arborum ſuſpendantur. Ita laudatum Concilium. Igitur *Agnus Dei* eſt religioſe tractandus, decenter conſervandus, ad eos tantum uſus pios adhibendus, quæſtione prima indicatos, ad quos ex antiquo inſtituto Eccleſiæ reſervatur.

13 Qu. III. An hujuſmodi *Agnus Dei* poſſit aliquo depingi colore, aut inaurari ad ornatum, & ſpeciem?

℞. Negative, quia id eſt ſub peccati lethalis, & excommunicationis majoris pœna ipſo facto incurrenda prohibitum. Conſtat ex laudata in præcedenti quæſtione Conſtitutione Gregorii XIII. in qua ſic Pontifex: *Statuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda probibemus, & interdicimus, ne quiſquam ſive vir, ſive mulier, Sæcularis, aut Eccleſiaſtici, etiam Regularis Ordinis ille ſit, & quocumque gradu, conditione, ſtatu, nomine, dignitate, & bonore præcellat, poſthac in perpetuum Agnus-Dei per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quiddam aliud ſuperinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere, quovis prætextu, qualibetve de cauſa audeat. Verum eos, albos, & mundos: Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo Sanguine ſuo nos redemit: decenter, ac reverenter a cunctis baberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & cenſeri decernimus.* Hæc Summus Pontifex. videantur etiam dicenda qu. 4. n. 21. Profecto mundities, & albedo materiæ horum *Agnus-Dei* neceſſaria eſt ad ſacri hujus ritus finem: nempe ad repræſentandum candorem Chriſti, & Renatorum, ſeu Baptizatorum, quem *Agnus-Dei* exhibent; ſeu ad ſignificandam innocentiam, & puritatem abſque dolo, decentem hominem baptizatum; ut obſervat Raynaudus tom. 10. tr. de Agno Cereo c. 14. n. 7. & 11. Et quidem quod Mundities, & albedo Ceræ horum *Agnus-Dei* exigatur ut Symbolum puritatis, & innocentiæ Chriſti Domini, aperte declarat laudatus Pontifex in Conſtitutione allegata verbis illis modo laudatis: *Eos* (Agnus-Dei) *albos, & Mundos, Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus, pretioſiſſimo Sanguine ſuo nos redemit; decenter, ac reverenter a cunctis baberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus.* Recole etiam dicta ſuperius n. 10.

Interr. hic I. An prædicta excommunicatio ſit in viridi obſervantia. 14

℞. Filliucius quidem *tom.* 1. *tr.* 14. *c.* 6. *qu.* 8. *n.* 93. obſervat, a multis prædictam excommunicationem omitti, & ignorari; ut propterea ipſe crediderit, extra Urbem non fuiſſe receptam, vel fuiſſe conſuetudine contraria derogatam; paſſim enim, inquit, cernuntur *Agnus-Dei* depicti, qui licet utique depingi potuerint, ſive inaurari ex Pontificia facultate, non eſt tamen veriſimile, omnes, cum tanti ſint, fuiſſe ex licentia Papæ depictos. Atvero Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 25. quocum ſentit Raynaudus *cit. c.* 14. *n.* 14. *fine*, & videtur etiam Diana *edit. coord.* *to.* 5.

to. 5. *tract.* 1. *R.* 76. §. 4. affirmat, hanc excommunicationem eſſe in viridi obſervantia; quamobrem, inquit Fagundez, ſi aliquos videmus depictos aut illuminatos, coloribuſque ſuper inductos; credendum eſt, id de licentia Summi Pontificis factum fuiſſe; Solet enim Summus Pontifex hanc licentiam aliquando dare, ſed raro, & difficile. Ita Fagundez.

Ex mea ſententia, etiamſi verum eſſet teſtimonium Filliucii, hoc eſt, quod paſſim *Agnus Dei* depicti cernantur; nihilominus videtur dicendum: prædictam excommunicationem etiam extra Urbem fuiſſe receptam: non enim eſt, unde aliter præſumatur; Profecto Summus Pontifex in ſua ipſius prædicta conſtitutione mandavit, atque præcepit ſingulis locorum Ordinariis, & eorum Vicariis Generalibus, ut illam in ſuis Diœceſibus, & Civitatibus ſtatim promulgandam curarent. Putandum etiam quod ſit in viridi obſervantia, ſeu quod non ſit illi conſuetudine contraria derogatum; ut quidem derogatum non eſſe ſignificant, ſive ſupponunt Doctores de hac re, & hujuſmodi excommunicatione loquentes; ac videri poſſunt dicenda qu. 4. *n.* 21. Et vero, derogatum eſſe, argui nequit ex eo, quia videamus paſſim, ut Filliucius dicit, *Agnus Dei* depictos; id enim poteſt fieri, quia ignoratur a multis hujuſmodi prohibitio, & excommunicatio prædicta; ut quidem ignorari ipſe Filliucius affirmat. Ex quo ſequitur quidem, non peccare, neque excommunicationem incurrere eos, qui invincibiliter ignorantes ſub hujuſmodi pœnis eſſe prohibitum, *Agnus Dei* depingere, ſive inaurare, illos inaurant, ſive depingunt: peccare autem graviter, & excommunicationem majorem incurrere alios, qui id probe ſcientes, *Agnus-Dei* inaurare, ſive depingere, audeant.

Interr. II. An prædicta excommunicatio ſit Pontifici reſervata? 15

℟. Non eſſe; ex multis tradit Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 50. *n.* 150. Hoc etiam docet Diana cit. *R.* 76. *cit.* §. 4. Lucius Ferraris V. *Agnus-Dei n.* 2.

Interr. III. An Cerei *Agnus-Dei* poſſint ſaltem ornari; ita tamen ut color, ſive inauratio, aut deargentatio non immediate afficiat ipſam Ceram? 16

℟. Hoc utique fieri poſſe, docet Filliuc. l. cit. dicens: quod ubi prohibetur in prædicta Conſtitutione, ſuperinduci his *Agnus-Dei*, prohibeatur, ne quid inhæreat immediate ipſi Agno Cereo; Si enim non adhæreret, ut eſſet Charta picta ſuperinducta, vel cryſtallus; non eſſet, inquit, id prohibitum. Et favet etiam Edictum Clementis XI. 14. Octobr. 1713. incip. *La Santità di Noſtro Signore*, quo conſulitur venerationi horum *Agnus-Dei*, & aliarum Sacrarum Reliquiarum. Profecto ibi Artificibus ornamentorum hujuſmodi ſic dicitur: ..... *Permettendoſi ſolamente di ritenere nelle lor Caſe, e Botteghe o moſtra di eſſe, e ne' luoghi ſudetti* (cioè nelle ſtrade, piazze, fiere ec.) *li ſemplici ornamenti collo ſpazio, o circolo di eſſi, voto ſenza reliquie, ed Agnus Dei, ad effetto di vendere ſemplicemente li ſudetti ornamenti*. Hæc Pontifex; Quibus prohibet quidem vendere ornamenta, quæ ſecum ferant ſacros *Agnus-Dei*; non item prohibet, imo expreſſe permittit vendere ſola ornamenta, quæ ſacros *Agnus-Dei* non includant; Quæ vero ornamenta, cum nonniſi ad eum finem ornandi deinde, ſeu in-

includendi hos *Agnus-Dei* vendantur, & emantur a fidelibus; manifeſte ſignificat Pontifex, ornamentis prædictis licere ornare hos *Agnus-Dei*; Sed & id expreſſius habet §. ſequenti incipiente: *Per publica commodità*, ubi hæc: *Per publica commodità de fedeli, e conſervazione di dette coſe Sacre ſi permetterà con noſtra licenza da concederſi* gratis *a quegli Artefici de Reliquiarj, che ſaranno cogniti all' infraſcritto Cuſtode delle Sacre Reliquie, e approvate da Noi, o da Monſignor Vice Gerente, collocare in ornamenti decenti quelle Reliquie, che verranno diſpenſate parimente* gratis *dalla noſtra cuſtodia, o da Monſignor Sacriſta del Palazzo Appoſtolico, e vendere il puro valore di detti ornamenti, come di ſopra; come anche accomodare quelle Reliquie, e* Agnus-Dei, *che ſaranno portati da particolari per loro uſo, e ritenerli in Bottega fintanto che ſaranno accommodati, e reſtituiti a' medeſimi padroni, ſenza poterli giammai tenere in moſtra, nè guarniti, nè ſguarniti, come ſi è ordinato*. Hæc Pontifex. Ex quibus patet, non eſſe abſolute prohibitum Cereos *Agnus-Dei* ornare: ſed tamen ne color, aut inauratio ceram ipſam benedictam inficiat. Et vero ornatus, qui Ceram ipſam benedictam non inficiat, non ſolum non eſt indecens, imo ſatis decens, & reverentiam conciliat, cujus eſt ſignum. Cavendum tamen erit, ne, quod ad ornatum ponitur, profanum ſit, quodque minime deceat: ut ex Concilio Mediolanenſi qu. 2. animadvertimus num. 2.

17 Interr. IV. An, qui habeat *Agnus Dei* immediate depictos, poſſit eos retinere; & ſi ita offerantur, poſſint acceptari, etiamſi putentur, vel certo ſciantur, fuiſſe ſine licentia Papæ depictos?

℞. Negat Theophilus Raynaudus *tom.* 10. *tr. de Agno Cereo c.* 14. *n.* 9. *fine*; item Raynerius apud Dianam loco mox citando. Sed affirmat Thomas Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 45. *n.* 28. ubi docet: quod poſtquam in excommunicationem incurſum ſit, *Agnus-Dei* depingendo, non videatur interdictum, eos depictos ſic tenere; quia, inquit, non ob id deſtrui debent. Hanc affirmativam Sententiam putat eſſe probabilem Bonacina *tom.* 3. *diſput.* 2. *qu.* 2. *pun.* 29. *n.* 2. eamque videtur admittere Jo: Baptiſta Scortia *in Conſtit. Pontif. theorem.* 350. eandem laudat, ſequiturque Diana cit. R. 76. §. 2. quidquid in contrarium, inquit, teneat Raynerius cum aliis. Unde, ſe olim conſilium dediſſe teſtatur, potuiſſe quemdam in donum recipere, & retinere Agnum Dei depictum, & miniatum. Eamdem ſententiam ſuſtinet La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 41. §. 2. *n.* 22. & Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 4. *n.* 25.

Sed dices: in ſuperius allegata Conſtitutione Gregorii XIII. ſic præcipitur: *Eos* (Agnus-Dei) *albos, & mundos .... decenter, ac reverenter a cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus*. Ergo.

Reſpondet idem Sanchez: dum concludit Pontifex, hos *Agnus-Dei* habendos, deferendos, & cuſtodiendos albos, & mundos; tantum eſt, dicere: non eſſe depingendos, ſed ut benedicuntur a Pontifice, cuſtodiendos eſſe. At ubi peccando depicti ſunt, non interdicit, eos retineri; ita Sanchez. Huic ſententiæ favet, quod in ſupra laudato Edicto Clementis XI. ſic habeatur: *Parimente ordina, ed eſpreſſamente comanda, che neſſuna perſona ardiſca nè preſuma dipin-*

pingere, o miniare, o pur far dipingere, o miniare con oro, o alcuna ſorte di colori gli Agnus Dei *benedetti, nè in tal modo venderli, o ritenerli per farne vendita, ſotto pena di Scomunica ipſo facto impoſta nella Bolla della San. mem. di Gregorio XIII.* Nota igitur, non dici ſimpliciter eſſe interdictum, *Agnus-Dei* depictos retinere, ſed addi: *ad vendendum, o ritenerli per farne vendita.*

28 Qu. IV. An Agnus Dei poſſit vendi?

℟. Et dico I. *Agnus-Dei* poſſe vendi ratione laboris, & expenſarum, in eis reficiendis, & Roma afferendis, affirmant Suarez *de Relig. to.* 1. *tr.* 3. *lib.* 4. *c.* 14. *n.* 6. & 16. Th. Sanchez *in ſum. to.* 1. *lib.* 3. *c.* 43. *n.* 29. Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 26. Theophilus Raynaudus *to.* 10. *tract. de Agno Cereo c.* 14. *n.* 5. Tancredi *de Relig. tr.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 9. *qu.* 1. *n.* 2. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 31. §. 2. *n.* 134. & rurſus *lib.* 6. *part.* 1. *qu.* 41. §. 3. *n.* 224. Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 1. *R.* 76. §. 2. & apud eum alii. Et ratio eſt, quia non eſt, cur quis prohibeatur, reſarcire, & compenſare ſibi expenſas factas pro hujuſmodi *Agnus-Dei*; nec quando exigitur pretium pro hujuſmodi *Agnus Dei* ab eo, qui pro ipſis reficiendis, & aſportandis fecit expenſas, vere, & proprie venduntur *Agnus-Dei*, ſed ſolum petitur compenſari ſibi expenſas factas pro ipſis. Item opus, labor, & induſtria in hujuſmodi *Agnus Dei* reficiendis, & aſportandis eſt pretio æſtimabilis, ut notat Suarez loc. cit. unde non *Agnus-Dei* venduntur, ſed labor, & induſtria prædicta, quæ utique vendi poſſunt. Ergo &c.

Unum vero invenio Azorium *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 9. *qu.* 4. de hac re dubitantem, & ad negandum inclinantem. Concedit quidem Azorius: *Agnus-Dei* vendere ad compenſandas expenſas factas pro ipſis apparandis, poliendis, &c. non eſſe per ſe prohibitum, hic malum; attamen contendit, interdictum videri jure ſcripto, nimirum Conſtitutione Pontificia ſæpius hic laudata Gregorii XIII. & ſubdit: merito quidem id Pontificem prohibere potuiſſe, quia, inquit, ſimoniæ ſpeciem nonnullam præſefert, & occaſio paulatim suboritur, res Sacras venditandi; Ita ille.

Verum ad id, quod Azorius dicit: videri in prædicto motu proprio Gregorii XIII. prohiberi, vendere *Agnus Dei*, etiam ad compenſandas ſibi expenſas: reſpondetur ex Sanchez n. 29. & ex Fagundez n. 26. nihil inveniri in eo motu proprio continens ſpecialem prohibitionem venditionis, quæ alias non erat Simoniaca. Vel ex Raynaudo cit. n. 5. laudatum Pontificem in allegata Conſtitutione ſolum prohibere, ne *Agnus Dei* cerei vendantur colore ullo depicti, aut inaurati; Non item ne vendantur ratione laboris, & expenſarum prædictarum. Et vero ſi dicatur, id eſſe prohibitum; jam non facile invenietur, qui velit hujuſmodi *Agnus-Dei* Roma in alias Chriſtiani Orbis partes cum labore, & non ſine diſpendio aſportare; quis enim eſt, qui velit *oleum, & operam perdere?* Ut dicitur. Quod cederet in detrimentum Fidelium: Non enim facile poſſent, ſibi comparare hujuſmodi Sacros *Agnus-Dei*, & devotioni ſuæ ſatisfacere.

Ad alterum deinde, quod ſubdit idem Azorius, de ſpecie Simoniæ; negatur, ulla eſſe Simoniæ ſpecies, exigere, ut ſibi compenſentur expenſæ

ſæ factæ pro hujuſmodi *Agnus Dei* reficiendis, aſportandis &c.

19 Dico 2. *Agnus-Dei* poſſe vendi ratione materiæ, ſeu habito reſpectu valoris ceræ, negat Suarez loc. cit. n. 16. idque Simoniacum eſſe, docet. Materia enim illa, inquit, ceræ licet ſecundum ſe vendibilis ſit, tamen prout eſt in Eccleſia, non creditur vendi poſſe: quia Pontifex, cum *Agnus Dei* conſecrat, totam illam materiam ſuis expenſis facit, quam poſtea gratis donat, & conſequenter virtute vult, gratis dari. Quando ergo venduntur, ſolum eſt ratione alicujus laboris, & operis, quod in reficiendis Agnis poſtea ponitur, & ideo cavere debent, ait, qui illos vendunt, ne ultra hanc æſtimationem pretium augeant, alias a Simonia excuſari non poterunt; ita Suarez. Cui primum adhæret Tancredi loco cit. dicens: Quod hi *Agnus Dei* ratione ceræ, ſicuti gratis a Papa dantur, ſic etiam deberent dari: deinde tamen laudat, & promovet ſententiam contrariam, ut infra videbimus. Azorius autem de materia horum *Agnus-Dei* primo diſcurrit ſimiliter ac de labore ſuſcepto, & expenſis pro iiſdem factis, ſupra eum diſcurrentem audivimus, nimirum primo concedit, *Agnus Dei* vendere, aut emere præciſe ratione ſolius materiæ, ita ut tantidem vendantur, quanti valet Cera; per ſe quidem non eſſe prohibitum, nec malum: Cum ſola materia vendatur, & ematur; At jure tamen ſcripto interdictum videri, ait, Conſtitutione Pontificia, jam ante allegata. Et merito Pontificem id prohibere potuiſſe, inquit, quia Simoniæ ſpeciem nonnullam præſefert, & occaſio paulatim ſubcritur, res ſacras vendi ran-di. Deinde tamen ſubdit: ſe non putare, Pontificem vetuiſſe, ne præciſe ratione materiæ vendantur, & emantur ad uſus Sacros, quibus ſunt dedicati: Sicut Calices ratione materiæ venduntur ad ſacros uſus hujus, vel illius Eccleſiæ, non ad profanos uſus. Hæc Azorius; qui, etſi prius videatur abſolute negare *Agnus Dei* vendi poſſe ratione materiæ, ex poſterioribus tamen ejuſdem verbis prædictis intelligitur, concedere, vendi poſſe ratione etiam materiæ ad uſus tamen ſacros, & religioſos, ad quos ex intentione, & inſtituto Eccleſiæ deſtinantur. Et quidem, licet Raynaudus cit. num. 5. intellexerit Azorium tamquam abſolute loquentem; attamen Thomas Sanchez n. 29. eumdem intellexit non abſolute loquentem, ſed cum limitatione prædicta negantem, *Agnus Dei* poſſe vendi ratione materiæ; dicit enim Sanchez: Azorium affirmare, prohiberi in eo motu proprio venditionem etiam ratione materiæ, niſi ad uſus Sacros vendantur. Itaque ex Azorio vendi poſſunt *Agnus-Dei* ratione etiam materiæ, nimirum ceræ, dummodo vendantur ad uſus Sacros. Deinde *Agnus Dei* vendi poſſe ratione quoque materiæ affirmat, & docet Thomas Sanchez cit. n. 29. quia, ut ibi ſignificat, ex una parte, non eſt ſimonia; Ex alia parte, in eo motu proprio, ſeu Conſtitutione Pontificia prædicta nihil invenitur, contineas ſpecialem prohibitionem venditionis, quæ alias non erat Simoniaca. Eamdem Sententiam affirmativam ſuſtinent Raynaudus *cit. num.* 5. *&* 6. Fagundez *cit. n.* 26. Buſemb. *lib.* 3. *pap.* 1. *c.* 2. *dub.* 3. *art.* 1. *reſp.* 3. *reſol.* 5. La-Croix: & Diana ll. cit. aliique apud eum, quibus adde Tancredi

credi loco ſupra cit. qui etſi prius videatur tenere ſententiam negativam Patris Suarez, ut ſupra vidimus, deinde tamen huic affirmativæ omnino inhærere videtur; & rationem illam a Suarez pro ſe adductam infirmat, dicens: rationem Suarii, quod Papa det gratis ipſam Ceram, non obſtare, quo minus prædicti *Agnus-Dei* poſſint ratione Ceræ æſtimari, cum per Pontificiam conſecrationem, & gratis donationem id non amittant. Id ipſum aſſerit Raynaudus cit. n. 5. fine. Ubi etiam ad illud, quod Azorius dixerat prius, hoc eſt, in illo motu proprio, ſeu Conſtitutione Pontificis videri eſſe prohibitam venditionem horum *Agnus Dei* etiam ratione materiæ: Reſpondet, laudatum Pontificem ibi ſolum prohibere, ne *Agnus Dei* Cerei vendantur colore ullo depicti; non item ne vendantur ratione materiæ, ſi colore nullo pinganiur; ita ille; Sanchez item, & cum eo Fagundez ait: ſe non videre: ubi Pontifex prohibeat in allegata Conſtitutione, vendere Cereos *Agnus-Dei*, ratione materiæ, ſeu ceræ, ut Azorius dicit, videri; cui tamen ita non videtur, ſi *Agnus-Dei* etiam ratione ceræ vendantur ad uſus pios, ad quos ſunt dedicati. Verum & limitatio hæc ſuperflua omnino videtur, quis enim Chriſtianus Catholicus (quod verbum ponitur propter dicenda præſenti num. fine:) ratione Ceræ vendat, aut emat cereos *Agnus-Dei* benedictos, niſi ad uſus, ad quos ſunt ab Eccleſia deputati?

Cæterum adhuc videtur obſtare, quod Summus Pontifex Clemens XI. in illo ejus ſupra laudato Edicto, quo Sacrarum Reliquiarum, Sacrorumque Cereorum *Agnus-Dei* nuncupatorum venerationi conſulitur; expreſſe, omnino, & ſimpliciter interdicat, hos Agnus-Dei *ullo modo* venales exponere, atque adeo illos vendere etiam ratione ſolius ceræ, quamvis ad uſus ſacros, ad quos ſunt deputati; his verbis; *Similmente Sua Santità in materia tanto Sacra, e religioſa, rinovando le pene impoſte da' Sacri Canoni contro li Simoniaci, oltre le pene infraſcritte, vuole, e comanda, che neſſun Oreſice, Coronaro, ovvero altra perſona di qualunque ſtato, grado, e condizione ardiſca publicamente, nè privatamente vendere .... qualſivoglia ſorte di Sacre Reliquie, o* Agnus Dei, *neppure piccole parti di eſſe, ancorchè fuſſero congegnate, e commeſſe dentro ... Reliquiarj, o altri ſimili ornamenti, e molto meno eſporli venali nelle ſtrade ec. Permettendoſi di ritenere nelle loro Caſe, o Botteghe, o moſtra di eſſe, e ne' luoghi ſudetti li ſemplici ornamenti, collo ſpazio, o circolo di eſſi voto ſenza Reliquie, e* Agnus Dei, *ad effetto di vendere* ſemplicemente *li ſudetti ornamenti*. Hæc in Edicto allegato. Videtur itaque dicendum: Etiam ex mente Pontificis non licere, hujuſmodi *Agnus-Dei* vendere, ne quidem ratione materiæ ſeu ceræ, etiam ad uſus pios; atque adeo hujuſmodi ceram omnino gratis eſſe donandam. Sed reſponderi poſſet, quod ex La-Croix *lib. 3. par. 1. qu. 51. §. 2. n. 154.* quando Canones vetant, vendi res quaſdam ſacras etiam ratione materiæ, intelligendi ſint, ſi in rebus Sacris fiat mercatura quædam quaſi profana: (vide tamen dicta in Fer. v. Cœnæ n. 192.) aut ſi adſit ſcandalum. Jam vero ex contextu allegati Edicti Pontificii patere videtur, in eo prohiberi, vendere Cereos *Agnus-Dei* etiam ratione ma-

Digitized by Google

materiæ, ſi ex iiſdem fiat mercatura quædam, quaſi profana, quæ quidem ſiebat, & occaſionem dedit Pontifici emanandi allegatum Edictum. Deinde reſponderi etiam poſſet: Edictum allegatum non fuiſſe niſi particulare, directum ad ſolam Urbem, & Pontificiam Ditionem, ut colligitur ex eo, quod fuit lingua Italica editum, & vulgatum a Provicario Generali Urbis; & item ex pœnis tranſgreſſoribus impoſitis; nec non ex eo quod continetur in 2. parte Bullarii laudati Pontificis, cui ſecundæ parti præfixus titulus ſic habet: *Edicta, Decreta, & Mandata ad ſpirituale, & temporale Urbis, Ditioniſque Pontificiæ regimen pertinentia.*

Animadvertendum vero eſt, quod etiam ſtando in ſententia affirmativa, hæc non procedit pro Judæis, quibus vendere res ſacras, eſt generaliter interdictum: ut ex March. notat, monetque La-Croix l. cit. propter periculum irreverentiæ, vel abuſus. Et ob rationem eamdem, id ipſum cavendum eſt quo ad Hæreticos; & hi enim abuti ſolent rebus ſacris apud Catholicos: conſuetudineſque Romanæ Eccleſiæ contemnunt, atque derident. Igitur: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis &c. Matth. 7. 6.*

20 Dico 3. Certum eſt, planeque conſtat, *Agnus Dei* non poſſe vendi, aut emi ratione benedictionis, & conſecrationis, quia eſſet veriſſima Simonia. Azor. qu. 4. La-Croix n. 224. Et hanc utique eſſe venditionem, quæ in prædicto motu proprio Gregorii prohibetur, & contra quam tantum major excommunicatio fulminatur, exiſtimant Sanchez n. 29. Fagundez n. 26. Tancredi n. 2. fine, & alii. Sed Raynaudus c. 14. n. 5. docet, hujuſmodi excommunicationem latam etiam eſſe contra vendentes *Agnus-Dei depictos*, etiamſi vendantur ſimpliciter ratione materiæ, ut dicemus n. ſequenti, & confirmabimus ex Clemente XI. Itaque Simonia eſſet, ſi *Agnus Dei* venderetur, aut emeretur ratione benedictionis, & conſecrationis. Simonia item eſſet, ſi pro *Agnus-Dei* ratione benedictionis expeteretur plus quam valet labor, aut expenſæ factæ pro illis aſportandis ec. Simonia eſſet, ſi theca in qua clauſus foret *Agnus Dei*, pluris venderetur, quam ſi Sacrum *Agnus Dei* non haberet. Azor. Sanch. Fagundez, & alii paſſim.

21 Dico denique 4. *Agnus Dei* depictos, ſeu minio confectos vendi poſſe, negat Raynaudus *c.* 14. *num.* 5. *&* 9. item Diana ſupra cit. *R.* 76. *§.* 2. cujus ſententiam approbare videtur La-Croix n. 223. idem docet Filliucius *in Sum. to.* 1. *tract.* 14. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 93. ſi ſine licentia Papæ depicti fuerint, ſive inaurati. Movetur autem Raynaudus cit. n. 9. prope finem, & ſimiliter videntur cæteri, ex eo, quia in citata Conſtit. Gregorii XIII. interdicitur, ne quiſquam *Agnus-Dei* depingere audeat, nec illos venales proponere, ſeu tenere ec. Jam vero ex laudatis Auctoribus infinitivum *tenere* conjungendum eſt cum dictione *venales*, & ſimul cum verbo *depingere*, ita ut ſenſus ſit, non licere *Agnus-Dei* depictos vendere. Aſſignat etiam Raynaudus diſpoſitionis hujuſmodi rationem num. 5. dicens: *Quia abuſus invaluerat pingendi Sacros Agnos; ut abuſus ille tolleretur, non modo interdicit picturam eorum, ſed etiam venalitatem ſic depictorum, quia eſca ad pingendum erat ma-*

Digitized by Google

major vendibilitas materiæ exornatæ. Ut ergo hanc pingendi illecebram tolleret Pontifex, interdicit venditionem quamcumque Agnorum ſic depictorum, non tantum, ſi pluris venderentur ratione conſecrationis; quo pacto decretum illud Pontificium accipiunt Sanchez; & Scortia; ſed etiamſi venderentur ratione materiæ, aut operæ in efformatione, vel pictura Agnorum impenſæ. Hæc omnia ſubjici pretio, vetuit Pontifex. Nam abſolute prohibuit, Agnos depictos proſtare venales; quem fuiſſe communem ſenſum illius Conſtitutionis affirmat Suarez; & videtur perſpicuum ex verbis Conſtitutionis, ſi abſque anteoccupatione legatur. Hæc Raynaudus; qui inſuper cit. n. 5. docet incurri etiam excommunicationem, ſi *Agnus Dei* vendantur depicti, etiamſi vendantur ſimpliciter ratione materiæ; quemadmodum innuimus n. præcedenti. Confirmatur ex Edicto Clementis XI. ſupra laudato, ubi ſic: *Parimente ordina, ed eſpreſſamente comanda, che neſſuna perſona ardiſca, nè preſuma dipingere, o miniare, o pur far dipingere, o miniare con oro, o alcuna ſorte di colori gli Agnus-Dei benedetti, nè in tal modo venderli, o ritenerli per farne vendita ſotto pena di Scomunica* ipſo facto *impoſta nella Bolla della San. mem. di Gregorio XIII.*

21 Qu. V. An aliis præter Clericos in Sacris liceat hos *Agnus Dei* tangere immediate, ſeu nuda manu attrectare ceram eorum? Ratio dubitandi eſt, quia *Agnus-Dei* benedicuntur benedictione ſimpliciter conſecrativa, per quam redduntur res in rigore conſecratæ. Profecto non ſola oratione Pontificia ſunt Sacri, ac benedicti, ſed Chriſmate etiam inſtar Calicum conſecrantur, ut initio diximus, & teſtantur Azor. qu. 3. Sanch. n. 27. Fagund. n. 24. & alii. Quare ſicut hac ratione ſolis Clericis in Sacris, puta Sacerdotibus; Diaconis, & Subdiaconis fas eſt tangere Sacros Calices Altaris, idem videtur dicendum de his *Agnus-Dei*. Et confirmatur ex eo, quod in Concilio Mediolanenſi V. ſupra qu. 1. laudato ſignificatur, nonniſi Clericis in Sacris licere, immediate tangere *Agnus-Dei*; Statutum enim eſt; ut, cum Agnus Dei domi aſſervantur, loculo decenti includantur. Cum autem collo dependentes geſtantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cryſtallinam, aut alterius generis decentis recte incluſi ſint; itaut tactu violari nequeant. Thecarum autem fabri ne ullo modo eos tangant, attrectentve, ne chirothecis quidem, forcipe, aut ullo alio inſtrumento: ſed ad eos in thecis reponendos Clericus in Sacris conſtitutus adhibeatur. Ita ex laudato Concilio. Inde etiam videtur dicendum: non ſolum immediate, ſed ne mediate quidem tangere licere *Agnus-Dei* aliis, quam Clericis in Sacris.

℞. & dico 1. *Agnus Dei* immediate, ſeu nuda manu tangere, non licere, ſaltem per ſe loquendo, niſi ſolis Clericis in Sacris, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, ob rationem factam conſecrationis hujuſmodi *Agnus Dei*. Ita Azor. qu. 3. Sanch. n. 27. Fagund. n. 24. Raynaud. cit. c. 14. n. 13. & alii.

Dico 2. Laicos non graviter peccaturos, ſed ſolum venialiter, ſi abſque contemptu *Agnus Dei* immediate tangant. Ita Azor. l. cit. cujus hanc ſententiam laudant Raynaud., & Sanchez l. cit. qui id confirmat ex eo, quod Sotus, quem, inquit, multi Neoterici, ſeu recentiores ſequun-

tur, docet, etiam fœminas tangere Corporalia, & Calices (intellige ſacro Sanguine vacuos) abſque contemptu, & nullam eſſe culpam, aut leviſſimam venialem; & Canones id prohibentes intelligi de conſilio. Quare & *Agnus-Dei* tangere, a fortiori non excedet culpam venialem; Ita Sanchez; Idem habet Fagundez l. cit. & admittit Diana ſupra cit. *R. 76.* §. 3. idque certum videri, inquit La-Croix n. 225.

Dico 3. nullum eſſe peccatum, ſi quis *Agnus-Dei* tangat ex juſta cauſa, e. g. ut imponat capſulæ: fit enim hoc ex pietate, ſeu ex motivo Religionis, & cum morali quadam neceſſitate; Ita La Croix l. cit. cum Loth. aliiſque apud Gobat *in Exp. tr.* 4. *num.* 330. id ipſum ſignificat Raynaud. n. 13. fine.

Dico 4. *Agnus-Dei* immediate tangi, & nuda manu attrectari, adhuc ſine neceſſitate prædicta, aut ſimili, etiam a Laicis, jam nullam eſſe culpam, eo quod uſus obtinuerit, ut a laicis etiam feminis tangantur; credit Sanchez l. cit. cujus opinionem laudat Fagundez cit. n. 25. admittit Tancredi *de Relig. tr. 2. l. 4. diſp. 9. qu. 1. n. 3.* Diana l. cit. & videtur approbare La-Croix l. cit. quamvis referat Patrem Gobat, tenentem oppoſitum tamquam probabilius, cui adde Quartum *de. Benedict. tit. 2. Sect. 8. dub. 3.* & Gavantum *in Man. Epiſcop. V. Agni Cerei n. 6.*

Ad rationem illam conſecrationis, & exemplum Sacrorum Calicum Altaris reſpondet La-Croix, non adeo urgere; Calices enim deſtinantur ad continendum ipſum Sanguinem Chriſti: hinc Calicibus debetur reverentia major.

Ad auctoritatem Concilii Mediolanenſis provincialis dico: ex Fagundez cit. n. 24. fine, quando Doctores loquuntur de tactu horum *Agnus Dei*, & docent, eſſe laicis prohibitum: intelligendi ſunt de tactu immediato, & non de tactu, qui fiat mediante aliquo velo ſerico, vel interpoſito aliquo inſtrumento: quia tunc licitum eſt eis, illos tangere. Unde ſignificat Fagundez, adeo certum eſſe, cuilibet licere Sacrorum *Agnus-Dei* tactum mediatum, ut nequidem de hoc dubitaverint Doctores. Qua propter ubi Concilium Mediolanenſe dicit: *Agnus-Dei* collocandos eſſe in thecis a Clericis in Sacris, & non poſſe a laicis, ne quidem chirothecis, forcipe, aut ullo alio inſtrumento attrectari, & collocari; ſignificat tantum, ut ſi commode poterit, id a Clericis in Sacris fiat, ad majorem nimirum erga hujuſmodi *Agnus-Dei* religioſam reverentiam Chriſtiano populo inſinuandam: utque ſic melius intelligat, debere *Agnus-Dei* decentiſſime ab omnibus cuſtodiri: Hoc utique expedit fieri; maxime cum videamus in Edicto ſupra laudato n. 16. Clem. XI. non indifferenter permiſſum eſſe Artificibus includere thecis *Agnus-Dei*, ſed tantum iis, qui ad id licentiam habuerint.

Qu. VI. Utrum, ſi *Agnus Dei* for- 23
mam deperdat impreſſam, aut exiguas frangatur in partes, conſecrationem, & ſanctitatem amittat?

℞. Ex Dicaſtillo *de Sacram. to. 2. tr. 9. diſp. 1. dub. 7. n. 127.* Videtur, in dicto etiam caſu ſanctitatem Ceræ perſeverare; Sanctitas enim illius Ceræ abſolute conſiſtit in materia rite facta, & a Pontifice benedicta: idque declarat ſatis fidelium uſus, qui vel minimam partem illius

Ceræ religioſe colunt, & ſervant; id quod nec Pontifices ignorant, nec cæteri Prælati; atque adeo communis omnium ſenſus eſſe videtur, intentionem Pontificis, in iis Ceris benedicendis, materiam potius legitime factam reſpicere, quam figuram. Hęc Dicaſtillus, cui conſentire videtur Diana *edit. coord. to. 4. tract. 1. R. 27.* Idemque pluribus locis ſignificat Theophilus Raynaudus *tom. 19. tr. de Agno Cereo*.

24 Ex his inferes; *Agnus-Dei* fragmentum, & minimam hujuſmodi Ceræ partem debere decenter tractari, & cuſtodiri, quemadmodum debet Cera integri *Agnus-Dei*, ſeu habens perfectam, & integram Agni formam.

Inferes 2. omnem virtutem, quæ tribuitur integro *Agnus-Dei*, poſſe tribui minimæ etiam ejuſdem particulæ; atque adeo fragmentum *Agnus-Dei* poſſe adhiberi ad eoſdem uſus pios, & religioſos, ad quos adhibetur integer *Agnus-Dei*, & eoſdem poſſe ſpirituales, & ſalutares effectus in fide Eccleſiæ ſperari a Domino Deo. Quod quidem expreſſe docet Raynaudus *l. cit. c. 8. n. 17.* ubi hæc habet: *Vis vero moralis, ſive efficacia conſerta ſacris Ceris ad varia mira præſtanda, æque exeritur, ſi ſuppetat qualecumque ejus fragmentum, ac ſi plena Cera integri Agni imagine impreſſa eſſet ad manus; Quia voluntas Eccleſiæ conferentis eam efficaciam interventu Pontificiæ Benedictionis, æque tulit conferri talem vim plagunculæ cuicumque, ac toti Ceræ. Sicut ex eadem Eccleſiæ mente, tantum prodeſt gutta aquæ benedictæ, quantum plenus urceus, aut dolium: quia & totus aquæ urceus, & ſingulæ ex ea guttæ participant ex æquo benedictionem, & conſecrationem Eccleſiaſticam*. Hæc Raynaudus; & in confirmationem exempla videri poſſunt apud eumdem c. 10. Ad quoſnam autem ſalutares effectus *Agnus-Dei* benedicantur, & fidelibus diſtribuantur? explicavimus qu. 1.

Inferes 3. quod ſi alicui *Agnus Dei* affixa ſit Indulgentia, hæc non amittatur, ubi ille frangatur; & quidem non amitti, ſupponit Dicaſtillus, qui, ut mox videbimus, examinat utrum in plures partes fracto *Agnus-Dei*, cui affixa ſit Indulgentia, hæc maneat in omnibus, & ſingulis partibus, atque adeo multiplicetur?

Inferes 4. *Agnus Dei* Ceram fractam poſſe non ſolum conglutinari, ſed etiam liquefieri, eique Agni imprimi effigiem; ſicque novam poſſe *Agnus Dei* confici formam. Sed eſt hic animadvertendum: Paulum V. an. 1608. Conſtit. 43. incip. *Romanum decet Pontificem* tom. 3. Bullar. Cherub. pag. 170. edit. Romanæ ex typograph. R. Cameræ Apoſtolicæ anni 1638. conceſſiſſe ſolis Religioſis Congregationis B. Mariæ Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis S. Benedicti, deputatis a ſuo ipſorum Præpoſito Generali, munus, & Officium, Sacrum *Agnus-Dei* in cera ſignandi, & fractum renovandi in Monaſterio S. Pudentianæ, & Prioratus S. Bernardi de Urbe dictæ Congregationis. Ita §. 4. dictæ Conſtit. §. autem 5. id prohibet cæteris. Cujus Conſtitutionis meminit etiam Edictum Clementis XI. ſupra laudatum, ubi ſic: *E perchè la San. Mem. di Paolo V. nella ſua Bolla, che comincia*: Romanum decet Pontificem: *deſtinò ſolamente gli RR. Monaci di San Bernardo, e di Santa Pudentiana di Roma al Sacro officio di fare detti* Agnus-Dei, *e di rinovare li rotti colle ſtampe, che ſi conſervano nel Palazzo Apoſtolico*.

Quin.

Digitized by Google

Quindi ſe alcuno ardiſſe di tenere , o fare ſtampe falſe de medeſimi .... incorrerà nella pena della Galera per dieci anni riſpetto agli uomini , e della Carcere per dieci anni , o fruſta riſpetto alle donne .

25 Interr. hic I. Utrum Indulgentia maneat in quavis *Agnus-Dei* , ſi hic habeat Indulgentiam ſibi affixam : rumpatur autem in plures partes : atque adeo Indulgentia multiplicetur pro numero particularum , in quas *Agnus-Dei* , ſive caſu , ſive data opera fractus fuerit ?

℞. Etſi ex Dicaſtillo , & aliis ſupra diximus : in quavis *Agnus Dei* fracti parte ſervari integram ſanctitatem , ſeu rationem venerandi illam; attamen ex eodem Dicaſtillo loco ſupra citato dicendum eſt : Indulgentiam non multiplicari , ſeu non manere in ſingulis partibus . Cujus rei ratio a priori non poteſt eſſe alia , quam intentio Pontificis , qui non videtur (niſi aliud explicet) , id voluiſſe ſi enim id voluiſſet ex cauſa juſta , quæ poſſet occurrere , multiplicaretur Indulgentia . Porro id non intendere de facto, quando benedicit illos Orbiculos; probari poteſt , quia nullum eſt argumentum probans intendere ; ex eo enim quod in quavis particula remaneat ſanctitas , non poteſt inferri , & Indulgentiam in ſingulis particulis multiplicari ; nam inde ſequeretur , pro cujuſque voluntate dividendo particulas, multiplicari Indulgentias , & vileſceret æſtimatio illarum . Item argumentum a multiplicatione benedictionis, non probat pro multiplicatio- Indulgentiarum ; multo enim facilius conceduntur benedictiones , quam Indulgentiæ: Nam ipſi Orbiculi omnes cenſentur , & ſunt benedicti , at non omnibus eſt collata Indulgentia : & merito , quia non per illam multitudinem , & multiplicationem benedictionum , ſed per multitudinem , & facilitatem Indulgentiarum vileſcunt claves Eccleſiæ , & contemnuntur Indulgentiæ , ſic facile collatæ ; Id quod movit Pontifices ad plures Indulgentias revocandas . Hæc Dicaſtillus ; cujus hanc ſententiam , & verba recitat Diana l. cit. qui conſentire videtur . Itaque fracto *Agnus Dei* in plures partes , non extenditur in ſingulis Indulgentia , ſed remanet una & eadem , qualis videlicet , &
quanta erat . 26

Interr. II. In quanam igitur *Agnus-Dei* fracti parte maneat Indulgentia ?

℞. Non explicat Dicaſtillus . Ego autem dicerem : manere vel in parte grandiori ; vel potius in quavis particula , quæ unica reſervetur cum intentione per eam lucrandi illam Indulgentiam , quæ tali *Agnus-Dei* affixa eſt . Probatur . quia ex una parte , fracto *Agnus Dei* non amittitur Indulgentia , ut dictum eſt ; ex alia parte vero non multiplicatur multiplicatis particulis , ſeu fragmentis , ut etiam dictum eſt . Ergo putandum eſt : vel manere in parte grandiori , vel in quavis alia unica reſervata , ſeu electa ad finem lucrandi Indulgentiam . Nec apparet alius modus , qui videatur Pontificiæ menti conformior . Cæterum tutius erit , hujuſmodi *Agnus Dei* fracti partes conglutinare , ut uniantur , ſi fieri poſſit ; aut liquefiat cera , & denuo conficiatur *Agnus-Dei* forma ; Quod utique fieri poſſe , ſupra docuimus nu. 24. fine . Sed memineris animadverſionis ibidem factæ quo ad hujuſmodi liquefactionem , & renovationem Sacrorum *Agnus-Dei* .

Qu. VII. Si quis ceram ſacri *A-* 27

gnus-

gnus Dei liquefaciat, & miſceat cum alia Cera non benedicta, an tota Cera fiat benedicta, & conſecrata?

R. Affirmative; dummodo quantitas Ceræ benedictæ, & conſecratæ ſuperet non benedictam, ſeu non conſecratam. Ad eum modum, quo aqua non benedicta, ſi effundatur benedictæ, fit benedicta: Ita La-Croix n. 226. videri etiam poſſunt dicta tr. 1. t. 2. in Dominica art. 3. de aqua ben. n. 36.

28 Interr. An id etiam licite fiat &c. videlicet, an Ceræ ſacri *Agnus-Dei* liquefactæ liceat miſcere aliam Ceram non benedictam?

℞. Non licere, docet Gobat *in Exp. tr.* 3. *caſ.* 10. *n.* 332. conſentit La-Croix cit. n. 226. Dices: licet miſcere aquæ benedictæ aquam non benedictam: ut modo innuimus. Ergo licet miſcere hujuſmodi Ceræ benedictæ Ceram non benedictam. Reſpondeo: Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia hujuſmodi immixtio Ceræ non benedictæ eſt procul-dubio contra mentem Pontificum, qui conſecrationem omnem Ceræ *Agnus-Dei* videntur ſibi reſervaſſe; ita La-Croix. Ex qua ratione patet, illud etiam intelligendum eſſe, ita, ut ne quidem licitum ſit Ceræ *Agnus Dei* aliam Ceram etiam benedictam miſcere, diverſæ tamen benedictionis, puta ex Cereis benedictis in die Purificationis B. Virginis: quia per illam benedictionem Ceram illorum cereorum non conſecratur, quemadmodum Cera *Agnus-Dei*. Porro cereorum illorum benedictio, ut ſuo loco die 2. Febr. docuimus, non eſt ſimpliciter conſecrativa, quemadmodum eſt benedictio horum *Agnus-Dei*, ſed eſt invocativa; etſi non ſit ſimpliciter talis; ſed, cum participet aliquid de conſecrativa, ſit media inter ſimpliciter conſecrativam, & ſimpliciter invocativam: juxta ſententiam noſtram ibi propoſitam. Quid autem importet benedictio ſimpliciter invocativa, & ſimpliciter conſecrativa, & media inter utramque? Explicavimus citata die 2. Febr. n. 49. Non licet itaque Ceræ conſecratæ horum *Agnus-Dei* miſcere aliam Ceram non conſecratam, ſcilicet quæ non ſit ejuſdem ſpeciei: ob factam rationem: cui etiam poteſt addi periculum alicujus gravis abuſus, qui deinde ſequeretur: ut facile eſt intelligere.

Multiplicem vero fœditatem eorum, qui ementirentur, & falſificarent *Agnus Dei* Cereos, oſtendit Raynaudus *c.* 14. *a num.* 55. In pluries etiam laudato Edicto Clementis XI. hæc leguntur: *Se alcuno ardiſſe di tenere, o fare ſtampe falſe de medeſimi* (Agnus-Dei) *o fabricare Agnus Dei falſi, o in qualſivoglia modo formare la cera in forma di Agnus-Dei, incorrerà nella pena della Galera per dieci anni riſpetto agli uomini, e della Carcere per dieci anni, o fruſta riſpettoalle Donne. Nella quale pena incorrerà chiunque diſtribuirà ſcientemente detti Agnus Dei falſi, come ſe foſſero veri, o benedetti, o ſcientemente ſpaccierà Reliquie falſe, o commetterà furto ſacrilego di Sacre Reliquie, e di Agnus-Dei benedetti, o muterà, ed altererà maliziofamente il nome o il numero del Sommo Pontefice impreſſo in ciaſcheduno Agnus-Dei benedetto.* 29

Qu. VIII. Si quis ex Cera Sacrorum *Agnus-Dei* conficeret candelas, vel quid ſimile, utrum peccaret? 30

℞. Affirmative: Ita Tancredi *de Relig. tract.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 9. *qu.* 1. *num.* 3.

num. 3. , qui putat , fore mortale . Quod verum mihi videtur ; Niſi ſorte hujuſmodi Candelæ adhiberentur ad uſum valde pium , ac religioſum , puta , ut lucerent coram SS. Sacramento Altaris ; vel dum celebratur Miſſæ Sacrificium ; aut niſi fierent Candelæ benedicendæ in die Purificationis Beatæ Virginis , quæque deinde adhiberentur ſolum ad uſus admodum pios , ac religioſos ; In his , & ſimilibus caſibus forte non erit mortale , de cera prædictorum *Agnus-Dei* Candelas , vel quid ſimile valde pium , ac religioſum efformare ; immo nec veniale , ſi aliqua vera neceſſitas interveniret ; attamen non apparet , eam poſſe evenire.

Digitized by Google

PARS III.
LIBRI V. TRACTATUS II.
NOTANDA
A DOMINICA IN ALBIS, SEU A DOMINICA I. POST PASCHA USQUE AD DOM. PENTECOSTES.

A Dominica in Albis, ſeu a Dominica I. poſt Paſcha Reſurrectionis uſque ad Dom. Pentec. aliqua notanda occurrunt in genere; alia vero particulariter, & ſigillatim ſingulis hebdomadis. Ideo in duas alias partes ſubdividimus partem hanc tertiam Temporis Paſchalis, & ſimul Libri V. Tractatus II. hujus Diarii. In I. agemus de quæſtionibus moralibus, Inſtitutionibus Eccleſiaſticis, ſacriſque ritibus notandis in genere toto prædicto tempore. In II. de iiſdem notandis ſigillatim hebdomadibus ſingulis. Sit itaque.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

NOT. IN GENERE.

A DOMINICA IN ALBIS INCLUS. USQUE AD DOMINICAM PENT. EXCLUS.

EXPLICANTUR CAPITIBUS II.

Cap. I. *De Horis Canon.*
Cap. II. *De Miſſa.*

CAPUT I.

De Horis Canonicis.

1 TEMPORE Paſchali a Dominica in Albis incluſive uſque ad Sabbatum incluſive, quod eſt ante Dominicam Pentecoſtes, in Officio currenti Beatæ Mariæ Virginis, Pontific. Confeſſor. Virg. non Virgin. Dedic. Eccleſ. & quorumlibet Feſtorum ad Invitatorium additur *Alleluja*. Item in quovis Nocturno Pſalmi recitantur ſub unica, & prima Antiphona (præter quam in Officio Aſcenſionis:) cui additur *Alleluja*, & in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluja*, quando in illis non habetur. *Rubr. gen. Brev. tit. 13. n. 3. & tit. 21. n. 6. Rubr. particul. in communi MM. temp. paſch. & Rubr. præfixa Offic. Annunciat. & Merat. to. 2. ſect. 6. c. 15. n. 2.*

2 Quærit Caval. *tom. 2. par. 2. c. 34. comment. in decr. 3. n. 1.* Quænam ex Antiphonis in uſum eſſe debeant, quando feſtum habens ad omnes Pſalmos antiphonas, celebratur Paſchali tempore, aut ad hoc transfertur? Et quæſtionem hujuſmodi ita ipſe reſolvit: *Certum eſt*, (inquit) *Quod ſi antiphonæ omnes ſint de communi, prima cujuslibet nocturni in uſum erit, dicente Rubrica in communi Martyrum temporis paſchalis poſita*: & tres pſalmi dicuntur in quolibet Nocturno ſub prima Antiphona illius Nocturni. *At quid ſi antiphonæ omnes ſint propriæ? Prima ſimiliter aſſumetur; nec Clerus cogendus eſt, ut ſeligat, quæ proprior eſt, & officio adaptatior: quod ut dignoſceret, quandoque ad anguſtias uſque redigeretur. Quod ſi promiſcue habeantur, & propriæ, & de communi, prima propria, quæ in quolibet Nocturno occurrit, deſerviet; & quatenus in aliquo Nocturno nulla propria habeatur, plures in alio, quæ ſunt propriæ, per anticipationem, aut poſtpoſitionem per nocturnos diſtribuantur, omiſſis iis de communi, ut in ſimilibus dicemus, infra in decr. 25. Quoniam vero ex Antiphonis propriis aliæ ſunt, quæ* mixtæ *dicuntur, & ſunt, quæ ex pſalmis depromptæ, paucis verbis additis, vel mutatis, ad rem myſterii, ſeu Sancti traducuntur; qualis eſt Antiphona 3. Laudum S. Stephani:* Adhæſit anima mea poſt te: *Si in officio, quod tempore paſchali celebratur, aliquæ erunt hujuſce rationis, omiſſis iis de communi, recitentur quidem; ſed hæc ratio habeatur, ut ſub iiſdem recitetur Pſalmus, ex quo ſunt de-*

deſumptæ, & ad alium nocturnum non traducantur: ad quem magis traduci poterunt aliæ, ſi quæ ſunt propriæ, & non mixtæ. In defectu autem propriarum etiam iſtæ, ut adaptatæ traduci poterunt, exemplo ducto ab Octava S. Stephani, in qua ad Veſperas ſub præfata Antiphona dicitur Pſalmus Beatus vir. Ita Caval. Sed nos putamus, abſolute, & ſimpliciter ſtandum eſſe Rubricæ præſcribenti, dicendam eſſe antiphonam, quæ in quolibet nocturno occurrit prima. Videantur dicta 25. Martii art. 2. ſect. 3. num. 45. ubi quidem id firmavimus, loquentes de tertia Antiphona tertii Nocturni officii Annunciationis.

3 Eodem ſupradicto paſchali tempore additur unum *alleluja* in ℣℣. Nocturnorum, & ℟℟. Lectionum, ac repetitur *Alleluja*, quando repetitur pars ejuſdem Reſponſorii. Sed in ℟. brev. omnium Horarum additur duplex *Alleluja. Rubr. gen. Br. tit. 24. n. 4. & tit. 27. n. 8. & tit. 28. num.* 5. ut in communi pro temp. paſch. ad pleniorem lætitiam indicandam, ubi verba quaſi deſunt ob brevitatem Reſponſoriorum. Ita Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *cap.* 14. *fine*.

Verſibus additur unum *Alleluja*; non autem verſibus precum, nec in *Pretioſa* ad Primam, nec in verſibus Reſponſ. Matutini. *Rubr. gen. Brev. tit. 24. n. 4. & Rubr. particul. Brev. Sab. in Alb.* Verſiculis, qui formam precum referunt, veluti ad preces Primæ, & Completorii *Alleluja* non adjicitur: quia preces neceſſitatem, ac gemitum ſignificant, quæ gaudio non conveniunt. Caval. *to. 2. par. 2. c. 34. comment. in decr. 4. nu. 3.* In Aſperſione vero, ſeu benedictione domorum in Sab. S. vel hebdomada paſchali ad ℣℣. additur *Alleluja*, ut ſtatim notabimus.

Paſchali autem tempore multum 4 frequentatur Alleluja, & ſæpiſſime reſonat in Divinis officiis, ad indicandum, tempus eſſe ſolemnitatis maximæ, & gaudium noſtrum eſſe plenum: Cum tempus paſchale figuret tempus Beatitudinis Cœleſtis, in qua per vicos Jeruſalem cantabimus Alleluja. Porro *Alleluja* vox exultationis eſt, & gaudii magni. Confer dicta 6. Januar. n. 27. & in Sab. Sancto nu. 356. & hoc lib. 5. part. 2. in ejuſ. 1. par. c. 1. n. 2.

Poſt octavam vero Paſchæ, toto paſchali tempore, præter feſtum Aſcenſionis, cujuſque Nocturni pſalmos ſub antiphona unica recitari: atque adeo antiphonarum diminutionem haberi, ad denotandum, ita fervere Clericos ex paſchalibus ſacramentis, & gaudiis, ut non egeant, pluribus antiphonis ad charitatem accendi: opinatur Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 5. cap. 7. n. 5.* Rurſus *ſect. 6. c. 15. num.* 3. ait: quod, ſi ex Ordine Rom. tit. de ordine in octavis Paſchæ: poſt octavam Paſchæ, *deinceps in ſequenti tempore, quaſi creſcentium arborum frondes, multiplicantur, & recoluntur mores boni diverſorum operum per plures pſalmos:* ita, inquit Gavantus, ab una Antiphona, quaſi ab una radice congrue pendent. Nos vero dicimus: ſignificari poſſe per illud, in Divinis laudibus Beatorum cantum invariabilem, & indefectibilem. Porro tempus paſchale, ut modo dicebamus, ſignificat ſtatum cœleſtis Beatitudinis. Antiphonas vero inſtitutas tantummodo eſſe, ad dandum pſalmis modum vocis, tradunt alii, ut notavimus alibi; ſi autem paſ-

chali tempore unica antiphona pſalmis omnibus datur cujuſque Nocturni ; Ergo ſub unica voce , ſeu ſub eodem tono ſinguli cantandi ſunt , ſeu cantabantur in Choro , paſchali tempore . Chorus igitur Clericorum ſub uno , & eodem tono decantans unius, & ejuſdem Nocturni pſalmos omnes , Beatorum Chorum , poterit , indicare invariabilem , & indefectibilem in Divinis laudibus : cum numquam deficiat , vel variet in intuitiva Dei viſione , & amore ; ſed ſemper in eodem tono manebit , ſeu gradu beatitudinis eſſentialis , quem ſibi Beatorum quiſque meruerit .

§ In Officio tamen parvo B. M. Virginis , paſchali etiam tempore , in Nocturno dicuntur tres Antiphonæ, ut alias ; idque eo quod non ſit Officium de feſto : ait Gavantus *in Rubr. ſect. 9. c. 1. n. 11.* Sed contra eſt, quod etiam Officium feriale non eſt Officium de feſto, & tamen in eo ad Nocturnum Pſalmi ſub unica recitantur Antiphona tempore paſchali . Potius igitur dici poſſet, illud fieri ad diſtinctionem Officii Canonici : quemadmodum de omiſſione multiplicis *Alleluja* in eodem Officio parvo ſtatim dicetur . Porro licet in Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato tempore paſchali Invitatorio, Antiphonis, ℣℣. & ℟℟. addatur *Alleluja* . Rubr. Brev. in Offic. S. M. in Sab. pro temp. paſch. At vero *ad Invitatorium , Antiphonas, Reſponſoria , & verſiculos in officio parvo B. M. V. tempore paſchali non additur* Alleluja . S. R. C. 28. Martii 1626. in *Tornacen.* apud Gavant. l. cit. Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 46. *decr.* 3. quod inſeruit comment. in decr. 1. n. 4. Idque jam habet Rubrica Brev. ubi de Offic. parvo B. M. V. pro temp. paſch. & Rubr. gen. Brev. tit. 37. n. 2. Omitti autem *Alleluja* in prædicto Officio parvo ad diſtinctionem horarum canonicarum , aſſeritur apud Gavantum l. cit. (ſed initio horarum poſt *Gloria Patri* . dicitur *Alleluja* in Officio præfato , quemadmodum in horis canonicis , ut Rubrica propria habet expreſſe). Conſentit Cavalerius cit. num. 4. ſubdens : inde generalem exurgere regulam , tempore paſchali non addendi *Alleluja* precibus cunctis, quæ extra Divinum Officium dicuntur . Excipe autem primo ℣. *Panem de Cœlo*, & ejuſdem ℟. & Antiph. *O ſacrum convivium* , quibus additur *Alleluja :* uti notavimus hoc l. 5. par. 1. c. 1. ob rationem ſignificatam ibidem . Excipe ſecundo Antiphonam *Vidi aquam*, & ℣. *Oſtende* non ſolum in aſperſione ſolemni Aquæ benedictæ, quæ ſingulis Dominicis fit immediate ante Miſſam ſolemnem Conventualem , quæ cæteroqui aſperſio ad illam eamdem Miſſam ſpectare cenſetur , ut ſuo loco dictum eſt tr. 1. l. 2. in cap. de Dominica : verum etiam prædicta cum *Alleluja* , ut in Miſſali , ſeu Rituali dicuntur, etiam quando recitantur in benedictione Domorum in Sabbato Sancto , vel infra Octavam Paſchæ : ut notavimus in Sab. S. ubi de ea benedictione. Itaque , ut animadvertit idem Caval. *to.* 4. *c.* 24. *comment. in decr.* 3. *n.* 13. *fine* , quamvis juxta Decreta , & Rituum regulas non addatur Alleluja Antiphonis , & verſibus extra Divinum Officium ; in dictis attamen caſibus non eſt dubitandum , diſpenſationem fieri ſpecialem . Animadverto inſuper , cum *Alleluja* recitari Antiphonam *Regina Cœli* , de qua hoc

Digitized by Google

hoc lib. 5. part. 1. c. 3. Ad Antiphonam quoque : *Trium puerorum :* quæ cum pſalmis , & precibus recitatur poſt Miſſam , additur *Alleluja ;* licet illa non ſint pars Officii , vel Miſſæ ; confer dicenda in Sab. poſt Dom. Pentec. num. 7. Item reſonet *Alleluja* in Benedictione menſæ , & gratiarum actione in Sab. Sancto , & infra Oct. Paſchæ , Aſcenſionis , & Pentecoſtes ; atque nonnullis feſtivitatibus adhuc extra tempus paſchale .

6 Propoſitum fuit S. R. Congregationi dubium ſequens : *Cum ex Fundatorum voluntate muneris ſit Eccleſiæ Gadicenſis , quotannis , ultra Officium diei , plura Anniverſaria adimplere , & de pluribus Feſtivitatibus Sanctorum Officium cum Veſperis , & Miſſa celebrare : quæritur : num Veſperæ dictarum feſtivitatum Sanctorum Pontificum v. g. ſeu Virginum , tempore paſchali ſi celebrentur , Antiphonæ pſalmorum , & reliquæ dici debeant cum* Alleluja *ob citati temporis paſchalis occurrentiam ? Et ſimiliter in iiſdem Veſperis , utpote extra diem proprium earum feſtivitatum , ultimus pſalmus eſſe debeat in Sanctis Pontificibus v. g.* Memento Domine David : *& in Sanctis Martyribus pſalmus* Credidi : *Num vero pſalmus* Laudate Dominum omnes gentes ? Reſponſum fuit : *Quando ultra Officium diei recitatur aliud de aliquo Sancto ex Fundatorum voluntate , ſi tempus occurrerit paſchale , ritum pro tempore convenit imitari , addendo Antiphonis , verſiculis , & ſingulis Reſponſoriis* Alleluja , *ſecundum peculiarem illius Rubricam , juxta alias reſoluta ; Pſalmi quoque Veſperarum erunt , ut jam alias deſignati in feſto : ſcilicet ut in primis , ſi primæ decantantur Veſperæ ; ut in ſecundis , ſi ſecundæ*. S. R. C. 26. Auguſt. 1752. in Gadicen. ad 2. dub. apud Caval. *to.* 5. *in Collect. recentior. Decretor.*

Tempore paſchali omnes hymni terminantur : *Deo Patri ſit gloria , & Filio , qui a mortuis ſurrexit* &c. ſi ſint ejuſdem metri , uſque ad Aſcenſionem excluſive . *Rubr. gen. Brev. tit.* 20. *n.* 6. Præter quam in Officio Beatæ M. V. , in quo hymni terminantur : *Jeſu tibi ſit gloria , qui natus es de Virgine* . Et præter hymnos habentes ultimum verſum proprium , ut in Officio Sanctæ Crucis ad Veſp. & plur. Martyrum ad Matutinum , quo verſu proprio hymnus nullus eſt privandus . Ille autem hymnus dicitur habere ultimum verſum proprium : qui in fine non exprimat gloriam Trinitatis ; aut præter gloriam Trinitatis aliquid aliud exprimat : ut e. gr. eſt hymnus feſti S. Crucis , & temporis Paſſionis . *Vexilla Regis* . Qui recitatur in Veſp. ſic enim terminat : *Te ſons ſalutis Trinitas , Collaudet omnis ſpiritus . Quibus crucis victoriam largiris , adde præmium* . Ubi præter gloriam Trinitatis aliquid aliud exprimitur , ut patet . Pro alterius autem rationis exemplo ſit hymnus plurimorum MM. qui recitatur ad Matutinum , & ſic terminat : *Te nunc Redemptor quæſumus , ut Martyrum conſortio . Jungas precantes ſervulos . In ſempiterna ſæcula* . Ubi non gloria Trinitatis exprimitur , ſed aliud , ut etiam patet . 7

8 Si tempore paſchali accidat alicubi recitari officium hebdomaticum SS. Sacramenti , hymni horarum terminantur , ut alias *Jeſu tibi ſit gloria , qui natus es de Virgine* . Vide dicta tr. 1. l. 2. in fer. v. art. 2. ſect. 1. num. 9. fine .

Poſt

8 Poſt Paſcha a feria ſecunda poſt Dom. in Albis leguntur Actus Apoſtolorum, Apocalypſis, & Epiſtolæ Apoſtolorum, quia virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Chriſti. Rupert. *de divin. offic. lib. 9. c.* 12. Honor. *in Gem. l.* 3. *c.* 141. Gavant. *in rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 12. *nu.* 8. de Actibus indicat Auguſtinus in Sermone quodam citato a Demochare to. 4. c. 12. & de iiſdem expreſſe prædictam rationem aſſignat Chryſoſtomus apud Bened. XIV. *de feſtis Dom. c.* 11. §. 3.

Si initium alicujus Epiſtolæ Catholicæ tempore paſchali infra hebdomadam aſſignatam impediatur aliquo feſto novem lectionum habente proprias lectiones de Scriptura: dictum initium Epiſtolæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in ſequenti feria alio ſimili initio Scripturæ ponendo, vel feſto non impedita; alioquin in præcedenti ſimiliter non impedita; ita ut aliquo modo ponatur, etiamſi plura initia eodem die poni oporteat. Rubr. gen. Brev. tit. 26. n. 7. Videantur dicta hoc tr. 2. lib. 2. parte 2. in ejus 1. par. c. 1. n. 2.

9 Dicitur *Te Deum* in omnibus Dominicis, & feriis tempore paſchali: Quia harum feriarum officium participat de ſolemnitate magna paſchali, atqueadeo eſt feſtivum uſque ad Aſcenſionem: excepta feria 2. Rogationum, in qua non dicitur *Te Deum*. Rubr. gen. Brev. tit. 27. n. 4. & tit. 31. nu. 1. Merat. *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 15. *n.* 2. *fine*.

10 De Dominicis occurrentibus a Dominica in Albis excluſive uſque ad Pentecoſten excluſive fit cemmemoratio, quando feſto duplici impediuntur. Rubr. gener. Brev. tit. 9. num. 3.

Quotidie fit commemoratio de Cruce in Laudibus, & Veſperis uſque ad Aſcenſionem, tam in Officio de tempore, quam de Sanctis, niſi ſit duplex, aut infra Octavas. *Rubr. gen. Brev. tit.* 35. *n.* 2. *& particul. fer.* 2. *poſt Dom. in alb.* Aliæ vero commemorationes de Sancta Maria, de Apoſtolis, & de Pace non dicuntur tempore paſchali. Similiter & de Patrono, vel Titulo Eccleſiæ; fit igitur tempore paſchali commemoratio tantum de Cruce. Rub. Brev. ll. cit. Eſt autem propria quæ ponitur in corpore Breviarii fer. 2. poſt Dom. in Alb. Omittuntur tempore paſchali ſuffragia Sanctorum, quia cum, ſecundum Joannem epiſt. 1. c. 2. Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam apud Patrem Advocatus noſter factus ſit ſingularis, æquum eſt, quod hoc tempore ſpes noſtra ſpecialiter elevetur ad unicum ejus ſingulare refugium; ita Caval. to. 2. c. 33. n. 1. Fit autem tempore paſchali commemoratio Crucis, quia Crux Chriſti fuit totius noſtræ lætitiæ cauſa; ut notat Azorius *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *c.* 16. *qu.* 5. Specialis commemoratio Crucis ponitur, in qua Chriſti Crucifixi recolitur Reſurrectio, ad recolendam ejuſdem Crucis victoriam, a qua Reſurrectio ortum habuit. Caval. loc. cit. num. 2. 11

12 In Dominicis, in Officio etiam Dominicali non dicitur ad Primam Pſalmus *Confitemini*. Sed tres tantum Pſalmi, nimirum: *Deus in nomine tuo. Beati immaculati, & Retribue*. Dicitur autem Symbolum S. Athanaſii in Officio Dominicali. *Rubr. gen. Brev. tit.* 22. *n.* 3. In feriis

riis tempore paſchali ad Primam dicitur Capitulum *Regi Sæculorum* ſicut in Dominicis, & feſtis. *Rubr. gen. Brev. tit.* 29. *n.* 4. Quotidie ad Primam in ℞. brev. *Qui ſurrexiſti a mortuis*: cum multiplici *Alleluja*, ut in Breviario, uſque ad Aſcenſionem excluſive; præterquam in Officio B. Virginis, in quo dicitur de more: *Qui natus es de Maria Virgine*. Qui verſus dicitur etiam in Officio SS. Sacramenti, puta, ſi recitetur ejus Officium votivum hebdomaticum. Rubr. gen. Brev. tit. 28. n. 3. Vide dicta tr. 1. lib. 2. in fer. v. n. 9. fine. Reſponſoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur uſque ad Aſcenſionem excluſive. Rubr. gen. Brev. tit. 28. n. 4.

Lectio brevis in officio de tempore uſque ad Aſcenſionem excluſive *Si conſurrexiſtis*.

In feriali officio Antiphon. ad *Benedictus*, & *Magnificat* quotidie propr. & quomodo perſolvendum ſit totum officium feriale tempore paſchali? habetur in Brev. Rom. in feria ſecunda poſt Dom. in Albis; Quomodo autem perſolvendum ſit tempore paſch. Completorium? habetur in eodem Brev. ubi de Sab. in alb.

Nota hic ex Micrologo de Eccl. obſervat. c. 55. *Quod antiqui de Sanctis communiter in Paſchalibus cantare ſolebant, unde & adhuc de uno, quæ ad plures pertinent, cantantur, ut* Alleluja, Gaudete, & *Offertorium* Confitebuntur; & *Reſponſorium*: In ſervis ſuis. *Et hoc ideo quia in univerſali Reſurrectione, cujus typus eo tempore agitur, communis eſt lætitia, & feſtivitas Juſtorum*. Similia habet Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 140. ubi ſic: *In Kalendis Maji ſcribitur feſtum Philippi, & Jacobi, & omnium Apoſtolorum. Olim namque infra Paſcha de nullo ſingulariter, ſed communiter de omnibus Officium agebatur; quia in Cœleſti Patria, quam illud tempus ſignificat, gaudium omnium eſt gaudium ſingulorum, & ſingulorum eſt omnium.* Ex his itaque habes rationem, quare tempore Paſchali, quando fit Officium de uno Martyre, dicantur multa de communi plurimorum Martyrum? Non fit tamen ſimiliter in Officio Sancti Confeſſoris: quia apud veteres memoria Confeſſorum non adeo celebris fuit: ut obſervat Micrologus *de Eccl. obſervat.* c. 48. Videri poteſt etiam Caval. *tom.* 1. *c.* 2. *in d.* 7. *a n.* 5. Confer dicta tr. 1. 1. Novemb. n. 2.

Cur item Martyribus deſignetur ſpeciale Commune intra tempus Paſchale? Id eſſe, eo quod conſortes fuerint Dominicæ Paſſionis: aſſerit Caval. tom. 2. par. 2. c. 34. in d. 10. n. 2. Eſt autem hic ex eodem animadvertendum: Officium Paſchale Martyrum ita Paſchalis temporis eſſe proprium, ut feſtis eorumdem cunctis, ſive occurrentibus, ſive in idem translatis adhibeatur. Si vero feſtum habeat aliquid proprium, puta Evangelium &c. vel tamquam proprium de communi extra tempus Paſchale aſſignatum particulari de cauſa, hujuſmodi partibus Officii propriis non privetur, etiamſi intra tempus Paſchale celebretur; Quemadmodum accidit in S. Hermenegildo, S. Joanne Nepomuceno, & aliis, ut ſuis locis notavimus; vide etiam dicenda capite ſequ. n. 7.

CA-

CAPUT II.

De Miſſa.

1 AD Introitum Miſſæ tempore Paſchali additur duplex *Alleluja*. At vero ad Offertorium, & ad *Communio* additur unicum *Alleluja*. Ubi autem aliunde adſit, nulla fit additio. Rubr. Miſſ. poſt diem 21. Martii. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 11. n. 7. fine.

2 Etiam in Miſſa de feria dicitur *Gloria in Excelſis* tempore Paſchali, quia & in Officio dicitur *Te Deum*, excepta Miſſa Rogationum. *Rub. gen. Miſſ. tit. 8. n. 3. & tit. 4.*

3 In feſtis ſemiduplicibus ab Octava Paſchæ uſque ad Aſcenſionem 2. or. de S. Maria *Concede nos*. 3. *Eccleſiæ* vel pro Papa. *Rub. gen. Miſſ. tit. 9. num. 6.*

4 Tam in Officio Miſſæ de tempore, quam de Sanctis omittitur Graduale; ejus autem loco dicuntur duo verſus cum quatuor *Alleluja*, & ordine, quem explicavimus in Sab. in Albis n. 6. ubi etiam rationem aſſignavimus, quare tempore Paſchali non dicatur Graduale?

5 Quotidie Præfatio Paſchalis tantum cum ℣. *in hoc potiſſimum glorioſius*, uſque ad Aſcenſionem excl. etiam in Dominicis, & Feſtis Sanctorum Præfationem propriam non habentibus. *Rubr. Miſſ. ubi de Præfat.* Infra Octavam habentem Præfationem propriam, dicitur Præfatio propria Octavæ: niſi dicatur Miſſa; habens aliam Præfationem propriam; tunc enim omiſſa Præfatione propria temporis, & Octavæ, dicitur Præfatio propria Miſſæ. Vid. Caval. *tom. 2. c. 15. in d. 4. n. 3. & 4. & tom. 5. c. 14. n. 14. &* 31. *ac* 32. In Miſſis autem Defunctorum quolibet tempore dicitur Præfatio Communis ex Rubr. gen. Miſſ. tit. 12. n. 4.

6 Tempore Paſchali non dicitur Miſſa de Vigilia, niſi in Vigilia Aſcenſionis. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. n. 6.*

Tempore Paſchali non dicitur Miſſa Conventualis pro Defunctis, neque pro eis fit commemoratio. Tempus Paſchale cum dicatum ſit gaudio, & triumpho Reſurrectionis Dominicæ, non ei convenit Officium funebre, quod mœroris eſt, & luctus. Caval. *tom. 3. c. 8. in d. 1. n. 1.* Nihilominus, ut citius ſuccurratur Animæ recenter defuncti: utque Defunctorum Animæ tempore Paſchali anniverſariis conſuetis ſuffragiis non priventur, dicitur Miſſa in die depoſitionis Defuncti, & Anniverſario. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 5. num. 1. & 2.*

7 *Si feſtum alicujus Martyris, habens in Miſſa proprium Evangelium, transferatur ad tempus Paſchale, dici debet idem proprium Evangelium, non vero unum ex aſſignatis pro tempore Paſchali.* Item *ſi transferatur ad tempus Paſchale, feſtum Sanctorum Martyrum, in quorum Miſſa Introitus ſit*: Gaudeamus omnes in Domino &c. *Si ultra Introitum* Gaudeamus &c. *habeat etiam proprium, vel Evangelium, vel Epiſtolam; tunc debet recitari idem Introitus; Secus, ſi nihil aliud proprii haberet, quia in eo caſu Introitus alter incipiens*: Protexiſti me Deus: *dicitur*. S. R. C. 29. Novemb. 1738. in una Carthagen. in Hiſpan. apud Caval: *tom. 5. c. 11. n. 15. & 17.* Evangelium cenſetur proprium in ſenſu Decreti, quotieſcumque non ſit depromptum ex iis, quæ aſſignantur in communibus &c. vel de communi qui-

dem

dem deſumptum, ſed aſſignatum tamquam proprium particulari aliqua de cauſa; quemadmodum notavimus cap. præcedenti n. 13. fine. Epiſtola quoque tunc cenſetur propria, ſi deprompta non ſit ex iis, quæ aſſignantur de communi &c. Caval. l. cit.

Tempore Paſchali uſque ad Sabbatum in Vigilia Pentecoſtes ad Nonam incluſive in Offic. & Miſſ. de temp. Col. param. alb. *Rubr. gener. Miſſ. tit.* 18. *nu.* 2. præterquam in Miſſa, & Proceſſione Litaniarum majorum, & minorum, quibus competit color Violaceus. Rubr. luc. cit. & n. 5.

Quid notandum pro adminiſtratione Euchariſtiæ: nec non pro illius expoſitione, ac depoſitione; Item pro Aſperſioe ſolemni Aquæ benedictæ, & pro Salutatione B. Virginis ad pulſum Campanæ Veſpere, mane, & meridie; nec non pro pro jejunio tempore Paſchali? quoniam hæc ad Octavam etiam pertinent Paſchæ; diximus hoc lib. 5. parte 1. temporis Paſchalis, ubi egimus de Notandis in genere a Dominica Reſurrectionis uſque ad Sabbatum poſt Dominicam Pentecoſtes, in quo terminat tempus Paſchale.

PARS II. PARTIS III. LIBRI V. NOTANDA

A Dom. in Albis inclus. usque ad Sabbatum ante Dom. Pentec. singulis Hebdomadis.

Post Octavam Paſchæ Reſurrectionis uſque ad Pentecoſtem numerantur, & currunt ſex hebdomadæ: ideo partem hanc in ſex capita dividemus, in quibus notabimus, quæ ſive de Moribus, ſive de Inſtitutionibus Eccleſiaſticis, Sacriſque Ritibus ad prædictas hebdomadas pertinent.

CAPUT I.

Not. in Hebdomada I. poſt Octavam Paſchæ.

ARTICULUS I.

Not. in Dominica in Albis, ſeu prima poſt Paſcha.

Explicantur Sectionibus IV.

Sect. I. *Cur hæc Dom. vocetur in Albis? ubi de recolenda quotannis ſuſcepti baptiſmi memoria.*
Sect. II. *De Hor. Canon.*
Sect. III. *De Miſſa.*
Sect. IV. *Not. pro præcepto Paſchali.*

SECTIO I.

Cur hæc Dom. vocetur in Albis? Ubi De Recolenda quotannis ſuſcepti baptiſmi memoria.

Dominica prima poſt Paſcha vocatur *in Albis*, aut quia in ea Neophyti incedebant in Albis, ſeu veſtibus Albis induti a Sabbato præcedenti; vel quia in ea confirmati, ſeu Sacramento Chriſmatis inſigniti, incedebant in Albis in hac eadem Dominica; vel contra propter veſtes albas a Neophytis depoſitas a Sabbato præcedenti; vel denique, quod in ea ſimpliciter fieret feſtiva commemoratio veſtium albarum in Baptiſmo ſuſceptarum, ad recolendam memoriam Baptiſmi ſuſcepti.

Sciendum enim eſt primo, & recolendum quod diximus in Sabbato hanc Dominicam præcedente, quod ſimiliter vocatur *in Albis*: nimirum Neophytos, ſeu recenter baptizatos Sabbato Sancto, conſueviſſe juxta morem aliquarum Eccleſiarum, indui veſtibus albis in Sabbato proxime præcedente hanc Dominicam, & in Albis ambulaſſe quoque in hac Dominica, & ſequentibus diebus hujus hebdomadæ uſque ad Sabbatum. Jam vero ex hujuſmodi conſuetudi-

ne

ne potuit Sabbatum proxime præcedens dici Sabbatum *in Albis*, & Dominica hæc item vocari Dominica *in Albis*, atque hebdomada hæc nuncupari hebdomada *in Albis*. Ita Joannes Beleth *de Divin. Offic. cap.* 121. poſt initium. Quapropter juxta morem hujuſmodi, voci *in Albis* ſubintelligitur verbum *aſſumptis*: *geſtatis*: aut quid ſimile.

Sciendum 2. juxta morem aliarum Eccleſiarum Neophytos conſueviſſe veſtibus albis indui in ipſo Sabbato Sancto, in quo ſolemniter baptizabantur, eaſque deponebant in Sabbato hanc Dominicam proximæ præcedente, quod vocatur *in Albis*. Sed ſecundum hanc conſuetudinem vocis *in Albis* ſubintelligitur verbum *depoſitis*; Et ſimiliter eidem voci *in Albis* adjectæ huic Dominicæ, & hebdomadæ, ſubintelligitur idem verbum *depoſitis*. Huic explicationi favet omnino Miſſa Ambroſiana, in qua hæc Dominica nuncupatur expreſſe: *Dominica in Albis depoſitis*: teſte Theophilo Raynaudo *tom.* 10. *tr. de Agno Cereo c.* 7. *n.* 8. Favet etiam perantiquus Ordo Romanus, in quo hæc Dominica dicitur: *Dominica poſt Albas*: Quo eodem modo eam appellat S. Gregorius in ſuo Sacramentario, teſte Raynaudo l. cit. & ſimiliter vulgatus Alcuinus *de Divin. Offic. C. de Sancto die Paſchæ fine*: & *cap. de Sabbato in Albis fin.*

Sciendum 3. juxta morem aliarum Eccleſiarum, Neophytos conſueviſſe quidem veſtibus Albis indui in ipſo Sabbato Sancto, eaſque ſimiliter deponere in Sabbato hanc Dominicam proxime præcedente; attamen depoſitis veſtibus albis ſuſceptis in Baptiſmo, alias veſtes ſimiliter albas recipiebant in Confirmatione in hac Dominica, in qua hoc alterum Sacramentum ipſis ab Epiſcopo conferebatur. Quas etiam veſtes albas per alios ſeptem dies, atque adeo per hanc ſecundam hebdomadam Paſchæ (quæ in Brev. Rom. dicitur prima poſt Octavam Paſchæ,) ferebant; ut tradunt Honorius *in Gemma l.* 3. *c.* 113. & 133. ac Joan. Beleth c. 130. Qui, propter hujuſmodi utique rationem, affirmant, hanc hebdomadam Paſchæ vocari hebdomadam *in Albis*, atque adeo Dominicam iſtam ideo nuncupari Dominicam *in Albis*. Secundum hujuſmodi conſuetudinem, voci *in Albis* ſubintelligitur verbum: *impoſitis*: *aſſumptis*: aut quid ſimile, ut in ſimili, priori loco expoſita, conſuetudine. Dicit etiam Beleth: ideo hanc hebdomadam vocari *in Albis*, quia ſignificat vitam æternam, in qua, utraque ſtola veſtiemur: nimirum gloria animæ, & corporis.

Sciendum 4. Raynaudum meminiſſe tantum unius ex prædictis conſuetudinibus Eccleſiarum, & admiſiſſe ſolam illam, ſecundo loco a nobis ſignificatam Neophytorum; geſtandi veſtes Albas in hebdomada Paſchæ, eaſque deponendi præcedenti Sabbato in Albis: at ignoraſſe, videtur, conſuetudines alias prædictas videlicet geſtandi veſtes albas in hac Dominica, & ſequentibus diebus hebdomadæ: aut ratione recenter ſuſcepti baptiſmi; uti habebat conſuetudo priori loco propoſita: aut ratione ſuſcepti Sacramenti Confirmationis, uti habebat conſuetudo tertio loco explicata. Raynaudus itaque ſecundam illam conſuetudinem ſolum commemorans, ex qua Neophyti non incedebant in veſtibus albis in hac Dominica, quas depoſuerant a Sabbato præcedenti; nec alias ſimiles aſſu-

aſſumebant; aſſignat rationem, ex qua hæc Dominica dicatur *in Albis*. Videtur igitur ei *cit. tract. de Agno Cereo c.* 7. *nu.* 8. hanc Dominicam dictam *in Albis* non a geſtatis per eam Veſtibus Albis Neophytorum, ſed a Feſtiva commemoratione veſtium albarum, quibus indui fuerant Candidati æternitatis in Baptiſmi ſuſceptione: ſeu a feſtiva commemoratione ſuſcepti Baptiſmi; Veſtibus Albis metonymice ſumptis pro albatis hominibus in die baptiſmi ſuſcepti; Et forte in hac Dominica, ait, aliqua etiam illorum Veſtium exhibitio fiebat ad expreſſiorem, & vividiorem recordationem. Et quidem aſſervatas fuiſſe a Sacris Miniſtris albas veſtes, quibus amicti fuerant Neophyti in Baptiſmi ſuſceptione, exemplis inſinuat idem Raynaudus l. cit.

2 Utique conſtat, antiquo Eccleſiæ inſtituto recoli conſueviſſe quotannis apud Romanos a fidelibus baptizatis memoriam ſuſcepti baptiſmi. Quod Anniverſarium vocabant Paſcha annotinum; ut tradit Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 136. & Micrologus c. 56. Utque idem Micrologus teſtatur, Inſtitutum hujuſmodi celebrabant eadem die anniverſaria, qua in Paſchate fuerant baptizati. At vero Raynaudus, ut jam ſignificavimus: contendit, prædictam feſtivam commemorationem ſuſcepti baptiſmi fuiſſe ab omnibus peractam in hac Dominica in Albis; Ideoque fuiſſe dictam *in Albis*. Verum quidquid ſit de hoc; certe piiſſima illa conſuetudo omnibus ſæculis ſequenda, & exercitium admodum rationabile cunctis fidelibus amplectendum; *Si enim* (ait Micrologus) *quilibet ſuum natalem, quo ad æternam mortem natus eſt, obſervat: quanto magis illum obſervare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus eſt*. Placet ideo, & ut reducatur ad praxim, expono; quod in Concilio Mediolanenſi VI. proponitur tit. de Baptiſmo, ubi ſic: *Religioſi inſtituti olim fuit, diem baptiſmi quotannis a fidelibus pie celebrari; id quod S. Gregorius Nazianzenus aliquando oſtendit. Quæ ſane inſtitutio cum ad pietatis Chriſtianæ cultum, piamque morum diſciplinam, non parum adjumenti, in primis adjutrice Dei gratia, afferre poſſit; eam in uſum revocari, vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochus, & Confeſſarius, pro ut occaſio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unusquiſque quo die baptizatus eſt, quotannis ardentiori prece, & eleemoſyna, (ſi per facultates poteſt;) omnique charitatis opere, atque officio, ſpiritualiſque gaudii celebritate recolat; Memor ſe Chirographo damnationis deleto, hæreditatis cœleſtis participem in Chriſto Domino factum eſſe. Qua in cogitatione, cum ſemper alias, fereque in ſingulos dies, ut Beatus Chriſoſtomus monet, tum eo potiſſimum die ſancte ſeſe excitet ad præclaram illam ſponſionem, & Chriſtianam Profeſſionem, quam in ſacro Lavacro per Sponſores ſolemniter edidit*. Repete (*inquit Sanctiſſimus Pater noſter Ambroſius*,) quid interrogatus ſis? Recognoſce quid reſponderis? Renunciaſti Diabolo, & operibus ejus, Mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus? Memor eſto ſermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ ſeries cantionis. *Parentum cura ſit, diem ob eam cauſam notare, quo eorum filius Chriſto renatus eſt: ideoque Parochus cum baptizaverit, moneat etiam, ut id ab illis fiat; præter ſcriptionem, quam ipſe eo de genere in Codicem ſtatum*

Pa-

Parochialem referre debet . Baptiſmi vero dies , qui ſolemni illa abrenunciationis ſponſione profeſſioneque inſignis eſt, ad omnem pietatis exercitationem , uſumque , non pompis ſæculi , non conviviorum apparatu , non luxu , non operibus tenebrarum , cum dies lucis ſit , celebretur ; ſed ſanctæ Charitatis erga Deum , ergaque proximum Officiis . Hucuſque laudatum Concilium; cujus hæc verba etiam deſcribit , atque commendat Raynaudus l. cit. n. 17. ubi ait : quod *nunc , quia ejus diei celebritas ſub Baptiſmi feſtivi titulo apud pleroſque obſolevit , optandum eſſet , ut ſaltem privatim , vel ea ipſa Dominica in Albis renovato apud ſe antiquo uſu , vel qua die quiſque ex Deo natus eſt , & Baptiſmum percepit , recoleretur ab uno quoque tanti beneficii memoria ex ea formula , quam ex Concilio VI. Mediolanenſi ſub S. Carolo tit. de Bapt. hic repræſento &c.* Hæc Raynaudus . Piiſſima quoque Virgo Gertrudis optabat , unumquemque fidelium quotannis , certo tempore , præſertim in Paſchate , & Pentecoſte recolere Baptiſmi recepti memoriam; & ad præſtandum hoc, varias exhibebat formulas recolendi , quæ videri poſſunt in ipſius Inſinuat. divin. piet. Exerc. 1.

3. Nota hic : Dominicam in Albis nos Siculos vocare Dominicam *novellam , ſeu novam* : Quam denominationem deſumpſimus a Græcis ; Græci enim , teſte Raynaudo l. cit. n. 6. hanc Dominicam vocabant Dominicam *novam*: Et inter Orationes S. Gregorii Nazianzeni eſt quadrageſima tertia , quæ inſcribitur : *in novam Dominicam* : eſt autem ſermo de Dominica in Octava Paſchæ: ubi Interpres rationem aſſignat , dicens: *Nova porro Dominica dies hæc vocatur, vel quia Reſurrectionis noſtræ Encænia in ea peraguntur ; vel etiam quia octavi illius diei figuram gerit , in quo nova omnia futura ſunt* . At verò Raynaudus l. cit. tradit : ideo Dominicam hanc nuncupatam fuiſſe novam , quia erat addicta recolendæ novæ generationi , & novitati vitæ per Baptiſmum receptæ: ut jam explicatum fuit . Et idem Raynaudus ibidem n. 5. docet : hujuſmodi denominatione Dominicæ præſentis conſequentem hæbdomadam dictam eſſe *hebdomadam novam* .

Puto etiam , ideò hanc Dominicam vocari novellam , ſeu novam , quia eſt Dominica prima poſt Paſcha, atque adeo prima inter cæteras Dominicas , quæ a Dominica Paſchæ Reſurrectionis veluti profluunt , & ex illa Dominica Dominicæ nuncupantur . Porro dies prima cujuſque hebdomadæ Dominica nuncupatur , maxime quia hujuſmodi die Reſurrectio Domini facta eſt; Vide dicta tr. 1. lib. 2. in Dominica art. 1. qu. 2. n. 5. ubi laudavimus Innocentium I. epiſt. 1. (alias 25.) c. 4. n. 7. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ſcribentem : *Diem Dominicum ob Venerabilem Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti , non ſolum in Paſcha celebramus , verum etiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus* . Unde Dominica proprie videtur eſſe Dominica Paſchæ, in qua ſpecialiſſime recolitur memoria Reſurrectionis Domini: cæteræ vero Dominicæ , quæ ſequuntur uſque ad novum Paſcha , videntur profluere a Dominica Paſchæ; Cum autem hæc Dominica ſit prima , quæ profluat a Dominica Paſchæ , & ex illa Dominica nomen Dominicæ participet prima , hinc re-

ctè

Digitized by Google

cte potuit nuncupari *novella*, ſeu Dominica *nova*. Alia inſuper Dominicæ huic tributa nomina videri poſſunt apud laudatum Raynaudum cit. num. 5.

SECTIO II.

De Horis Canonicis.

4 DOMINICA in Albis in Octava Paſchæ eſt prima poſt Paſcha, major, & primæ claſſis, quæ numquam omittitur quocumque feſto occurrente. Rit. dupl. min. *Rubr. gen. Brev. reſpective tit.* 1. *n.* 1. *& tit.* 2. *n.* 1. *& tit.* 4. *n.* 1. *& tit.* 9. *n.* 3. *& in duab. tabell. excerpt. ex Rubr. gener. Brev.* Omnia ut in propr. & in Pſalt. temp. Paſch.

In Dominica in Albis poteſt legi nona lectio de ſimplici Feſto occurrente, ut accidit anno 1735. *de S. Aniceto.* S. R. C. 5. Maji 1736. in Einſidlen. apud Caval. *tom.* 2. *c.*34. *d.* 22. Et ſimiliter accidit ann. 1776. de S.S. Tiburtio, Valeriano, & Maximo. Porro etſi feſtum 1. cl. excludat commemorationem feſti ſimplicis, atque adeo nonam lectionem ejuſdem; & Dominica in Albis ſit 1. cl. nihilominus animadvertendum eſt, quod alias notavimus: hoc eſt: Dominicas nonnullas dici 1. vel. 2. cl. non quo ad ritum recitandi, ſed quod ad excluſionem alterius feſtivitatis forte occurrentis in illis. Hujuſmodi autem eſt Dominica in Albis, eſt nimirum duplex minus (vide dicta tr. 1. 13. Januar. art. 1. n. 2.) quo ad ritum celebrandi Officium, ſed. 1. cl. tantum quo ad excluſionem aliorum feſtorum occurrentium in ea, & in concurrentia eſt inſtar duplicis majoris, quatenus ei factum eſt privilegium, ut mox dicemus, Veſperas non cedendi niſi duplicibus 1. vel 2. cl. (Vide rurſus dicta 13. Januar. l. cit.) Dominica in Albis itaque Ratione ritus recitandi Officium, non reſpuit commemorationem Simplicis; & cum careat nono Reſponſorio, admittit nonam lectionem propriam ejuſdem, de illius videlicet hiſtoria, ſeu vita, ſi habeat; ſi vero habeat de communi, non eſt legenda.

Ad Primam dicuntur tres pſalmi ut in feſtis, & Symbolum S. Athanaſii: *Quicumque*. In ℟. br. *Qui ſurrexiſti*, cum multiplici *Alleluja*, ut in Brev.

Si hæc Dominica concurrat in Veſ- 5
peris cum ſequenti duplici etiam majori, Veſperæ nihilominus erunt de Dominica, & ſola commemoratio de ſequenti. Si autem ſequatur feſtum etiam translatum duplex 1. aut 2. cl. Veſperæ de ſequenti, & commemoratio præcedentis Dominicæ. *Rubr. gen. Brev. tit.* 11. *n.* 7. *& in not. poſt tabell. de concur. in Brev.* Recole modo dicta, & 13. Januar. n. 2. Hinc ſi celebretur feſtum Annunciationis (translatum ab hebdomada majori, vel Paſchali; vide dicta 25. Martii nu. 29. 36. & 44.) hodie Veſp. de prædicto feſto cum commemoratione Dominicæ. *Gavant. in Rubr. Brev. ſect.* 7. *cap.* 16. *ad diem* 25. *Martii*.

Quæri poſſet hic: cur titulus præfixus Officio Dominicæ in Albis, & Miſſæ Dominicæ ejuſdem habeat: *Dominica in Octava Paſchæ*: Cum octava Paſchæ in Sabbato præcedenti fuerit abſoluta, ut heri notavimus? Cui quæſtioni reſpondeo: quod Cavalerius ſequutus opinionem illorum, qui volunt Miſſam Reſurrectio-

ctionis, quæ nunc celebratur in Sabbato Sancto mane, antiquitus celebratam fuiſſe in Sabbato S. poſt mediam noctem pertinentem ad Dominicam Paſchæ, atque adeo in die Paſchæ, etſi ante lucem, in nocte: Hac admiſſa opinione, ſcribit tom. 5. c. 14. n. 33. quod *ab illa Miſſa Octavam Paſchæ ducebant antiqui, quam propterea terminabant ad conſimilem Miſſam, quam faciebant adventante Dominica in Albis, quæ propterea dicebatur* Vacat*: Cum de tempore reliquum ſuppleretur Officium. Cum vero poſtmodum gravibus de cauſis prædicta Sabbati Sancti Miſſa tracta fuit ad Nonam, ad Nonam ſimiliter ſubſequentis Sabbati anticipatus fuit terminus Octavæ, & in integrum etiam ad Veſperas ſucceſſit Officium de tempore ex Decreto Gregorii VII. de quo* de conſecratione diſt. 5. cap. 15. *Quibus tamen minime obſtantibus; eidem Dominicæ reliqua remanſerunt, tum ejuſdem inſcriptio*: Dominica in Octava Paſchæ*: cum ritus duplex, & denique reliqua ejuſdem Octavæ*. Hæc Cavalerius. Verum, quod Miſſa Reſurrectionis, quæ nunc celebratur in Sabbato Sancto, antiquitus etiam in eodem fuerit Sabbato celebrata, licet in nocte Sabbati, ad ipſum tamen Sabbatum pertinente, non ad Dominicam ſubſequentem, ſeu ante mediam noctem Dominicæ atque adeo non in ipſa Dominica Paſchæ: oſtendunt argumenta producta in triduo ante Paſcha hoc tr. 2. l. 4. par. 2. c. 8. nu. 43. & 44. Deinde etiam in ejuſdem Breviarii Rubricis recentioribus Dominica in Albis vocatur *Octava Paſchæ*: Videlicet in notis deſcriptis ad calcem tabellæ de concurſu ſic legitur: *In ſecundis Veſperis diei Octavæ Epiphaniæ, Paſchæ &c. de ſequenti duplici fit tantum commemoratio &c.*) Eſt autem ſermo de ſecundis Veſperis Dominicæ in Albis, non de die Paſchæ, cujus ſecundæ Veſperæ non poſſunt concurrere cum ſequenti aliquo feſto duplici, in feria enim ſecunda proxime ſequenti poſt Dominicam Reſurrectionis non poteſt fieri de ullo feſto, ut conſtat; nec eſt ſermo de Sabbato in Albis: Enim vero in Dominica in Albis non fit de ullo feſto, ut ſupra notavimus. Ergo ibi ſermo eſt de ſecundis Veſperis Dominicæ in Albis, quæ igitur ibi vocatur *Octava Paſchæ*. Quapropter nos inclinamus magis ad exiſtimandum: Dominicam in Albis vocari Dominicam *in Octava Paſchæ* ex ratione ſimili propter quam vocatur *in Albis*: nimirum, quod ſicuti juxta morem illarum Eccleſiarum, in quibus Neophyti deponebant veſtes albas in Sabbato præcedenti, hæc Dominica dicta fuit *in Albis*: ſubintelligendo: *depoſitis*: ut ſect. præcedenti notavimus; ita ſimiliter eadem Dominica potuit nuncupari: *In Octava Paſchæ*: ſubintelligendo: *abſoluta*. Poteſt etiam dici, & fortaſſe quidem verius: Dominicam in Albis vocari Dominicam *in Octava Paſchæ; & Octavam Paſchæ*: propterea quod recurrat Octava die a Dominica Paſchæ: & cum ritu gaudeat duplici inſtar diei Octavæ, ac ſolemniori præ cæteris Dominicis: ſed & ſpecialibus donata ſit privilegiis in gratiam Paſchæ, ut patet ex dictis: videatur habere rationem quamdam diei Octavæ Paſchæ; unde, etſi juxta ritum recitandi Officium infra Octavam Paſchæ, dies Octava Paſchæ non ſit, quæ ad nonam Sabbati præcedentis, celebrata

Miſ-

Miſſa, eſt abſoluta: nihilominus propter ſignificatos alios reſpectus rite etiam *Octava Paſchæ*, ſeu Dominica *in Octava Paſchæ* potuit nuncupari in Miſſ. ac Brev. Rom. ll. cit. & tit. 11. de concur. n. 7. & a recentioribus Rubriciſtis paſſim; confer dicta 13. Januar. nu. 2. initio; quemadmodum etiam in Concilio Trident. ſeſſ. 24. c. 10. de reform. matrimon. confer dicenda ſequenti die num. 12.

SECTIO III.

De Miſſa.

7 In Dom. in Albis dupl. min. Miſſa ut in propr. Or. un. *Credo*. Præfatio Paſch. tantum cum ℣. *in hoc potiſſimum glorioſius &c.* Ad *Ite Miſſa eſt*: non additur amplius *Alleluja*. Si occurrat feſtum ſimplex, fit utique de eo commemoratio, ut in Officio.

SECTIO IV.

Not. pro Præcepto Paſchali.

8 Hodie per ſe terminat pro Eccleſia univerſali tempus præcepti Communionis paſchalis; ſeu eſt ultimus dies, quo impleri poteſt præceptum hujuſmodi.

Dixi 1. *pro Eccleſia univerſali:* quia pro quibuſdam locis extenditur. Dixi 2. *per ſe terminat:* quia, qui non poteſt infra tempus præcepti Paſchalis communicare, debet extra, ut ſaltem impleat præceptum Communionis annuæ. Similiter prædictum tempus extenditur pro eo, qui ex judicio proprii Sacerdotis, ſeu Confeſſarii non potuit tempore pro Eccleſia univerſali deſignato communicare. Sed de his, ſeu de præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis ex profeſſo, fuſeque egimus hoc lib. 5. parte 2. in ejus 1. par. c. 3.

ARTICULUS II.

Not. fer. 2. poſt Dom. in Albis.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS IV.

Sect. I. *De translatione Officii, & feſti Annunc. B. M. V. ad hanc feriam.*

Sect. II. *Not. in caſu translationis Officii S. Marci Ev., & ſimul SS. Ap. Philippi, & Jacobi.*

Sect. III. *Not. pro præcepto Communionis Paſch.*

Sect. IV. *De celebratione Nuptiarum*

SECTIO I.

De translatione Officii, & feſti Annunc. B. M. V. ad hanc feriam.

Quandonam, & quomodo Officium Annunciationis B. M. V. vel ejuſdem feſtum in foro, ſeu obligatio audiendi Miſſam, & abſtinendi a ſervilibus, debeat transferri ad hanc feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis? Diximus tr. 1. 25. Martii art. 2. ſect. 2. ſubſ. 1. & 4. & ſect. 3. translato Annunciationis feſto etiam quo ad forum, ſeu obligationem audiendi Miſſam, ad hanc diem. Non poſſe hodie celebrari Miſſas in Oratoriis privatis: docuimus cit. ſubſ. 4. n. 36. 9

An autem translato Annunciationis feſto ad hanc diem, acquiri hodie poſſit Indulgentia, quæ concedi ſo-

ſolet pro feſto Annunciationis ? Examinavimus 25. Martii art. 1. ſect. 4. a n. 15.

An translato Annunciationis feſto, poſſit celebrari cum Octava, ubi eſt titulus Eccleſiæ ? examinavimus 25. Martii art. 2. ſect. 2. ſubſ. 4. num. 38. & 39.

SECTIO II.

Not. in caſu tranſlationis Officii S. Marci Ev. & ſimul SS. App. Philippi & Jacobi.

10 In caſu, quo transferatur Officium S. Marci Ev. & ſimul SS. App. Philippi, & Jacobi, quodnam Officium ſit reponendum prius ? Vide tr. 1. 25. April. art. 8. ſect. 2. §. 1. num. 29.

SECTIO III.

Not. pro præcepto Communionis Paſchalis.

11 Præcepto Paſchali non poſſe, per ſe loquendo, ſatisfieri in feria 2. poſt Dom. in Albis: quia tempus præcepti Paſchalis commenſurandum eſt omnino indiviſibiliter a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive; & non moraliter circumcirca: docuimus hoc libr. 5. parte 2. in ejus 1. par. c. 3. ſect. 2. qu. 1. nu. 9. An autem, qui non communicavit tempore præcepti Paſchalis, teneatur poſt prædictum tempus ? Examinavimus l. cit. qu. 11. a nu. 23. Elapſo tempore præcepti Paſchalis ſervent Parochi quod, ſui ipſorum muneris eſſe notavimus cit. c. 3. ſect. 6. n. 136. §. *Nota* 2.

SECTIO IV.

De celebratione Nuptiarum.

Ab Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſive (hoc eſt uſque ad Dominicam in Albis incluſive: Vide dicta præcedenti die ſect. 2. fine) antiquas ſolemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari Sancta Synodus præcipit Tridentina ſeſſ. 24. c. 10. de Reform. Matrim. Atque adeo poſt mediam noctem Dominicæ in Albis, incipiente hac feria ſecunda, ceſſat Interdictum ſolemnium Nuptiarum. Vide dicta hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 7. 12

ARTICULUS III.

Not. Fer. III. poſt Dom. in Albis.

SECTIO UN.

De tranſlatione Officii, & feſti S. Benedicti Ab. ad hanc diem.

Ubi feſtum S. Benedicti Ab. habet annexum forum, ſi occurrat in hebdomada majori, transferendum eſſe Officium, & feſtum in foro ad hanc diem una cum Indulg. notavimus tr. 21. Martii art. 1. & 3. vide ibi dicta. 13

ARTICULUS IV.

Not. Fer. 6. poſt Dom. in Albis.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

14 *Feſtum Lanceæ, quod eſt approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur feria 6. poſt Dominicam in Albis, ſi ob occurrentiam alicujus feſti novem lectionum impediatur, transferri debet ad aliam feriam ſextam intra tempus Paſchale tantum.* S. R. C. 5. Maji 1736. in Einſidlen. apud Caval. *tom.* 2. *c.* 25. *d.* 11. vide eumdem ibi.

CAPUT II.

Not. in Hebdomada II. poſt Oct. Paſchæ.

ARTICULUS UN.

Not. in Dom. II. poſt Paſcha.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

Quæſitum fuit a S. R. C. *Utrum occurrente aliquando feſto altioris ritus in Dominica ſecunda poſt Paſcha, in qua ex Indulto Sacræ Rituum Congregationis recitatur in Polonia Officium affixum huic Dominicæ Sanctiſſimi Sepulchri; debeat ne prædictum Officium Sanctiſſimi Sepulchri transferri in aliam diem non impeditam: an omitti juxta Decretum in anno* 1683. 20. *Martii emanatum?* Et reſponſum fuit: quod *Officium Sanctiſſimi Sepulchri, ſi occurrerit feſtum altioris ritus, non erit ad aliam Dominicam transferendum, ſed prorſus omittendum.* S. R. C. 29. Januar. 1752. in una Ordin. Carmelit. Excalceat. Provinc. Polon. ad 5. dub. apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recentior. Decretor.* & in opere Merati *in* 2. *append. ind. Decret. Breviar.* n. 522. Vide dicta tr. 1. in Novemb. par. 1. ſect. 4. ſubſ. 1. num. 8.

CAPUT III.

Not. in Hebdomada III. poſt Oct. Paſchæ.

ARTICULUS UNICUS.

Not. in Dom. III. poſt Paſcha.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

AGITUR §§. II.

§. I. *De Officio Patrocinii S. Joſeph.*
§. II. *De Officio S. Raphaelis Archang.*

De Officio Patrocinii S. Joſeph.

In Dom. III. poſt Paſcha celebratur Officium Patrocinii S. Joſeph Conf. ſub ritu dupl. 2. cl. in Hyſpania, in Dominio Veneto, & alibi. Pro locis, & Eccleſiis particularibus ad earum inſtantiam conceſſum ſub terminis facultativis, non poteſt transferri, ſi in prædicta Dominica impediatur; ut colligitur ex Decreto S. R. C. 5. Maii 1736. in Einſidlen. hujus tenoris: *Non poſſunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quæ ſunt conceſſa pro locis, & Eccleſiis particularibus ad eorum inſtan-* 1

ſtan-

ſtantiam ; & quando Officia prædicta ſint de præcepto pro aliquo Statu , ſicuti ſunt Officia plura B. M. V. conceſſa a S. M. Benedicto XIII. pro ſtatu Eccleſiaſtico affixa certis diebus , transferantur . apud Caval. *tom.* 2. *c.* 25. *d.* 10. Et etiam habetur ſpeciale, expreſſumque Decretum hujus tenoris : *Patrocinium S. Joſeph. non poteſt transferri ad aliam diem , quando non habet locum in Dominica tertia poſt Paſcha ob occurrentiam feſti altioris ritus , vel dignitatis , ſed pro eo anno omittatur :* S. R. C. 11. Martii 1743. in Senen. apud Caval. *in append. ad cit. cap.* 25. *d.* 5. Sermo autem eſt de Officio Patrocinii S. Joſeph conceſſo pro locis particularibus ; ut animadvertit Caval. ibi . Secus enim dicendum eſt de conceſſionibus factis ad inſtantiam Regum , ſeu Principum Statibus, ſeu Regnis, ac Dominiis; tunc enim occurrente impedimento , poteſt transferri ad primam diem non impeditam , quæ non ſit Dominica , ex Decr. S. R. C. 26. Novemb. 1735. & 22. April. 1741. & 11. Januar. 1749. apud Caval. cit. c. 25. d. 9. & in append. ad idem caput d. 2. & 8. Vide etiam eumdem eodem cit. cap. 25. in decr. 10.

2. *Si Dominica tertia poſt Paſcha , cui pro aliquibus locis eſt affixum Officium Patrocinii S. Joſephi , occurrat feſtum S. Marci Evangeliſtæ , vel SS. Apoſtolorum Philippi , & Jacobi ; Officium Patrocinii transferatur juxta Rubricas ad primam diem non impeditam .* S. R. C. 22. April. 1741. apud Caval. *to. c.* 31. *d.* 4. Et licet eadem S. C. 11. Maii 1743. interrogata : *An de Patrocinio S. Joſeph ſit recitandum Officium in Dom.* 3. *poſt Paſcha , quando in ea occurrunt feſta S. Marci Evangeliſtæ , vel SS. Apoſtolorum Philippi , & Jacobi ?* ℞. *Affirmative in locis , in quibus feſtum Patrocinii S. Joſeph eſt duplex 2. claſſis .* Item . *An Patrocinio S. Joſeph concurrente cum dictis feſtis ſint de eo integræ recitandæ Veſperæ ?* ℞. *Affirmative .* apud Caval. *commen. in cit. d.* 4. *n.* 6. Sed deinde rediit ad diſpoſitionem prioris decreti ; etenim denuo expoſito dubio in S. C. R. pro parte Eccleſiæ Metropol. Florentiæ , ſuper occurrentia feſti SS. Apoſtolorum Philippi , & S. Marci cum altera feſtivitate Patrocinii S. Joſeph . S. R. C. die 3. Julii 1745. reſpondit , præferendum eſſe feſtum Apoſtolorum , & Evangeliſtarum . Apud Lucium Ferrar. in ſua biblioth. in poſteriori append. pag. 366. col. 1. fine edit. 3. Bonon. Videri poſſunt dicta 14. Januar. n. 18. Itaque ſi feſtum Patrocinii S. Joſeph concurrat in Veſp. cum feſto S. Marci , vel SS. Apoſtolorum Philippi , & Jacobi , Veſperæ erunt de laudatis SS. Apoſtolis , vel de S. Marco Ev. & fiet commemoratio Patrocinii S. Joſeph . Idem dic ſi feſta prædicta concurrant cum feſto Patrocinii S. Joſeph . Item ſi feſtum Patrocinii S. Joſeph occurrat in feſto S. Marci Ev. vel SS. Apoſtolorum Philippi , & Jacobi , fit de S. Marco Ev. vel de SS. Ap. Philippo , & Jacobo ; feſtum vero Patrocinii S. Joſeph transfertur , ubi eſt transferibile ſecundum dicta ſuperius , ad primam diem non impeditam , juxta Rubricas Generales . Quo caſu (cum ſit extra Dominicam ,) non eſt dicendum *Credo* in Miſſa . Vid. Caval. *to.* 5. *c.* 12. *n.* 60. alias per errorem 61.

§. II.

De Officio S. Raphaelis Archangeli.

3 QUANDO *feſtum S. Raphaelis celebratur Dominica tertia poſt Paſcha, Antiphona primi nocturni erit:* multa magnalia. *Et in ſecundo nocturno:* Archangele Raphael. *In tertio autem:* Angelus Archangelus. S. R. C. 5. Maii 1736. in *Einſidlen.* apud Caval. *to.* 2. *c.* 34. *d.* 3. qui n. 1. animadvertit: Officium, de quo diſpoſitio procedit, non eſſe illud, quod ad uſum Romani Cleri in Breviariis, pro locis Indultariis, die 24. Octobris habetur: cum aſſignatas, ſaltem omnes, non teneat antiphonas.

Dominica tertia poſt Paſcha, ubi celebratum eſt feſtum S. Raphaelis Archangeli, in 3. *noctur. recitetur homilia S. Jo. Chryſoſtomi, nempe:* Cum vellet Deus. S. R. C. 5. Maii 1736. in *Einſidlen.* apud Caval. *tom.* 2. *c.* 34. *d.* 20. quod inſeruit comment. in decr. 19. n. 4. *Ubi celebratur feſtum SS. Gabrielis, vel Raphaelis Archangeli, ad octavam benedictionem dicatur:* Cujus feſtum colimus. *Non vero quorum feſtum.* S. R. C. 13. Septembr. 1692. *in Hiſpal.* apud Caval. *tom.* 2. *c.* 34. *d.* 7. vide dicta 24. Octobr. art. 1. n. 2. In 1. & 2. Veſp. S. Raphaelis quid notandum? vide 2. Octobr. art. 1. n. 2.

CAPUT IV.

Not. in hebdomada IV. poſt Octavam Paſchæ.

ARTICULUS UNICUS.

Not. in Dominica IV. poſt Paſcha.

SECTIO UNICA.

De Hor. Canonicis.

IN Dominica IV. poſt Paſcha legitur initium Epiſtolæ Divi Jacobi. Si autem lectum fuerit heri, in caſu, quo feſtum Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Jacobi occurrit in Sabbato præcedente immediate hanc Dominicam, tunc ne idem initium legatur duobus immediate diebus: legantur hodie Lectiones Feriæ ſecundæ ſequentis de ejuſdem Epiſtola. *Rubr. Brev. in Dom.* 4. *poſt Paſcha, & Gavantus in Rubr. Brev. ſect.* 6. *c.* 15. *n.* 6. *& ſect.* 7. *c.* 7. *ad diem* 1. *Maji.* Confer dicta tr. 1. 2. Maji nu. 2. Ubi autem Sanctus Philippus Apoſtolus eſt Patronus, aut Titulus Eccleſiæ, legendum eſt hodie prædictum initium, etiamſi heri occurrerit Feſtum laudatorum Sanctorum Apoſtolorum, eo quod ibi heri lectum non fuit. Vide dicta 1. Maji art. 2. qu. 5.

CAPUT V.

Not. in Hebdom. V. poſt Oct. Paſchæ.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. V. poſt Paſcha.

SECTIO UNICA.

De Hora celebrandi Miſſam.

1 PRO iis; quos reſpicit, deſcribimus hic quamdam Epiſtolam de mandato Pontificis Clem. XII. tranſmiſſam Cardinali Proſpero de Lambertinis Archiepiſcopo Bononienſi, (qui fuit Bened. XIV.) ab eodem relatam in ſuis Notificationibus to. 4. notif. 1. in qua Epiſtola reprehenditur a Pontifice tranſgreſſio gravis præcepti de hora celebrandi Miſſam in Eccleſia quadam, in hac Dominica. Eſt autem Epiſtola tenoris ſequentis.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine Obſequentiſſime.

CUM ad aures Sanctiſſimi Domini Noſtri devenerit nonnullos forte per annos, antequam Eminentia veſtra iſtius Bononienſis Eccleſiæ regimini præficeretur, paulatim ea in Civitate irrepſiſſe abuſum, ut occaſione, qua Sacra quadam Imago Deiparæ Virginis a S. Luca, ut prafertur, depicta, ab Eccleſia Sancti Matthiæ Religioſarum Ordinis S. Dominici ad alias plures Monialium Eccleſias die Dominica ante Aſcenſionem, ſervato Proceſſionis ritu, transfertur, multas per horas ante auroram, priuſquam nempe eadem Sacra Imago inde amoveatur, Miſſa lecta coram ipſa celebretur, deindeque eadem die, pluribus jam a meridie tranſactis horis, nimirum poſtquam dicta Sacra Imago ad ipſam Sancti Matthiæ Eccleſiam relata eſt, alia ibidem Miſſa ſolemniter cantatur; Sanctiſſimus Pater, qui non ſine gravi animi ſui offenſione, Eccleſiæ præceptum, ejuſque Rubricas de tempore celebrandi Miſſas ſalubriter conſtitutas tanta horarum perturbatione violari accepit, has ad Eminentiam veſtram juſſit Litteras dari, quibus ſignificetur, Sanctitatis ſuæ mentem eſſe, ut enunciatus abuſus penitus eliminetur, utque in hunc finem Eminentia veſtra nedum ea, qua pollet ordinaria auctoritate juxta præſcriptum Sacri Tridentini Concilii monentis in Decreto de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ. Locorum Ordinarios, ut Edicto, & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent; verum etiam facultate ſibi ab eadem Sanctitate ſua, quatenus opus ſit, ſpecialiter delegata, mandet, promulgari Edictum, quo ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrenda, aliiſque etiam gravioribus arbitrio Eminentiæ veſtræ decernendis diſtricte prohibeatur omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, & præſertim Fratribus Ordinis Prædicatorum, ne quiſquam eorum, in præfata Eccleſia Sancti Matthiæ Miſſam ullam, ſive lectam, ſive cum cantu, præter quam debitis horis audeat præmiſſa die Dominica, vel alia quacumque celebrare. Id itaque de Mandato ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Eminentiæ Veſtræ ſignifico, ut ejus menti ſe conformare dignetur, ejuſque manus humillime deoſculor.

Romæ 2. Martii 1737.

Eminentiæ Veſtræ
Umill. & addictiſs. Serv.
A. Card. Gentilii Pro Præf.

Con-

Confer etiam dicta in Sab. Sanct. ſubſ. 4. §. 5. qu. 2. n. 363. & tr. 1. l. 1. c. 1. art. 9. ſect. 10. n. 47.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. V. Paſchæ: Hæc eſt Feria V. in Rogationibus.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS V.

Sect. I. *De Inſtitutione, & Obſervantia Rogationum.*
Sect. II. *De Horis Canonicis.*
Sect. III. *De Litaniis Minoribus, & Proceſſione.*
Sect. IV. *De Miſſa.*
Sect. V. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Inſtitutione, & Obſervantia Rogationum.

2 FERIA II. & III. ac IV. poſt Dom. V. Paſchæ, & immediate ante Feſtum Aſcenſionis ſunt dies Rogationum.

3 Qu. I. Quænam ſint hujuſmodi Rogationes, & a quo, & ad quid fuerint inſtitutæ?

℞. Rogationes dictæ ſunt publicæ ac ſolemnes Litaniæ, ſive preces ſupplicationeſque ad Deum, Deique Sanctos fuſæ ab Eccleſia, & populo Chriſtiano hodierna, & ſequentibus duabus feriis, quæ quidem Litaniæ præſentibus recitatæ diebus *minores* vocantur in Miſſali quoque Romano, ad differentiam Litaniarum, quæ die vigeſima quinta Aprilis ſimiliter celebrantur, quæque *majores* jam fuerant in Romana Eccleſia nuncupatæ, antequam has reciperet Litanias: quemadmodum animadvertimus to. 1. ſub die vigeſima quinta Aprilis art. 4. ſect. 1. n. 7. Inſuper hæ minores vocantur, eo quod ſolemnitate minori Romæ conſueverint recitari præ illis, quæ die vigeſima quinta Aprilis ſunt celebratæ. Error autem eſt apud Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de orat. c. 9. n. 25. ubi legitur, hujus tridui Litanias appellari majores; minores vero illas, quæ recitantur in feſto S. Marci, ſeu die 25. Aprilis; quem errorem vel inadvertentiæ Auctoris, vel Typographorum incuriæ tribuit Quarti tr. 1. de Proceſs. ſect. 2. pu. 9. In errorem eumdem ſimiliter incidit Tancredi de Relig. tr. 3. lib. 3. diſput. 5. n. 30. Licet fateamur antiquitus quidem has etiam Litanias ante Aſcenſionem dictas fuiſſe majores alicubi; procul dubio ubi ſolemnitate majori habitæ fuerint initio inſtitutionis earum præ cæteris aliis, quæ infra annum iiſdem in locis conſueverint recitari. Vide Merat. par. 4. tit. 11. n. 8. & 11. Alicubi inſuper additur Carnium abſtinentia, aut etiam perfectum jejunium, ut infra qu. 2. melius explicabimus.

Hoc autem jejunium tridui ante Aſcenſionem Domini una cum Litaniis Sanctum Mamertum, (ſeu Mamercum, ut alii vocant) Viennenſem Epiſcopum in Galliis inſtituiſſe, habetur in Ordine Romano perantiquo apud Hittorpium tit. *de Litania minore*. Id ipſum tradunt vulgatus Alcuinus *de Divinis Officiis cap. de diebus Rogationum*. Walafridus Strabo *lib. de rebus Eccleſiaſticis c.* 28. Micrologus *c.* 57. Rupertus *de Divin. Offic. lib.* 9. *c.* 3. Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 139. Joannes Beleth. *de Divin. Offic. c.* 122. Durand. *in rationali Offic. lib.* 6. *c.* 102. *n.* 4. Cardinal. Bellarm. *Controv. tom.* 4. *Con-* 4

trov.

Digitized by Google

trov. gen. 3. princip. ult. Cap. 21. ex Gregorio Turonenſi *lib.* 2. *hiſt. Francor. C.* 34. Azorius *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. *Cap.* 15. *qu.* 4. Merat. *cit. n.* 11. *& alii ;* Licet aliqui contradicant , volentes , antiquiorem eſſe harum Rogationum uſum Sancto Mamerto : quem tamen , fatentur , earum uſum intermiſſum renovaſſe inſuper & auxiſſe ea occaſione , quæ mox explicabitur . Vide Baronium ad annum Chriſti 435. a n. 9. & in notis Martyrologii ſub die 25. Aprilis, atque 11. Maji , & Meratum l. cit. Verum laudatorum Auctorum prior opinio probabilior reputatur . Vide Bened. XIV. tom. 1. Notif. 3. n. 2. & 3. Occaſio autem , ex qua Sanctus Mamertus Epiſcopus Viennenſis, in Galliis anno circiter 452. inſtituit, vel reſtituit harum Rogationum uſum, ea fuit, quod Civitas Viennenſis Luporum , & Urſorum , aliarumque ferarum graves pateretur incurſus, terræ motibus quateretur , abſumeretur incendiis. Ad mala tanta , ac talia etenim avertenda ; & iram Dei graviter commotam placandam , ſuis Ovibus bonus Paſtor Mamertus ſuaſit, atque præſcripſit, ut trium dierum ſpatio jejunium generale ſuſciperent, & publicas Rogationes , ſeu Litanias univerſali interventu devotiſſime celebrarent ; erat autem proxima Aſcenſionis ſolemnitas, atque adeo infra Paſchale tempus, quo etſi non ſoleat ex Eccleſiæ antiquiſſima conſuetudine , obligatione univerſali (excepta Vigilia Pentecoſtes) jejunium celebrari ; nihilominus incongruum non eſt aliqua orta neceſſitate jejunium etiam publicum præſcribere ; imo ſine ulla etiam neceſſitate urgenti, per ſe , & ſimpliciter prædicto tempore jejunare licere , aut etiam jejunium publicum , & commune præſcribere ; ſuſe probavimus hoc lib. 5. par. 1. c. 4. Ubi etiam notavimus , eſſe de facto univerſalem obligationem gravem , (ut ſupra innuimus ,) ſive ex præcepto , ſeu verius ex conſuetudine jejunandi in Vigilia Pentecoſtes , quæ quidem eſt infra tempus Paſchale : & in pluribus etiamnum locis eſſe obligationem jejunandi in his etiam Litaniis minoribus ſignificavimus ſupra , & melius explicabitur qu. 2. quinimo in pluribus etiam locis ſimilis eſt obligatio jejunandi in Litaniis majoribus etiam in caſu , quo infra ipſam Octavam incidant Paſchæ.

Præſcriptum itaque fuit tunc in 5
illis Rogationibus triduanum jejunium, ac deinde in ſequentibus annis ſingulis prædicta commendabilis inſtitutio Rogationum retenta fuit, ex devotione ſimili renovata, ac demum per univerſalem etiam Latinam Eccleſiam propagata . Enimvero Mamerti inſtitutum Gallia tota ſuſcepit, indeque in alias Catholicorum Provincias pium Religionis ſtudium invenit. Et quidem a Romana Eccleſia Rogationes haſce fuiſſe receptas tempore S. Leonis P. III. ſcribit Auctor vitæ ipſius: *Conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrarentur* . Cœpit vero laudatus Sanctus Pontifex ſedere prope finem ann. 795. Obiit vero 816. Hujuſmodi igitur Rogationibus celebrandis deſignatum fuit triduum ante Aſcenſionem Domini, ut hactenus conſuevit per univerſalem etiam Latinam Eccleſiam; exceptis nonnullis locis, in quibus Ritus ſervatur Ambroſianus , juxta quem Rogationes, & jejunium celebrantur poſt Aſcenſionem ; uti conſtat ex Actis primi Concilii Provin-

vin-

Digitized by Google

vincialis Mediolanenſis ſub S. Carolo Borromeo: *ut triduo Rogationum poſt Aſcenſionem Domini ex veteri inſtituto in Mediolanenſi Eccleſia jejunium adhibeatur*. Benedictus XIV. l. cit. n. 5. meminit hujus conſuetudinis Eccleſiæ Ambroſianæ, atque ſignificat, rationem eſſe, ut a jejunio abſtineat Paſchali tempore juxta univerſalem diſciplinam Eccleſiæ. Nihilominus ex dictis hic, & l. ſupra cit. certum eſt, licere per ſe Paſchali adhuc tempore jejunare; imo de facto alicubi eſſe præſcriptum jejunium in his Rogationibus etiam ante Aſcenſionem Domini celebratis, ſignificavimus ſupra, & videbimus qu. ſequenti. *In his jejunatur* (inquit Sidonius Apollinaris de Rogationibus in his Epiſt. ad Aprum:) *in his ... jejunatur, oratur, pſallitur, fletur, &c.* Videri etiam poteſt Ordo Rom. l. ſupra cit. ubi præſcribuntur publicæ pœnitentiæ actus in Rogationibus exercendi. Juxta Ritum itaque Romanæ Eccleſiæ Rogationes celebrantur triduo proxime præcedente Aſcenſionem Domini. Diſpoſitionis hujus rationem aſſignant Beleth *explic. Div. Offic. c.* 123. & Durand. *in Rat. lib. 6. c.* 102. *n.* 5. dicendo; ita fuiſſe ſtatutum, ut per Jejunium, & Orationem Chriſtum ſequi, & cum eo in Cœlum facilius aſcendere mereamur. Dicit etiam Rupertus *de Div. Offic. l. 9. cap.* 3. ita fuiſſe ſtatutum, *ut tamquam abeunti in Cœlum Domino, ac dicenti: petite, & accipietis; humanæ miſeriæ commemoratio triduanis ſupplicationibus ambitioſius ingereretur*. Cauſam vero, cur tempus vernum, (juxta Regionem Romanam, quæ in hujuſmodi Sacris Ritibus, atque Inſtitutionibus Eccleſiæ Romanæ ſolet attendi, eo quod ſit ſedes, & Mater omnium Eccleſiarum) Rogationibus prædictis fuerit deſignatum; dicunt Dur. n. 4. Beleth. l. cit. Azor. l. cit. & cum eo Fagundez in 4. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 6. *n.* 8. fuiſſe, quod hoc Veris tempore ſoleant Bella exoriri, populi pluribus vexari morbis, plurimumque gemmantes, ac erumpentes fructus periclitari. Id ipſum ſignificat Ordo Rom. Alcuin. cap. de dieb. Rogat. & Amalar. *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 37. Rogamus itaque Deum, ut talia a nobis avertat, & ad eumdem finem, Sanctorum, & Sanctarum Dei, ejuſque Sanctiſſimæ Genitricis patrocinia etiam imploramus.

Qu. II. An ſit obligatio jejunandi in diebus Rogationum? 6

℟. Non eſt univerſaliter obligatio jejunandi, ſive abſtinendi a carne in diebus Rogationum. Ita Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 15. *qu.* 4. Sylveſt. *V. jejun. qu.* 1. *num.* 5. *fine*. Reginald. *in praxi tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 12. *ſect.* 2. *n.* 131. *fine*. Fagund. 4. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 8. *fine*. Filliuc. *tract.* 27. *par.* 2. *c.* 5. *qu.* 10. *n.* 102. & communiter Doctores, & eſt certa ſententia: & nobis conſtat etiam ex praxi, non enim jejunamus hoc triduo, nec quidem a carnibus abſtinemus in noſtro Siciliæ Regno; & id ipſum de Romana Urbe teſtatur Merat. n. 11. fine, ubi tradit: Romæ in Rogationibus his legem jejunandi, vel a carnibus abſtinendi fuiſſe nunquam.

Dixi autem: non eſt *univerſaliter &c.* quia in nonnullis quidem Provinciis conſuevit. Nec tamen una, & eadem eſt omnium conſuetudo ipſa localis. Porro teſte Azorio, in quibuſdam locis hoc triduo a carnibus abſtinetur, non autem fit jejunium perfectum, atque adeo plures refectio-

nes

Digitized by Google

nes fumi poſſunt; quod ſignificat etiam Durandus cit. c. 102. n. 10. & de Gallia tradit Merat. l. cit. ubi ſcribit, quod etſi olim, ut ſupra notavimus, fuerit ibi ex Mamerii inſtituto in Rogationibus his jejunium celebratum, at vero jejunium illud ibidem jam ſit redactum ad ſolam carnium abſtinentiam.

In aliis vero locis fit abſtinentia a carnibus in hac feria ſecunda, & iterum in Vigilia Aſcenſionis. In aliis in ſola Vigilia Aſcenſionis jejunium perfectum ſervatur; quod in Regno Luſitaniæ ſervari, ſcribit Sebaſtianus d'Abreu *Spec. Paroch. lib.* 8. *c.* 14. *ſect.* 3. *n.* 620.

7 Dices: In Concilio Aurelianenſi 1. c. 29. ſic fuit conſtitutum: *Rogationes, idest Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur.* Quod ipſum refertur, & habetur in c. *Rogationes* 3. diſt. 3. de Conſecr. Ergo videtur eſſe univerſalis obligatio jejunandi in tribus diebus Rogationum.

Et confirmatur ex Durando *in Ration. Offic. lib.* 6. *c.* 102. *num.* 4. ubi dicit: Sanctum Mamertum Epiſcopum præcepiſſe in Litaniis Rogationum jejunium trium dierum ob cauſam ſuperius ſignificatam, ſed ſublata cauſa, pro qua hoc jejunium fuerat celebratum, adhuc nihilominus in conſuetudinem annuæ obſervationis deveniſſe. Et deinde ſubdit: *Et ſicut quidam referunt, fuit per Eccleſiam confirmatum, ut univerſaliter obſervetur:* & num. 10. abſolute tradit: in Litaniis Rogationum debere jejunari ex Concilio Aurelianenſi, aut ſaltem cibis Quadrageſimalibus uti.

℞. 1. In jure allegato nequaquam imponi] obligationem, ſeu præceptum, ſed merum conſilium, docent Sylveſter, Azor. Fagund. locis citatis. Sic etiam aſſerendum, videtur Bellarmino *Controv. tom.* 4. *controv. gen.* 3. *princip. ult. c.* 21. ubi inquit, jejunium in laudato Concilio Aurelianenſi celebrari conſtitutum in diebus Rogationum videri non tam præcepti fuiſſe, quam conſilii; cum ſatis conſtet, ait, inter Paſcha. & Pentecoſten ex antiquiſſima conſuetudine, nulla jejunia imperari. Hoc ipſum ſignificat Layman loco infra cit.

℞. 2. Dato, quod, in allegato Concilio, & jure jejunium præcipiatur, quod quidem affirmat La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *q.* 236. §. 4. *n.* 1263. Reginal. *in praxi lib.* 4. *c.* 12. *ſect.* 3. *n.* 133. & ad affirmandum etiam inclinat Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *c.* 5. *qu.* 10. *n.* 102. & videtur ſupponere Bonacina *tom.* 2. *diſp. ult. de præc. Eccl. nu.* 1. *pu.* 5. *n.* 2. Nihilominus certum eſſe, hodie non extare hujuſmodi præceptum; ſed contraria conſuetudine fuiſſe abrogatum pro Eccleſia Univerſali, dicunt ipſi Reginaldus, Filliuc., & Bonac. ll. cit. Id ipſum reſponderi poteſt ad auctoritatem Ordinis Romani antiquiſſimi.

℞. 3. Rurſus dato, quod in Concilio Aurelianenſi I. jejunium fuerit præceptum; cum tamen illud fuerit Concilium Provinciale, ſeu locale, ejuſdem lex non potuit univerſalem Eccleſiam obligare, ſed tantum illius Provinciæ loca; confer dicenda qu. 4. fine. Profecto Romæ in Rogationibus his jejunandi, vel a carnibus abſtinendi legem fuiſſe nunquam, notavimus ſupra ex teſtimonio Merati. Hinc patet Reſponſio ad auctoritatem Durandi, qui inſuper potius ſenſiſſe, in ipſis etiam locis, in quibus jeju-

jejunium, vel abſtinentia fuerat introducta, non obligaſſe graviter: videbimus interr. ſequ.

S Interr. An, ubi adeſt conſuetudo abſtinendi a carne in Rogationibus, aut etiam jejunandi, obliget ſub gravi?

℟. Negat Durandus *lib. 6. cap. 7. n. 16.* ubi prius abſolute docet: Tempore Paſchali non eſſe jejunium præſcriptum; Deinde ſtatim objicit ſibi hoc jejunium Rogationum, & reſpondet: *Quod neceſſitas intervenit, vel id non eſt jejunium neceſſitatis, ſed voluntatis.* Rurſus voluntarium eſſe affirmat omnino *cap. 103. n. 7.* ubi cum docuiſſet, tempore Paſchali non eſſe obligationem jejunandi, ex Doctorum auctoritate: deinde ſubdit: *verumtamen ab hac authoritate pœnitentes excluduntur. S. d & Gregorius Litanias excipit, & etiam Concilium Aurel.* de conſecr. diſt. 3. c. *Rogationes; illud tamen* voluntarium eſt. Hæc Durandus; Ex quibus patet, ipſum ſuſtinere, vel ſaltem inclinare ad ſuſtinendum, jejunium Rogationum omnino eſſe voluntarium, & per ſe nullo modo obligatorium. Accedit Bellar. qui l. cit. dicit, quod ſicubi jejunium Rogationum præcepti lege ſervetur, non eſt improbandum: Servanda eſt enim, inquit, in hujuſmodi rebus Eccleſiæ conſuetudo, ut Hieronymus in Epiſtola ad Lucinium, & Auguſtinus in Epiſt. ad Caſulanum monent; ita ille; Quibus verbis videtur ſignificare, poſſe alicubi hoc jejunium ſuſcipi ſub obligatione gravi, & poſſe ſine hujuſmodi obligatione celebrari. Quod expreſſe etiam docet Laym. *l. 4. t. 8. c. 2. n.* 8. ubi teſtatur, in diebus Rogationum abſtinentiam a carnibus adhuc hodie in pluribus locis non obſervari ex præcepto, ſed ex conſilio.

At vero La-Croix *lib. 1. qu. 79. §. 2. n. 571.* tradens regulas arguendi, conſuetudinem aliquam obligare & quidem, uti ſignificat, ſub gravi: inter eas dat hanc regulam: *Si omnes pii peſſime ſentiant de non obſervante eam.* Subditque, ac ponit exemplum conſuetudinis abſtinendi a carnibus in Rogationibus; dicens: *uti fieret, ſi quis in diebus Rogationum non abſtineret a Carnibus.* Clarius, & expreſſius loquitur *lib. 3. l. ſupracit.* adducens pro ſe Steph. & alios innominatim, atque affirmans, quod quamvis non eſſet præceptum ſcriptum, abſolute tamen adhuc eſſet mortale in diebus Rogationum comedere carnes ſaltem ob conſuetudinem nunc introductam, inquit; & idem vult aſſerendum eſſe de feſto S. Marci Ev.

℟. 2. Dicendum eſt: ſpectandam eſſe locorum conſuetudinem, & in illis abſtinentiam carnis fore ſervandam, aut etiam jejunium iis Rogationum feriis, quibus fert uſus, & ſub ea obligatione, qua virorum timoratorum, & Doctorum Localium habet opinio. Idem ſtatuendum pro abſtinentia, vel jejunio in die S. Marci Ev. ſeu in Litaniis Majoribus. Porro hæc eſt Regula generalis, quam communiter tradunt Doctores in ſimilibus materiis, & obſervantiis localibus. La-Croix autem procul dubio loquitur de ſua ipſius Regione, in qua vult, conſuetudinem, quæ ibi eſt, abſtinendi a carne in diebus Rogationum, & Litaniis Majoribus, receptam eſſe ſub obligatione gravi. Similiter intelligendi ſunt alii docentes illud, ſcribentes in locis, ubi conſuetudo ſimilis invenitur. 9

Nota hic: Pellizarium *in Man. Reg. tom. 1. tr. 5. c. 15. qu. 21. nu. 58.*

&

Digitized by Google

& Bordonum *tom.* 1. *Reſol.* 18. *n.* 2. docere: Regulares Mediolani, etiamſi primis quatuor diebus Quadrageſimæ non jejunaverint ibi, eo quod extiterint extra Monaſterium in domibus Sæcularium: pro qua tamen re videantur dicta hoc tr. 2. l. 4. par. 1. c. 1. art. 6. qu. 9. nu. 72. poſſe nihilominus in diebus Rogationum nec jejunare in ſuis Monaſteriis Mediolani, in quibus conſuetudo prædicta laicorum non obligat. (Qua ratione vero poſſit non obligare? videatur Azorius *Inſtit. moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 19. *qu.* 2.) Sicuti e. g. Cremonenſis exiſtens Mediolani primis quatuor diebus Quadrageſimæ, & comedens carnes, fruens privilegio loci: poſtea Cremonæ exiſtens in diebus Rogationum, non tenetur in his jejunare. Ita Auctores laudati; conſentit Paſqualigus *d.* 209. nec improbabile videtur Dianæ *edit. coord. to.* 4. *tr.* 6. *R.* 41. §. 3.

Hæc quidem tuta ſententia eſt: ex loco, ubi adeſt conſuetudo prædicta, venientem in locum, ubi non eſt, minime teneri ad prætatum morem Patriæ ſuæ. Satis etiam probabile eſt, ſecluſo ſcandalo, & ſi ſaltem mora ſit ad dies paucos, peregrinum, & vagum exiſtentem diebus his in loco, ubi a carnibus abſtinetur, vel jejunatur, non teneri jejunare, neque a carnibus abſtinere. Si tamen Civis loci, ubi eſt conſuetudo prædicta, inveniatur in loco, ubi eadem adeſt conſuetudo, manet ligatus eadem, ex communiori ſententia. Conſtant hæc ex ſimilibus exemplis pluribus in hoc opere explicatis, & explicandis. Videantur dicta tr. 1. 23. Julii art. 3. qu. 4. n. 19. & die 7. Decembr. art. 3. qu. 6. & 7. hoc tr. 2. l. 2. par. 1. c. 2. n. 5. In locis autem ubi Ritus ſervatur Ambroſianus, jejunium Rogationum celebrari poſt Aſcenſionem Domini, notavimus ſupra n. 5.

Qu. III. An tribus diebus Rogationum ſit quotidie obligatio gravis recitandi Litanias Sanctorum? 10

℞. Affirmative pro obligatis ad horas Canonicas ex Breviario Romano Pii V. Vide dicta *tr.* 1. 25. April. art. 4. ſect. 1. qu. 2. & in ſequ. ſectionib. ubi habes multa ad Litanias ſpectantia; porro ibi ſuſe diſputavimus de recitatione Litaniarum majorum, & minorum.

Qu. IV. Utrum hodie ſit obligatio audiendi Miſſam, & a ſervilibus abſtinendi; ſeu an jure communi tamquam dies feſti de præcepto ſint colendi hodiernus dies, & ſequentes duo Rogationum? Dubium oritur ex eo quod in C. *Pronunciandum* 1. *diſt.* 3. *de conſecr.* inter dies feriatos, & ſacros recenſentur. Et in C. *Rogationes*. 3. diſt. cit. dicitur de his tribus diebus: *Per quod triduum ſervi, & Ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat.* Idipſum habetur in Ord. Rom. At Cap. *Conqueſtus de feriis* hi tres dies omittuntur, ſeu non recenſentur inter dies feſtivos de præcepto. 11

℞. Licet videantur, olim tres Rogationum dies fuiſſe feſtivi, & in præcepto; nunc autem certum eſt, non ita eſſe: conſtat 1. ex communi uſu in contrarium totius Eccleſiæ, de quo teſtantur Armilla V. *feſtum* n. 6. Azor. *Inſt moral. par* 1. *l.* 7. *c.* 4. *qu.* 2 *& par.* 2. *lib.* 1. *c.* 25. 4. Suar. *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *c. nu.* 1. Conſtat 2. ex communi ſenſu Doctorum; jam enim hoc docent omnes, teſte Suarez l. cit. Tancredi *de Relig. tr.* 1. *lib.* 3.

Gg 2 *diſp.*

diſp. 2. *qu.* 2. *n.* 22. Conſtat 3. ex Conſtit. Urbani VIII. incip. *Univerſa* : quam allegavimus die 1. Januar. nu. 1., in qua recenſentur omnes, & ſinguli dies feſti ex gravi obligatione univerſali, dumtaxat colendi; ſed dies Rogationum non adnumerantur in eis. Ergo &c. Nunc itaque non adeſt amplius obligatio prædicta, quæ videtur olim impoſita fuiſſe in allegatis antiquis juribus. Imo Suarez putat, neque ullo unquam fortaſſis tempore præceptum illud fuiſſe generaliter obſervatum; nam, inquit, caput *Pronunciandum* non eſt alicujus Pontificis, ſed Concilii Lugdunenſis inſcribitur., quod non extat in Tomis Conciliorum, & ſolum provinciale fuit, quod totam Eccleſiam obligare non potuit. Unde ſubdit Laudatus Doctor eximius, veriſimile eſſe, peculiarem conſuedinem alicujus Provinciæ, quo ad hanc partem, declaraſſe, ſicut de aliis in illo capite contentis oſtenditur. Id ipſum dicendum de *C. Rogationes*: quod caput Concilii Aurelianenſis inſcribitur; eſt nimirum can. 27. Concilii Aurelian. 1. apud Marcum Battaglini *to.* 1. *Concilior. an.* 511.

SECTIO II.

De Horis Canonicis.

12 **F**ERIA II. Rogationum, dicitur eſſe feria major in duab. tabell. excerpt. ex rubr. gen. Brev. ideo quodcumque feſtum etiam 1. cl. occurrat in ea, fit de eadem commemoratio in Laudibus. *Rubr. gen. Brev. tit.* 9. *n.* 4. *&* 7. Porro hodie poteſt fieri de feſto novem lectionum etiam ſemiduplici occurrenti. Rubr. hic: vel etiam translato. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 4. *nu.* 12. *&* *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 16. *n.* 2. Poteſt etiam fieri de die infra oct. alicubi occurrenti. Non poteſt tamen fieri de Officio ſemel recitari conceſſo ſingulis hebdomadis, vel menſibus; ex Decretis S. C. R. allegatis tr. 1. l. 2. par. 1. c. 2. n. 3. Item ſi hodie occurrat feſtum ſimplex, Officium fit de feria hac. Igitur ſi hodie non recitetur Officium novem Lectionum occurrens, vel translatum, fit de feria, ut in pſalt. temp. paſch. tres Lectiones propr. de homil. hujus fer. Non dicitur *Te Deum*. Sed tertium ℟. *Narrato*. Rubr. gen. Brev. tit. 31. n. 1. & 2. Ad Laud. Antiphonæ & Pſalmi de Dominica cum Antiph. ad Benedict. & or. propria *Præſta quæſumus*, ut hodie in Brev. & fit commem. Crucis, ut temp. paſch. Non dicuntur autem prec. feriales. Merat. to. 2. ſect. 6. c. 16. nu. 2. dicuntur attamen preces Dominicales, & non flectuntur genua. Confer, Rubr. gen. Brev. tit. 34. n. 2. & 3. Ad Horas omnia dicuntur ut in feriali Officio temp. paſch. or. *Præſta quæſumus*. Veſperæ, niſi occurrat, vel ſequatur feſtum novem lectionum, dicuntur de pſalterio temp. paſch. Antiphona ad *Magnificat*: *Ipſe enim Pater*: cum oratione præcedentis Dominicæ V. *Deus, a quo bona*: juxta Rubr. gen. Brev. tit. 30. nu. 2. & fit comm. Cruc. Si vero ſequatur feſtum ſimplex, a capitulo fit de feſto cum commemoratione de Cruce tantum, ut temp. paſch. Rubr. Brev. hic.

Si hodie occurrat feſtum ſimplex, 13
Officium fit de feria a Matutino, ut ſupra; de feſto autem ſimplici ſimplex habetur commemoratio. *Rub. gen. Brev. tit.* 1. *n.* 1. *&* 2. *tit.* 9. *n.* 2.

n. 2. & 10. ſine lect. etiamſi habeat in Brev. propriam, quia dicendum eſt tertium ℟. & poſt commem. ſimplicis fit comm. Crucis, ut temp. Paſch.

13 Si autem hodie recitetur de feſto novem Lectionum, lect. 1. noct. vel propriæ, vel de communi Sanctorum ut in fine Breviarii: Niſi reponendum ſit initium Epiſtolæ 1. D. Petri in Dom. præcedenti omiſſum: tunc enim, ſi Feſtum non habeat Lectiones 1. noct. proprias, reponendum erit prædictum initium in hac feria, in qua fiat de Sancto novem Lectionum. *Rubr. gen. Brev. gen. tit. 26. n. 6. 7. & 9.* Merat. *cit. n. 2.* confer dicta tr. 1. 16. Septembr. n. 5. Id ipſum præſtandum eſt ex ejuſdem diſpoſitione Rubricæ, ſi hodie recitetur de die infra octavam; ſi tamen occurrat dies Octava alicujus feſti, in qua die non aſſignentur lectiones propriæ, vel de communi, repetantur in 1. noct. Lectiones, quæ in die feſti lectæ fuere; niſi reponendum ſit initium &c. ut ſupra. Nona Lectio de homilia feriæ currentis, & ejuſdem commemoratio (etiamſi occurrat feſtum 1. cl. ut ſupradictum eſt:) in laudibus tantum: *Rubr. gen. Brev. tit. 5. nn. 1. & tit. 9. n. 2. 7. 9. & 10.* Antiph. *Petite.* ℣. *In reſurrectione tua.* ℟. *Cœli, & terra* Or. *Præſta quæſumus.* Si ſimul occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commem. poſt commemorationem feriæ, & fit commemor. Cruc. ut temp. paſchali ſi recitetur de feſto ſemiduplici. Si vero occurrat die infra oct. commemoratio hæc fit ante commemorationem feriæ. Merat. loc. cit. omiſſa comm. Crucis. In Officio prædicto novem lectionum dicitur *Te Deum.*

14 Qui non interſunt Proceſſioni Rogationum, privatim poſt Laudes dicant Litanias, cum ſuis precibus, & Orationibus, ſine Pſalmis Pœnitentialibus, ut in fine Breviarii; de quarum obligatione diximus ſect. præc. qu. 3. & iterum dicemus ſect. ſeq.

SECTIO III.

De Litaniis minoribus, & Proceſſione.

FERIA ſecunda, duæque ſequentes 15
poſt Domin. V. Paſchæ ſunt feriæ Rogationum; fit in eis proceſſio Cleri, & recitantur, ſeu cantantur Litaniæ Sanctorum, quæ vocantur minores; recole dicta ſect. 1. qu. 1. initio. Qui non interſunt Proceſſioni, dicant privatim poſt Laudes litanias hujuſmodi cum ſuis precibus, & Orationibus, ut in calce Breviarii Rom. Quoad obligationem, & Rationem recitandi Litanias Sanctorum, & quo ad proceſſionem in hac, & duabus ſequentibus feriis Rogationum, videantur dicta etiam in Litaniis majoribus tr. 1. 25. April. art. 4.

Nomine Proceſſionum Generalium comprehenduntur Rogationes. S.R.C. 12. Martii 1601. apud Lucium Ferrar. V. Reſolut. SS. CC. in priori indice decretor. n. 30. edit. 3. Bonon.

In feſto S. Marci, vel reſpective in feriis Rogationum, ſi fiat de Officio duplici, vel ſemiduplici, in locis ubi tantum una Miſſa cantatur pro majori populi commoditate, ut poſſit poſt Proceſſionem vacare Laboribus, convenientius eſt, Proceſſionem facere poſt Nonam, inde cantare Miſſam Rogationum. S.R.C. 5. Maii 1736. apud Merat. *ind. decr. Miſſ. num. 679.* In Ordine Romano antiquiſſimo *tit. de Litaniis minoribus, fin.* ſignificatur,

In

in Proceſſionibus Rogationum geſtaſtas fuiſſe Reliquias Sanctorum. In Cæremoniali etiam Epiſcoporum lib. 2. c. 32. dicitur, retinendam eſſe conſuetudinem piam, ubi ea adſit, deferendi in Proceſſionibus Litaniarum majorum, & minorum aliquas Sanctorum Reliquias, & ſacras Imagines. Bononiæ Imaginem quamdam Sanctiſſimæ Virginis, quæ a S. Luca Evangeliſta creditur depicta, quæque ſumma veneratione colitur, quotannis in Rogationibus magna devotione, & ſolemnitate deferri, refert Piazza *Devotionis vindic. par.* 3. *c.* 27. *nu.* 22. recole dicta in Dom. præcedenti nu. 1. In libro autem, qui inſcribitur *Sacerdotale*: ubi de Rogationibus, refertur, quod in Proceſſione Rogationum *in aliquibus Eccleſiis ſolent portari dracones, & lupi* (puta imagines ſeu effigies draconum, & luporum) *ſuper perticas, ad denotandum, quare inſtituta fuerit hæc proceſſio in tribus diebus Rogationum*. Recole dicta ſuperius n. 4.

17 Notare hic juvat ſequentes declarationes S. C. C. quæ interrogata in Derthonen. *An in Proceſſionibus ſolemnibus, & Rogationibus poſſit Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ Novarum, & Archipresbyter, ingredi alias Eccleſia; ibique ſolitas orationes, ſeu functiones peragere? S. C. Concilii die* 3. *Decembris* 1718. *reſpondit affirmative*. apud Luc. Ferrar in ſua Biblioth. to. 8. edit. 3. Bonon. in prima append. pag. 181. col. 1. Item in Maceraten. *An, & quomodo liceat Præpoſito S. Georgii Terræ Urbiſaliæ peragere Proceſſionem, & in ea exercere functiones ſolitas in altero ex diebus Rogationum? S. C. Concil. die* 17. *Junii* 1719. *reſpondit: licere Præpoſito facere ſecundam Proceſſionem Rogationum, & aliis Proceſſionibus intervenire, quæ fiunt a Plebano Eccleſiæ S. Laurentii; ita tamen ut præcedentia competat Præpoſito in ſola Proceſſione ſecunda Rogationum, in aliis vero Plebano*. apud Ferrar. l. cit. pag. 181. col. 2. Item in Lunen. *An Præpoſitus, & Capitulum Collegiatæ S. Mariæ de Populo teneatur proceſſionaliter quotannis in Vigilia Aſcenſionis Domini noſtri adire, & viſitare Eccleſiam SS. Hippolyti, & Caſſiani, in caſu &c.? S. C. Concil. die* 9. *Junii* 1725. *reſpondit affirmative, ratione piæ conſuetudinis tantum*. apud Ferrar. l. cit. pag. 186. col. 2. Item in Aquen. ad ſequ. dubia. *An. P. P. Carmelitæ in Rogationibus poſſint ad Proceſſionem accedere ſine Cappis albis? II. An. in ſolo numero duorum Religioſorum, Cruce præcedente? III. An teneatur Præpoſitus, qui eſt etiam Parochus loci Inciſæ, in publicis generalibus Proceſſionibus fieri conſuetis monitos facere dictos Patres ejuſdem loci prædicti, ut ad Proceſſionem accedant, & quomodo? S. C. Concil. die* 19. *Maii, &* 9. *Junii* 1708. *reſpondit ad I. & II. negative; ad III. affirmative: ſive per Nuncium, ſive per Schedulam*. apud Ferrar. loc. cit. pag. 215. col. 1. denique in Aſculana, in qua ad ſequ. dubia *I. An Parochi Rurales Villæ Aſpelunca, & Villæ Collis valeant Proceſſiones peragere in propria cujuſque Parochia tam die feſtivitatis SS. Corporis Chriſti, quam diebus S. Marci, & Rogationum, in caſu &c. II. An iidem Parochi teneantur, & cogi poſſint ad interveniendum iiſdem Proceſſionibus, quæ in dictis diebus celebrantur in Terra Arquatæ, in caſu &c. III. An ſimplices Clerici, & Sacerdotes Villarum Aſpelunca, & Collis teneantur ipſi quoque intervenire dictis*

ctis Proceſſionibus Terræ Arquatæ in caſu &c.? S. C. Concil. die 3. Febr. 1753. reſpondit ad I. affirmative; ad II. & III. negative . apud Ferrar. l. cit. in poſteriori append. pag. 367. col. 2. fine.

S E C T I O IV.

De Miſſa.

18 IN Feriis Rogationum Miſſa propria, una, & eadem ut in Miſſali poſt Dom. V. Paſchæ. In ea non dicitur *Gloria in excelſis*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 14.

Si in Feria II. Rogationum occurrat feſtum ſimplex, dicitur Miſſa de Rogationibus, & fit commemoratio feſti ſimplicis. Si autem recitetur Officium novem lectionum, (quod non fit de die infra Octavam, de qua infra:) dicitur Miſſa conformis eidem, & fit commemoratio Feriæ II. Rogationum, & ejuſdem legitur Evangelium in fine Miſſæ. Quod ſi ſimul facienda ſit commemoratio ſimplicis occurrentis, fiat poſt commemorationem Feriæ. Quodcumque Feſtum etiam 1. cl. occurrat, fit commemoratio Feriæ II. Rogationum, & legitur ejuſdem Evangelium in fine Miſſæ: quemadmodum in Officio; quia eſt Feria major, uti notavimus ſect. 2.

19 Si tamen Feria II. Rogationum veniat alicubi infra aliquam Octavam, Miſſa dicitur de Feria prædicta (niſi fiat de feſto IX. lectionum:) cum commemoratione Octavæ. Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. nu. 2. & non dicitur *Credo* ratione Octavæ: quia Miſſa eſt ferialis. Caval. *to.* 5. *c.* 12. *num.* 16. (alias 17. per err. Typogr.) vide dicta in Fer. IV. Ciner. ſubſ. 3. n. 32. Nec *Gloria in excelſis*, vide dicta 14. Aug. n. 3. Dicitur tamen Præfatio Octavæ, ſi propriam habeat: quemadmodum ſtatim docebimus. Si autem in dicta Feria fiat Officium de aliquo feſto, tunc dicitur Miſſa de feſto cum commemoratione Octavæ, & Feriæ II. Rogationum, & ejuſdem Evangelium legetur in fine. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 13. *n.* 2. In dicto caſu 1. or. erit de feſto. 2. de Octava. 3. de Feria Rog. Vide dicta hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 3. n. 8.

In Miſſa votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infra Octavam in Adventu, Quadrageſima, Quatuortemporibus, Vigiliis, & ſecunda Rogationum, prima oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de Feria, & non dicitur Evangelium Feriæ in fine, ſed S. Joannis: In principio. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einſidlen. apud Cajet. Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 689. Sermo autem eſt de Miſſa privata, non de ſolemni, pro qua vide Decretum notatum hoc tr. 2. l. 4. par. 1. cap. 4. num. 18.

In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, occurrente Feſto duplici, aut ſemiduplici, aut Octava in Feriis Rogationum, cantantur duæ Miſſæ, una de feſto poſt Tertiam cum *Gloria*, aut etiam *Credo*, ſi feſto competat: ſine commemoratione Feriæ, & Evangelium dicitur S. Joan. in fine. Altera de Feria poſt Nonam, vel completa Proceſſione Litaniarum, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, ac ſine commemoratione feſti, & Evangelium legitur S. Jo: in fine. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 3. *n.* 1. & *tit.* 7. *n.* 2. Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *n.* 12. Pro quibus Miſſis Conventualibus videri debent dicta hoc tr. 2. 20

cit.

Digitized by Google

cit. l. 4. par. 1. c. 4. qu. 1. & duab. ſequentib. & videri etiam poſſunt dicta tr. 1. l. 1. c. 2. de celebr. Miſſ. quotid. qu. 5. & ſequentib. Interrog. Octavæ nomine intelligitur hic ipſa ſolum dies Octava, non item quælibet dies infra Octavam; vid. dicta tr. 1. 27. Junii n. 6. In Eccleſiis minoribus, ubi dicatur unica Miſſa, conferantur dicta ſuperius n. 15. fine, & tr. 1. 25. April. art. 5. n. 23.

Quadrageſima, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum feriarum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januar. 1701. in una Camaldulenſium Montis Coronæ, apud Merat, *ind. decr. Miſſ. nu.* 548. Si occurrat celebrari Miſſa ſolemnis de feſto ſolemni, vel votiva pro re gravi, vide dicenda in Feria quarta poſt Dom. Pentec. n. 4.

21 In Miſſis Rogationum dicatur Præfatio temporis, ſeu Paſchalis, quotieſcumque duæ cantentur Miſſæ; vel ſi una tantum extra occurſum diei infra Octavam; ſi vero unica dicatur Miſſa de Feria infra aliquam Octavam habentem Præfationem propriam, fiat commemoratio Octavæ, ut ſupra dictum eſt, & ejuſdem dicatur Octavæ Præfatio. Caval. *tom. 5. c.* 14 *num.* 64.

22 Color. Parament. violac. in Miſſa de Feria, ſeu de Rogat., *Rub. gen. Miſſ. tit.* 18. *n.* 5. vide dicta tr. 1. 23. Febr. n. 19. Pallii vero Altaris color albus, qui competit Officio de Tempore, quod ſupponitur recitari. Rubr. citata n. 2. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 11. n. 12. Similiter ſi recitetur Officium de die infra Oct. color Altaris competat Octavæ alb. vel rub. at Paramentorum Celebrantis ſit Miſſæ Rogat. conformis. Pro Miſſa vero ſolemni convenit, ut Pallium etiam Altaris concordet cum colore Paramentorum Miſſæ. Merat. *l. cit.* & *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 16. *n.* 2. *fine*. Vid. dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 81.

Ex Sanchez tradit La-Croix *lib.* 4. *qu.* 24. *n.* 169. Epiſcopum non poſſe in Eccleſiis Exemptorum, ſi inviti ſint, convocare Proceſſiones, celebrare Miſſas, Officia &c. Habetur autem apud Meratum *Ind. Decr. Miſſ. n.* 13. declaratum a S. R. C. quod *Poteſt Epiſcopus etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos*. S. R. C. 25. Januar. 1603. *in Firmana*. 23

Non eſſe obligationem audiendi Miſſam in diebus Rogationum, docuimus ſect. 1. q. 4.

SECTIO V.

De Indulgentiis.

HODIE, & duabus ſequentibus feriis Rogationum poſſunt acquiri Indulgentiæ Stationum Urbis. Et quidem hac Feria II. Statio ad S. Mariam Majorem. Feriam III. ad S. Joannem in Laterano. Feria IV. Statio ad S. Petrum. De Stationibus egimus lib. 4. par. 1. cap. 2. a num. 101. 24

A R-

ARTICULUS III.

Not. Fer. III. poſt Dom. V. Paſchæ. Hæc eſt Fer. III. in Rogation.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Hor. Canonicis.

SI Officium fiat de Feria, omnia dicuntur ut in feriali Officio tempore Paſchali. Dicitur *Te Deum*, & oratio de Dominica præcedenti: *Deus a quo bona*. Et fit commemoratio Crucis ut tempore Paſchali in Laudibus, & Veſperis. Porro Veſperæ, niſi occurrat, vel ſequatur feſtum novem lectionum; dicuntur de Pſalterio cum Oratione Dominicæ præcedentis, ut ſupra. *Rub. Brev.* fer. 2. Rogat.

Si hodie occurrat feſtum etiam ſimplex, fit utique Officium de eo, ſine commemoratione de feria; ſed in Officio ſimplici, vel ſemiduplici, fit commemoratio tantum de Cruce ut tempore Paſchali in Laudibus, & Veſperis.

Si hodie recitatum ſit de ſimplici, vel de feria, & ſequatur feſtum ſimplex, ſecundæ Veſperæ erunt de feria currenti, & fit commemoratio ſequentis ſimplicis: quia locum habet regula tradita in Rubr. gener. Brev. Rom. tit. XI. de concur. Offic. nu. 10. ubi diſponitur, quod occurrente feſto ſimplici in Vigilia, de qua faciendum eſt Officium, & ſola commemoratio habenda eſt de ſimplici; tunc Veſperæ antecedentes erunt de feria communi per annum cum commemoratione ſequentis feſti ſimplicis: (niſi ea die celebratum ſit feſtum novem lectionum, tunc enim Veſperæ erunt de eodem feſto novem lectionum cum commemoratione ſequentis ſimplicis). Et redditur ratio: nimirum quia cum feſtum ſimplex in ſequenti die non habeat Officium, propter feriam prædictam occurrentem in eo, ideo nec etiam convenit, illud habere primas Veſperas in præcedenti die. Atqui in ſequenti Vigilia Aſcenſionis ſi occurrat feſtum ſimplex, Officium eſt de Vigilia cum commemoratione ſimplicis, ut ibi dicetur. Ergo &c., & ita docet Meratus *tom.* 2. *ſect.* 6. *c.* 16. *n.* 3. Nec obeſt, quod Rubrica dicat: id faciendum *in Vigiliis quæ jejunantur*: at in Vigilia Aſcenſionis non jejunatur: hoc, inquam, non obeſt, enimvero ratio prædicta ab eadem Rubrica aſſignata, militat etiam pro Vigiliis, in quibus non jejunatur, dummodo Officium ſit recitandum de Vigilia. Hujuſmodi autem eſt Vigilia Aſcenſionis. Verba vero illa: *quæ jejunantur*: proculdubio poſita ſunt pro eo, quod communiter accidit; aut vèrius ponuntur, ad ſignificandum, ibi eſſe ſermonem de Vigiliis, quæ habeant Officium proprium, quibus Vigiliis cedit feſtum ſimplex.

Martyrologium Vigiliæ mobilis Aſcenſionis nullam præmittit mentionem, nec diſſimiliter agit uſus communis; cui tamen ſi quis contraierit, eum non eſſe reprehendendum, imo fortaſſe laudandum, exiſtimat Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 37. *in d.* 2. *n.* 11. eo quod Martyrologium ipſum Vigilias omnes immobiles annunciat. Annunciabitur autem primo loco. 26

Digitized by Google

Caval. n. 6. & ſimpliciter, puta: *Vigilia Aſcenſionis Domini*. Caval. cit. num. 11.

27 Hodie, qui non interſunt Proceſſioni Rogationum, privatim poſt Laudes dicant Litanias ut heri. *Rub. Brev. heri & hodie*. De Litaniis minoribus, & Proceſſione egimus heri a n. 15.

SECTIO II.

De Miſſa.

28 SI fiat Officium de feria, dicitur Miſſa de Rogationibus, eadem quæ heri, ut in Miſſali poſt Dom. V. Paſchæ. In ea non dicitur *Gloria in excelſis*: quamvis in Laudibus dictum fuerit *Te Deum*. Nec fit commemoratio hodierni Officii ferialis: atque adeo in *Feria III. Rogationum non dicitur ſecunda oratio Dominicæ*. S.R.C. 25. Septembr. 1706. in una Urbis, & Orbis. Apud Merat. ind. decr. Miſſ. nu. 603. Quod eſſe peculiare hujus feriæ, notat Gavant. *part. 4. tit. 11. n. 13.* Igitur 2. or. erit *Concede*. 3. *Eccl.* vel pro Papa. Merat. *part. 4. tit. 11. n. 13.*

Color Violaceus adhibetur in Miſſa Litaniarum ex Rubr. gen. Miſſ. tit. 18. n. 5. Pallium vero Altaris erit coloris albi conformis Officio. In Miſſa tamen ſolemni etiam Altaris color violaceus erit, quemadmodum diximus in fer. præc.

29 Si hodie recitetur de feſto ſimplici, Miſſa dici poteſt de feſto, vel de feria: ſi dicatur de feſto, ſola commemoratio habetur de feria tertia Rogationum: unde non legitur ejus Evangelium in fine; ſed dicitur 3. or. *Concede* col. par. conformis feſto. Si vero dicitur de feria, fit commem. ſimpl. cum 3. or. *Concede*. Col. Param. Celebr. violac. Altaris vero color erit feſto conformis..

Si in feria III. Rogationum occurrat feſtum ſimplex in Cathedralibus, & Collegiatis non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S.R.C. 5. Julii 1698. in Collen. apud Merat. Ind. decr. Miſſ. n. 521. Sed unica Miſſa cantabitur de Rogationib. cum comm. feſti ſimplic. 3. or. *Concede*. in par. viol. Celebr. & Alt. Confer. Merat. *in cit. tit. 11. n. 13.* Si autem fiat de feſto 9. lection. Vide dicta in fer. præc. n. 20.

Si legatur Miſſa de feſto novem Lectionum, & occurrat fieri commemoratio de ſimplici, tunc de feria tertia Rogationum fit commemoratio poſt feſtum ſimplex; & non legitur Ev. fer. in fine, ſed conſuetum S. Joan.

Qu. An facienda ſit in Miſſa feſti duplicis primæ claſſis commemoratio feriæ III. & IV. Rogationum? 30

Dubium non eſt de feria II. quia cum ſit feria major, conſtat, de ea faciendam eſſe commemorationem in Miſſa feſti etiam duplicis primæ claſſis; quemadmodum heri, ubi de dicta feria, diximus. Dubium igitur eſt de feriis III. & IV. Rogationum: & ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ex una parte feriæ III. & IV. Rogationum non ſunt feriæ majores, & ut Cavalerius *to. 2. c. 24. comment. in decr. 7. n. 13. & in d. 12. n. 4. fin.* animadvertit, Feria tertia Rogationum nullo privilegio, nec ſpeciali aliqua prærogativa reperitur ſuffulta; ceditque Officio ſimplici, & regitur more aliarum feriarum communium; cujus rationis etiam foret feria IV. niſi Vigiliam Aſcenſionis includeret. Ex alia parte vero in Rubr. gener. Miſſ.

Digitized by Google

Miſſ. tit. 1. n. 2. in plurali, abſolute, ſimpliciterque dicitur: *de Rogationibus* faciendam eſſe commemorationem, ſi legatur Miſſa de feſto occurrenti; quemadmodum ibidem in eodem caſu commemoratio demandatur feriarum Quadrageſimæ, Adventus, & Quatuor Temporum, necnon Vigiliæ. Et licet excipiatur ibidem Vigilia occurrens in feſto duplici primæ claſſis: hoc ipſum autem auget dubium pro feria III. & IV. Rogationum; enim vero, exceptio firmat regulam in contrarium; videlicet in non exceptis: ut Juriſtæ paſſim docent; cum igitur Rubrica, loco cit. ex omnibus feriis, quarum meminerat, non excludat expreſſe niſi commemorationem Vigiliæ in feſto 1. cl. & ſupra in numero plurali, abſolute, ſimpliciterque dixerit: *de Rogationibus* faciendam eſſe commemorationem, ſi legatur Miſſa de feſto; videtur ex hac Rubrica, facienda eſſe in Miſſa commemoratio feriæ III. & IV. Rogationum, etiamſi in iis occurrat feſtum duplex primæ claſſis. Similiter in plurali numero, abſolute, ſimpliciterque loquitur Meratus *tom. 1. par. 1. tit. 7. n. 2.* ubi ait: quod ex Rubr. Miſſ. tit. 7. n. 2. in feſtis primæ claſſis *de feriis fit commemoratio in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Rogationibus.*

℟. Quidquid ſit de rationibus allegatis pro inſinuanda commemoratione feriæ III. & IV. Rogationum, in Miſſa feſti duplicis primæ claſſis: eſt in oppoſitum, quod vidi exemplum in Ordine, ſeu Directorio typis edito ad recitandum Officium, & celebrandam Miſſam in Eccleſia Oratorii S. Philippi Nerii Romæ, quo ordine utuntur etiam Presbyteri ejuſdem Oratorii Aſculi in eodem Statu Pontificio. Profecto cum anno 1771. feſtum S. Philippi Nerii, quod in Eccleſia laudati Oratorii eſt dupl. 1. cl. utpote Patroni principalis, & Inſtitutoris ejuſdem, incidiſſet in feriam III. Rogationum, in præfato Directorio monebatur, ne ea die commemoratio ulla haberetur in Miſſa; atque adeo ex prædicto Directorio non ſolum omittenda erat commemoratio ſimplicis occurrentis, nimirum S. Eleutherii, verum etiam feriæ tertiæ Rogationum. An autem Patres laudati Oratorii Romæ omiſerint commemorationem feriæ III. Rogationum ex ſupradictis tantum rationibus, quæ illius omiſſionem inſinuant, vel etiam ex aliqua declaratione iiſdem data a S. R. C. pro hujuſmodi incidentiæ caſu? me latet omnino. Ex laudato igitur exemplo habes, omittendam eſſe in Miſſa feſti duplicis 1. cl. commemorationem feriæ III. Rogationum, aut IV. nam eadem militat ratio.

In feſto autem duplici 2. cl. haberi debet in Miſſa privata commemoratio prædictarum feriarum, quemadmodum in caſu eodem habetur commemoratio ſimplicis occurrentis. Etſi enim ſimplici feſto, aut Vigilia inferiores ſint, adhuc tamen non ſolum ritu gaudent ſimplici, ſed quemadmodum feſti ſimplicis, aut Vigiliæ, ita harum feriarum certe commemoratio facienda eſt in duplici minori. Unde illud ſupra dictum ex Cavalerio: has nimirum ferias nullo privilegio, nec ſpeciali aliqua prærogativa fulſultas reperiri, eaſque regi more aliarum feriarum communium: non verificatur niſi, cum exceptione prædicta.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Not. Fer. IV. poſt Dom. V. Paſchæ: Hæc eſt Feria IV. in Rogationibus, & Vigilia Aſcenſionis.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De bened. Menſæ, & grat. actione.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

31 FERIA IV. Rogat. & Vigilia Aſcenſionis, ſine jejunio, in gratiam feſtivi temporis Paſchalis. *Rub. gen. Miſſ. tit. 3. n. 6. & Rubr. gen. Brev. tit. 6. n. 5.* Sed vide dicta in fer. 2. Rogat. ſect. 1. qu. 2.

De feria quarta Rogationum nihil in Officio, ſed fit de Vigilia Aſcenſionis. Rit. ſimpl. tres lect. de homil. dicitur *Te Deum*. Or. Dominicæ præcedentis, *Deus a quo bona*. In Martyrologio ad Primam pro die craſtina moneatur primo loco: *In monte Oliveti &c.* Veſp. de ſeq. feſto Aſcenſionis Domini dupl. 1. cl. ut in propr. Hymn. Complet. terminatur. *Jeſu tibi ſit gloria, qui victor in Cœlum redis, cum Patre &c.*

Si hodie occurrat feſtum ſimplex; nihilominus fit de Vigilia Aſcenſionis cum commemoratione feſti ſimplicis, ſine lect. de eod.

Si autem hodie occurrat feſtum novem lectionum, fit de eo cum nona lectione de Homilia Vigiliæ, & ejuſdem commemoratione ad Laudes. Rubr. Brev. dic. Antiph. *Pater*, ℣. & ℟. de temp. Paſch. *In Reſurrectione tua*. Or. Dominicæ præced. ut ſupra. Lectiones 1. noct. ſi non ſint propriæ, ſumantur de communi Sanctorum, ut in Breviario. Rubr. gen. Brev. tit. 26. n. 9. niſi reponendum ſit initium Epiſtolæ 1. D. Petri Ap. in Dom. V. Paſchæ, forte prætermiſſum, nec in ſequentibus feriis poſt prædictam Dominicam hactenus repoſitum: in hoc enim caſu, ſi feſtum occurrens non habeat Lectiones 1. noct. proprias, reponendum hodie foret prædictum initium: ut ſimiliter monuimus in feria II. Rogat. De feria autem IV. Rogationum nihil fit in Officio, ut ſupra notavimus. Si hodie alicubi occurrat feſtum dupl. 1. cl. docet Caval. *to. 2. c. 15. n. 19.* nihil prorſus ibi agendum eſſe de hac Vigilia Aſcenſ. juxta Rub. gen. tit. 6. n. 2. cum nullo, inquit, particulari privilegio legatur ſuffulta, ac conſequenter communibus Rubricarum legibus relicta cenſeatur. Hoc ipſum docet cum aliis Meratus *to. 1. par. 4. tit. 11. n. 14. & to. 2. ſect. 6. c. 17. n. 1.*

Docet item Caval. l. cit. in hac Vigilia non ſolum de feſto 9. lectionum occurrenti fieri poſſe, verum etiam de quolibet feſto 9. lect. tranſlato, & etiam fieri poſſe de die infra Oct. quare, inquit, *to occurrat* quod habet Rubrica præfixa huic Vigiliæ; in preſſa ſui ſignificatione accipi non debet, quo pacto excluderet Officia translata.

Officia ſemel in menſe, vel hebdomada recitari conceſſa; prohibentur in Vigiliis ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio: ex Decr. S. C. R. vide dicta tr. 1. l. 2. par. 1. cap. 2. num. 3. 32

Qui non interſunt Proceſſioni Rogationum, privatim dicant Litanias 33

poſt

poſt Laudes, ut feria II. Rogat. notavimus, ubi a n. 10. egimus de Lit. min. & Proceſſione. Vid. ibi dicta.

SECTIO II.

De Miſſa.

34 ETSI tempore Paſchali non dicatur Miſſa de Vigilia, dicitur tamen de Vigilia Aſcenſionis. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. n. 6.* Itaque ſi hodie recitetur Officium de Vig. Aſcenſ. dicitur Miſſa de eadem, propr. ut in Miſſali poſt Dom. V. Paſchæ, poſt Miſſam de Rogat. In ea dicitur *Gloria* 2. or. de Rogat. 3. de B. V. *Concede*. Si vero facienda ſit comm. ſimplicis, fit 2. loco & 3. de Rogat. Col. param. ex Rubr. gener. Miſſ. tit. 18. n. 2. Merat. *to. 1. par. 4. tit. 11. n. 14. & to. 2. ſect. 6. c. 17. n. 1.* licet ſit Vigilia, nihilominus color albus adhibetur, quia Officium ejus eſt exultationis, non afflictionis; ut notat Caval. l. ſupra cit. ideoque *Gloria* recitatur, ut diximus. Gaudemus autem, quia Chriſtus vadit ad Patrem. Vide dicenda in feſto, ſequenti die n. 4.

35 Si autem hodie occurrat feſtum novem lectionum, Miſſa de eo, & fit commem. de Vig. Aſcenſ. & deinde de fer. Rogat. or. *Præſta*. Si vero facienda ſit commemoratio ſimplicis, de eo fiet tertio loco, de feria autem Rogationum quarto loco. In fine Miſſæ legitur Ev. Vig. Aſcenſ. ubi autem occurrat feſtum dupl. 1. cl. nec Vigiliæ commemoratio fiat; recole dicta n. 31. nec feriæ 4. Rogationum; vide dicta heri n. 30. ubi tamen occurrat feſtum dupl. 2. cl. fiat in Miſſa tantum privata commemoratio de Vig. & Fer. Rogat. vide dicta cit. n. 30. fine, cum Ev. Vig. in fine Miſſæ.

In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſi occurrat feſtum novem Lectionum, præter Miſſam de Rogationibus, dicuntur duæ Miſſæ, una de Feſto, & alia de Vigilia; & quidem Miſſa de Feſto poſt Tertiam. Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. n. 1. cum 2. oratione S. Simplicis, ſi occurrat; una cum feſto 9. lectionum. Deinde Miſſa de Vigilia Aſc. poſt Sextam: vide Meratum to. 1. par. 1. tit. 15. nu. 3. in param. albi cum Dalmat. & Tunic. ex Rubr. gener. Miſſ. tit. 18. n. 2. & tit. 19. n. 5. Tertia Miſſa poſt Nonam, & Proceſſionem de Rogationibus. cit. Rub. tit. 3. n. 1. in Param. viol. Miniſtri cum Dalm. & Tunic. & in utraque Miſſa 2. or. *Concede*. 3. *Eccleſiæ*, vel pro Papa; & Præf. Paſch. In cujuſque ex prædictis Miſſis Conventualibus Ev. S. Joan. Vid. Merat. *to. 1. par. 4. tit. 4. n. 14.*

Si autem occurrat Feſtum primæ claſſis, non eſſe cantandam Miſſam de Vigilia, ſed ſolum de Feſto poſt Tertiam, & de Rogationibus poſt Nonam: docet Biſſus apud Merat. cit n. 14.

SECTIO III.

De bened. Menſæ, & gratiarum Actione.

IN Cœna hujus Vigiliæ Aſcenſionis hoc ſero formula benedicendi menſam, & gratias agendi erit ea, quam ſequenti die proponemus ſect. 1. ſubſ. 8. Anticipatur autem a 1. Veſp. eo quod mutatio verſuum, & Pſalmorum in benedictione menſæ, & gratiarum actio. 36

actione, quæ fieri ſolet pro varietate aliquorum feſtorum, regulariter fit a 1. Veſperis feſti, ſi cœnetur in Veſperis, quia a 1. Veſp. incipit feſtum, quoad hos, ſimileſque ritus Eccleſiæ, ut notat Gavant *in Rubr. Breviar. ſect. 9. c. 6. n.* 10. Vide dicta tr. 1. l. 1. cap. 7. de benedict. Menſæ qu. 10. n. 30. & lib. 3. 5. Januar. art. 4. n. 14.

ARTICULUS V.

Not. Fer. V. poſt Dom. V. Paſchæ. In Aſcenſione Domini.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *Not. in feſto Aſcenſionis Domini.*

Sect. II. *Not. infra Octavam Aſcenſionis, ſeu uſque ad Pentecoſten in genere.*

SECTIO I.

Not. in feſto Aſcenſionis Domini.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS IX.

Subſ. I. *De Inſtitutione & obſervantia feſti Aſcenſionis.*

Subſ. II. *De Hor. Canon.*

Sub. III. *De Miſſa.*

Subſ. IV. *Not. pro Cereo Paſchali.*

Subſ. V. *De Functionibus Pontificalibus.*

Subſ. VI. *De Exequiis Defunctorum.*

Subſ. VII. *De Indulgentiis.*

Subſ. VIII. *De bened. Menſæ, & gratiarum actione.*

Subſ. IX. *Not. pro Jubilæo Anni Sancti.*

SUBSECTIO I.

De Inſtitutione, & obſervantia Feſti Aſcenſionis.

FERIA V. poſt Dominicam V. Paſchæ celebratur feſtum Aſcenſionis Domini; ponitur hoc feſtum *C. Pronunciandum 1. diſt. 3. de Conſecr.* & C. *Conqueſtus. De feriis*; eſt de præcepto univerſali, uti habetur ex traditione, & conſtat ex Conſtitutione Urbani VIII. incipiente: *Univerſa.* An. 1642. in qua inter feſta ex præcepto univerſali ſervanda, enumeratur Aſcenſio Domini. 37

Nota hic: hoc feſtum adnumerari inter ea feſta, quæ majora dicuntur. Quid autem hoc importet? Vide tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 1. n. 3.

Qu. 1. Quis hoc feſtum inſtituerit? 38

℞. Pro certo habetur, fuiſſe ab ipſis Apoſtolis inſtitutum; nec aliud initium perpetuæ conſuetudinis de illius obſervatione cognoſcitur. Vid. Suar. de Relig. to. 1. tract. 2. lib. 2. c. 7. num. 2. Azor. *Inſtit. moral. par. 2. lib. 1. c. 12. qu. 1. & c. 8. qu. 4. fine.*

Qu. 2. Quare hoc feſtum non habeat diem fixam menſis, ſed hebdomadæ? 39

℞. Non habet diem fixam menſis, quia pendet a feſto Paſchæ, quod eſt mobile, ut conſtat, & ſuo loco vidimus; Pendet autem a prædicto feſto, quia celebrandum eſt recurrente die quadrageſima poſt illud: celebratur autem prædicta die quadrageſima, quia celebratur hoc feſtum ad memoriam, & repræſentationem ipſius Myſterii Aſcenſionis, quod myſterium peractum eſt quadrageſima die a Paſchate, ſeu a Reſurrectione Domini, ut conſtat Act. 1. Ex quo fit ut habeat diem hebdomadæ fi-

xam,

xam, ſcilicet feriam quintam, quia dies quadrageſima poſt Dominicam Paſchæ Reſurrectionis eſt feria quinta, quæ eſt infra hebdomadam quintam poſt Octavam Paſchæ, ſeu poſt Dominicam quintam Paſchæ.

40 Qu. III. Quæ ſit congruentia feſtivitatis hujus?

℞. Per ſe patet, tum propter gloriam ipſius Chriſti Domini, tum propter bonum noſtrum. Unde propter primam rationem dicit ipſe Dominus Jo. 14. 28. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*. Dicit etiam Epiphanius Conſtantiæ Epiſcopus: *Celebramus Chriſti Domini ſecundum carnem aſcenſum, quod ſane feſtum inter Dominica faſtigium obtinet, ut enim caput totam corporis conſtitutionem exornat, ita hæc ſolemnitas divinæ œconomiæ pulchritudinem, quaſi colophonem illi imponens mirifice illuſtrat*. Simile quid habet vulgatus Clemens *lib.* 8. *Conſtit. c.* 3. ubi ait, hoc feſtum ſervandum eſſe: *quod hic fuerit impoſitus finis œconomiæ Chriſti*. Et ideo laudatus Epiphanius etiam vocat *feſtorum decus*. Et Auguſtinus *ſerm.* 90. *de diverſis*, ex recenſ. Lovanienſ. inquit: glorificationem Chriſti in Reſurrectione, & Aſcenſione fuiſſe completam. *Glorificatio Domini noſtri Jeſu Chriſti reſurgendo, & aſcendendo completa eſt*.

Alteram rationem hujus feſtivitatis colligimus ex eo, quia dicit Eccleſia in Præfatione Miſſæ hujus feſtivitatis, quod Chriſtus Dominus *eſt elevatus in Cœlum, ut nos divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes*. Dicit etiam Auguſtinus ſerm. cit. quod Chriſtus *ideo aſcendit, ut nos deſuper protegeret*. Et multa ſimilia in Leone Papa, aliiſque Patribus in ſermonibus hujus feſtivitatis legi poſſunt. Ex quibus ſatis patet congruentiſſime fuiſſe inſtitutam.

Verum & ex iiſdem, facile eſt arguere, ſolemnitatem, & excellentiam ejuſdem, ad quam etiam facit, feſtivitatem hanc inter majores, ut ſupra ſignificavimus, adnumerari. Confert inſuper, quod ſicut celebratur, & colitur omnis Dominica dies in memoriam Reſurrectionis Domini, ſecundum dicta tr. 1. l. 2. par. 2. c. 1. de Dominica art. 1. qu. 2. & 3. ita ſimiliter olim ſervata fuiſſe, dicitur, ut feſtiva omnis feria quinta in memoriam Aſcenſionis Domini; etſi deinde, multiplicatis feſtivitatibus, ſublata fuerit feriæ quintæ feſtiva ſolemnitas, ut refert Jo. Beleth *de Divin. Offic. c.* 78. & Durandus *in Rationali lib.* 4. *c.* 6. *n.* 21.

SUBSECTIO II.

De Horis Canonicis.

FERIA V. poſt Dom. V. Paſchæ Aſcenſionis Domini dupl. primæ cl. Rubr. gen. Brev. tit. 1. n. 1. & tit. 9. n. 5. & in duab. tabell. excerpt. ex rubr. gen. Brev. Quodcumquæ feſtum occurrat, transfertur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 10. *n.* 1. Habet Octavam. Offic. ut in propr. Etſi adhuc currat tempus paſch. in quo, ut ſuo loco notavimus pſalmi uniuſcujuſque nocturni dicuntur ſub unica antiphona: nihilominus in hoc feſto Matutinum habet Antiphonas ad unumquemque pſalmum. Id autem fieri in hac ſolemnitate ad fervorem Charitatis excitandum, putat Gavantus *in rubr. Brev. ſect.* 6. *c.* 17. *n.* 2.

Nos autem dicimus: quod ex una parte cum paſchale tempus ſignificet ſta.

Digitized by Google

ſtatum cœleſtis Beatitudinis : & ex noſtra ſententia , tempore præfato , cujuſque nocturni canonici pſalmi ſub unica antiphona recitentur, quaſi ad imitandum Beatorum cantum : uti explicavimus 1. parte hujus partis 3. c. 1. n. 4. ex alia parte vero , cum interim in hac ſolemnitate repræſentemus Chriſtum in terris, & nos circa illum mox relinquentem mundum , & euntem ad Patrem : non congruit , repræſentare nos omnino conſtitutos adhuc una cum Beatorum Choris in Cœlo : ſed pro interim ſaltem ex parte, oportet repræſentare ſtatum Eccleſiæ militantis in terris ; atque adeo ſaltem ex parte pro nunc conſiderare nos extra tempus paſchale : quo tempore ad Nocturnos , in feſtivitatibus , pſalmis ſingulis dantur Antiphonæ .

Ad Primam in ℟. br. *Qui ſcandis* , uſque ad Pentecoſtem excl. *Rubr. gen. Brev.* tit. 28. n. 3. In fine hymnor. *Jeſu tibi ſit gloria , qui victor in Cœlum redis* , & ſic terminantur hymni uſque ad Pent. qui ſint ejuſdem metri , & non habeant ultimum verſum proprium ; & ideo hymni : *Salutis humanæ :* qui dicitur ad Veſper. & Laud. non mutatur ultimus verſus, quia eſt proprius. *Rubr. gen. Brev. tit.* 20. *n.* 7. Quis autem nuncupetur verſus proprius? explicuimus 1. par. cit. c. 1. n. 7.

Secundæ Veſp. de eodem feſto . Antiphona ad *Magnificat* & ℣. poſt hymnum propria . Reliqua ut in 1. Veſp.

SUBSECTIO III.

De Miſſa .

In feſto Aſcenſionis Domini dupl. 1. cl. Miſſa propr. *Credo* . Rubr. gen. Miſſ. tit. 11. Præfatio , & *Communicantes* , propria . An , & quale peccatum ſit , non dicere Præfationem propriam , & *Communicantes* proprium ; & utrum , ſi quis oblitus fuerit dicere propria , debeat ſupplere , ubi animadvertit errorem ? Examinavimus in Dom. Paſchæ Reſur. art. 3. de Miſ. qu. 1. & 2. Col. param. alb. ex rubr. gen. Miſſ. tit. 18. n. 2. propter Nubem Lucidam, in qua Chriſtus aſcendit ; & quia cum Diſcipuli ejus *intuerentur in Cœlum euntem illum , ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis . Act.* 1. 10. ut obſervat Durandus *in Ration. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 2. *fine* . 41

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ , vel concurſus populi ad celebrandum feſtum , quod transferri debet , poſſint cantari duæ Miſſæ , una de die , alia de feſto : Excipitur tamen dies Aſcenſionis Domini . Rubr. gen. Miſſ. tit. 6. Sunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati , & notandi .

Hodie prohibetur Miſſa in Oratoriis privatis . Vide dicta tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 2. num. 38.

SUBSECTIO IV.

Not. pro Cereo Paſchali .

In die Aſcenſionis poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis extinguitur , & removetur Cereus paſchalis , & non accenditur ulterius , niſi in Sab. Pente- 42

recoſtes ad benedictionem fontis baptiſmalis. Vid. dicta in Sab. S. ſubſ. 4. §. 1. n. 352.

Hodie autem extinguitur, & removetur, ad repræſentandam diſceſſionem Chriſti ab Apoſtolis. Porro Cereus paſchalis Chriſti Domini typus eſt; vide dicta in Sab. S. ſubſ. 3. §. 4. n. 319. Extinguitur, & removetur poſt Evang. quia in eo fit mentio Aſcenſionis; & licet de eadem ſimiliter mentio fiat in Epiſtola, extinguitur autem ad Lectionem Evangelii, proculdubio quia & mentio eſt poſterior, & locus dignior.

SUBSECTIO V.

De Functionibus Pontificalibus.

45 In feſto Aſcenſionis functiones Pontificales, abſente vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem. ex Decr. S. C. R. 3. Decembr. 1672. *in Adrien.* apud Caval. *to.* 4. *c.* 19. *n.* 3. *d.* 10.

Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus dignitatibus impeditis, vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur. S. C. R. 26. 1670. *in Senen.* apud Caval. loc. cit. d. 11.

SUBSECTIO VI.

De Exequiis Defunctorum.

46 Si quis moriatur in feſto Dominicæ Aſcenſionis, nullæ ſunt Exequiæ publicæ celebrandæ de mane, nec conſuetum ære campano emortuale ſignum edendum, ſed Officium, & preces recitentur ſub Veſperum; vel cadaver in craſtinum reſervetur ob excellentiam feſti, ſolemnitatemque diei. Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii cap. 8. art. 6.

SUBSECTIO VII.

De Indulgentiis.

In feſto Aſcenſionis acquiri poſſunt 47
Indulgentiæ Stationnm Urbis. habetur autem hodierna *Statio* ad S. *Petrum*: de Stationibus egimus hoc tr. 2. l. 4. par. c. 2. a n. 101.

Quicumque habuerit apud ſe ali- 48
quam Coronam, aut Crucem benedictam, aut numiſma benedictum a Summo Pontifice, fueritque ſolitus ſaltem ſemel in unaquaque hebdomada recitare Coronam Domini, aut B. Virginis, vel integrum Roſarium, aut illius ſaltem tertiam partem, vel Officium Divinum, aut illud B. Virginis, vel Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut conſueverit intereſſe Sacrificio Miſſæ, ſive illud celebrare, ſi Sacerdos ſit; aut aliquod aliud opus pium Chriſtianæ Miſericordiæ præſtare, & exercere, ſi confeſſus, & ſacra Eucariſtia refectus fuerit in feſto Aſcenſionis, atque Domino preces fuderit pro hæreſum, & ſchiſmatum extirpatione, fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, ac pro aliis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, Indulgentiam plenariam lucrabitur. apud Plazz. *de Purgator. par.* 2. *art.* 1. §. 10. *n.* 52.

Hodie lucrantur Indulgentiam pl. 49
ii, qui adſunt benedictioni ſolemni quam Pontifex impertitur: pro qua vide dicta in Domin. Reſur. n. 49. & vi-

Digitized by Google

& videri etiam poſſunt infra dicenda num. 51.

SUBSECTIO VIII.

De Benedictione Menſæ, & Gratiarum actione.

50 IN Aſcenſione Domini uſque ad Vigiliam Pentecoſtes excluſive, Sacerdos benedicturus menſam incipit: *Benedicite*. ℟. *Benedicite*. Deinde ℣. *Aſcendit Deus in jubilatione Alleluja. Et Dominus in voce tubæ Alleluja. Gloria Patri &c.*) Et alia de more.

In fine menſæ dicitur ℣. *Aſcendens Chriſtus in altum. Alleluja*. ℟. *Captivam duxit captivitatem. Alleluja. Gloria Patri*. Et alia de more. Sed dicitur Pſalmus *Omnes gentes plaudite* vel Pſ. *Laudate Dominum omnes Gentes*. Rubr. Brev.

Prædictus modus benedicendi, & gratias agendi ſervatur itaque in feſto Aſcenſionis a 1. Veſp. incl. ſeu a Cœna incl. præcedentis feriæ quartæ, ut ibi notavimus; uſque ad Cœnam incluſive feriæ ſextæ poſt Octavam Aſcenſionis. Gavant. *in Rubr. Br. ſect. 9. c. 6. n.* 10. Caval. *tom. 4. c. 25. comment. in decr. 2. n.* 12.

SUBSECTIO IX.

Not. pro Jubilæo Anni Sancti.

51 VIGESIMO quoque quinto anno celebratur Romæ Jubilæus, qui dicitur Annus Sanctus, & licet incipiat a Vigilia Nat. Domini, ut ibi notavimus, nihilominus annunciatur in hoc Aſcenſionis Dominicæ feſto. Eo itaque anno, a quo Vigilia Nativitatis Domini celebrandus eſt Annus Sanctus, eo, inquam, anno die hac Aſcenſionis Domini, maximo apparatu in Templo S. Petri poſt Evangelium recitatur publice Pontificis Summi Diploma de proximi anni Jubilæo. Vide dicta tr. 1. 24. Decembr. art. 4.

Jubilæus autem in die Aſcenſionis indicitur, quia hodie aſcendens Chriſtus in altum dedit dona hominibus; ſicut hac ipſa die benedicendo diſcipulis ſuis, oſtendit ſe Pontificem Summum Eccleſiæ, Paſtorem, & Superiorem; ita & Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius hac die Populo benedicit; & per hujuſmodi actum Juriſdictionis, & publicationis præfati Jubilæi, Supremum gradum, & apicem Eccleſiæ auctoritatis, & dignitatis in terris ſe habere ſignificat. Vide Julium Lavorium de Laurino tract. de Jubilæo c. 24. a n. 1. ad 6.

SECTIO II.

Not. infra Oct. Aſcenſ. ſeu uſque ad Pentec. in genere.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS II.

Subſ. I. *De Horis Canonicis*.
Subſ. II. *De Miſſa*.

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis.

FESTUM Aſcenſionis habet octavam: 52
infra Oct. Aſcenſionis, & uſque ad Pentecoſten quotidie fit Officium de Aſcenſione, niſi occurrat feſtum novem Lectionum, etiam translatum; quia tunc de eo fiet Officium cum commemoratione Octavæ Aſcenſionis; niſi feſtum reſpuat commemo-

morationem diei infra Octavam, juxta Rubricas generales, puta ſi ſit 1. aut 2. cl. Et nota hic pro ſemiduplicibus occurrentibus infra Octavas non privilegiatas Decretum ſequens: *Officia tranſlata, quæ tamen ſint ejuſdem ritus, & dignitatis, reponuntur juxta ordinem tranſlationis, ut ſcilicet prius celebretur Officium ab ante tranſlatum, deinde fiat de alio ſecundo loco tranſlato, & ſic ſucceſſive. Ab hac tamen regula excipitur ſemiduplex occurrens in feſto habente Octavam, vel in Dominica infra Octavam, vel in feſto duplici infra Octavam; quod ſemiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediate ſequentem: (in qua alias agendum eſſet Officium de die infra Octavam:) protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quodcumque duplex, etiam primæ claſſis, prius tranſlatum.* S. R. C. 2. Septemb. 1741. apud Caval. *tom*, 2. *c.* 20. *in d.* 6. 6. *n.* 2. & *c.* 27. *d.* 10. Vide eumdem Caval. cit. 20. in d. 5. nu. 2. & confer dicta tr. 1. lib. 2. in Dominica art. 2. n. 21. Hæc in antiquioribus Decretis jam fuerant ab eadem S. R. C. declarata, ut videre eſt apud Caval. cit. cap. 20. ubi inter alia decreta huc ſpectantia quinto loco traditur Decretum tenoris ſequentis: *Dum ſemiduplex incidit in feſtum habens Octavam, vel in Dominicam infra Octavam (non privilegiatam,) & dies immediate ſequens non eſt impedita, ſed reſtat celebrandum duplex: v. g. hoc anno 1736. feſtum Aſcenſionis Domini incidit in die 10. Maii, ſeu in feſto S. Antonini, & remanet celebrandum feſtum S. Petri Martyris, quod eſt duplex. Quæritur, an die 11. Maii nempe immediate ſequenti celebrari debeat feſtum ſemiduplex S. Antonini juxta Rubricam* de tranſl. feſt. num. 5. *transferendo ulterius feſtum S. Petri Mart. Et reſponſum fuit affirmative, & juſſum fuit dari Decreta emanata ſub diebus* 30. *Sept.* 1679. & 16. *Sept.* 1702. S. R. C. 23. Junii 1736. in Brugen. ex Merato in Indice Decr. Br. n. 316. ubi aſſerit, idem omnino confirmatum fuiſſe die 16. Febr. 1737. in Mechlinen. ad 2. dubium.

De feſtis trium Lectionum, ſeu de Sanctis, qui habent ritum ſimplicem; infra Oct. Aſcenſ. fit commemoratio cum nona Lectione de iiſdem, ſi forte habeant in Breviario propriam. *Rub. Brev.* hic.

Infra Oct. Aſcenſ. rit. ſemid. lectiones omnes quotidie propriæ, reliqua ut in feſto. Ad Primam in ℟. br. *Qui ſcandis*, per totam Octavam uſque ad Pentecoſtem excl. In fine hymnorum *Jeſu tibi*. *Qui victor*. Excepto hymno: *Salutis humanæ*, (quia habet ultimum verſum proprium, ut ſupra notavimus n. 41.) Et dicitur: *Jeſu tibi*. *Qui victor*, etiamſi non fiat Officium de infra Octavam Aſcenſionis, ſed de alio feſto: In hymnis videlicet ejuſdem metri, & non habentibus ultimum verſum proprium: ut accidit ex. gr. quando recitatur de communi M. M. in hymno: *Chriſto profuſum ſanguinem*. 53

SUBSECTIO II.

De Miſſa.

INFRA Octavam Aſcenſionis dicitur Miſſa de Aſcenſione ut in feſto, niſi occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, quia tunc de illo feſto erit Miſſa, cum commemoratione Octavæ Aſcenſionis, niſi feſtum reſ- 54

Digitized by Google

puat commemorationem dici infra Octavam, juxta rubricas generales: puta ſi ſit dupl. 1. aut 2. claſ. De ſimplici autem fit tantum commemoratio. Rubr. Miſſ. hic. Poſt Orationem diei dicitur 2. or. de B. V. *Concede*. 3. pro Eccl. vel pro Papa. Niſi occurrat commem. feſti ſimpl. tunc enim 2. erit de eo, 3. de B. V.

Quotidie *Credo*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 11. n. 1. & Præfatio propria ut in feſto per totam Octavam & uſque ad vigiliam Pentecoſt. s excl. hoc eſt uſque ad fer. ſextam incl. poſt Octavam Aſc. eadem Præfatio etiam recitatur in feſtis occurrentibus prædicto tempore, niſi propriam habuerint. Item quotidie *Communicantes*, proprium per totam Octavam: hoc eſt, uſque ad ſequentem feriam v. incl.

Si feſtum Sanctorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis Sanctæ Crucis, aut Sancti Joannis ante portam Latinam occurrerit infra Octavam Aſcenſionis, Præfatio in Miſſa erit de Apoſtolis, vel de Cruce; ſed Communicantes *de Aſcenſione*. S. R. C. 28. Auguſti 1627. in una Urbis apud Caval. *to.* 5. *c.* 14. *d.* 3.

Eadem diſpoſitio ſervanda erit, ſi feſtum S. Marci Ev. transferatur ad aliquem diem infra Octavam prædictam, ut aliquando alicubi accidit. Idem dicendum de aliis feſtis, & de Miſſis votivis propriam habentibus Præfationem, & infra hanc, vel quamlibet aliam Octavam celebrandis: Vide Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *n.* 47. *& par.* 2. *tit.* 8. *n.* 12. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 309. *n.* 20551. *in ind. Decret. S. C. R. num.* 178. Profecto declaratum eſt, quod, *Si urgente cauſa, celebranda eſt Miſſa Votiva infra Octavam, quæ habeat Præfationem propriam, & Communicantes, in Miſſa Votiva debet dici Præfatio conveniens* (propria ſcilicet, ſi propriam habeat, juxta rubr. gener. tit. 12. n. 4) Communicantes *vero de infra Octavam, quia eſt proprium de illo tempore*. S. R. C. 16. Junii 1683. in Granaten. apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 727. Hoc ipſum docens, rationem eamdem aſſignat Gavantus *in rubr. Miſſ. par.* 1. *tit. lit. g.* ubi quidem docet: in Miſſis votivis, quæ dicuntur infra Octavam Aſcenſionis, & habeant Præfationem propriam, dicendum eſſe *Communicantes* de Aſcenſione, quia habet infra hanc Octavam quaſi rationem de tempore, ſicut haberet etiam Præfatio de Octava, ſi propriam Præfationem Miſſæ votivæ non haberent, ut dicitur in rubr. gener. Miſſ. tit. 12. nu. 3. & 4. Et licet nulla fiat commemoratio de Octava, dicitur tamen *Communicantes* ſicut in Officio dicitur ad Primam: *Qui ſcandis ſuper ſidera:* neque enim ideo unitur *Communicantes* Præfationi in Miſſali, ut una ſimul vel dicantur vel omittantur; ſed ut facilius *Communicantes* reperiatur. Quod de *Communicantes* dictum eſt, procedit etiam quo ad *Hanc igitur* proprium, ſi Octava etiam iſtud habeat. Merat. *par.* 1. *cit. n.* 47. *fine* confer dicta hoc lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 2. n. 2. In Miſſis autem Defunct. prædicta dicuntur de Communi. Confer dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 83.

Qu. Si quis infra Octavam Aſcenſionis velit legere Miſſam votivam de B. V. quem Ritum ſervare debeat?

℞. Miſſa ut in votivis a Paſcha ad Pentecoſten, ſine *Gloria in excelſis*, & ſine *Credo*. Si autem ſit Sabba-

batum, dicatur *Gloria*. Vide dicta n. 1. l. 3. 11. Decemb. art. 2. n. 3. Secunda or. de Oct. Aſcenſ. 3. de Spiritu S. Si vero fiat Officium de aliquo feſto ſemiduplici 2. orat. de eo 3. de Oct. Aſcenſ. quod ſi occurrat feſtum ſimplex, fiat de eo commemoratio poſt Commemorationem Octavæ. Præf. de B.V. ex Rub. gen. Miſſ. tit. 12. n 4. *Communicantes* de Aſcenſ. quemadmodum habes ex dictis. In fine Miſſæ *Benedicamus Domino*; niſi dictum fuerit *Gloria in excelſis*.

ARTICULUS VI.

Not. fer. VI. infra Oct. Aſcenſionis.

SECTIO UN.

De Horis Canon. & Miſſ.

Si non occurrat feſtum novem lectionum, (etiam tranſlatum: vide dicta præcedenti die nu. 52.) fiat de ſecunda die infra Oct. Aſc. lect. 1. noct. initium Ep. 2. B. Petri Ap. 2. & 3. noct. propr. reliqua ut in feſto. Si vero fiat de feſto novem Lectionum, in quo non habeantur lect. 1. noct. propr. legatur prædictum initium cum commem. Oct. Et rurſus in Miſſa; & reliqua ſerventur explicata die præcedenti ſect. 2. ubi de infra Oct. Aſc. in gen.

ARTICULUS VII.

Not. in Sabbato infra Oct. Aſcenſionis.

SECTIO UN.

De Hor. Can. & Miſſ.

Si heri ob aliquam cauſam non fuit lectum initium Ep. 2. B. Petri Ap. reponatur hodie, niſi ſimile occurrat impedimentum. Vid. Merat. *to. 2. ſect. 6. c. 17. n. 3.* & confer dicta hoc tr. 2. l. 2. par. 2. in ejus 1. par. c. 1. n. 2. Si dicatur Miſſa votiva de B. V. Vid. dicta n. 55.

Si cras fiet de Dom. & hodie recitatum ſit de die infra Oct. Veſp. a Cap. de ſeq. Dom. infra Oct. Aſcenſ. ſemid. ut in propr. & fit commem. Octavæ Aſcenſionis ut in 2. Veſp. feſti, ſed ℣. ut in 1. Veſp. ejuſdem feſti. Si autem hodie recitatum ſit, vel cras recitandum erit de aliquo feſto, Veſperæ ordinentur juxta Rub. de concur. & commemoratio Octavæ (ſi ritus feſti non reſpuat,) fiat modo prædicto.

CAPUT VI.

Not. in Hebdomada VI. poſt Oct. Paſchæ.

ARTICULUS I.

Not. In Dom. VI. poſt Paſcha, infra Octavam Aſcenſionis.

Explicantur Sectionibus II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SE-

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 SI Officium fiat de Dom. occurr. rit. ſemid. *Rubr. gen. Brev. tit.* 2. *n.* 1. Totum Officium fit ut in feſto Aſcenſionis, exceptis illis, quæ hodie in Breviario habentur propria: puta lectiones, capitula &c. cum commemoratione Octavæ Aſcenſion. (ob rationem indicatam in Dom. 2. poſt Epiph. ſect. 1. n. 2.) in Laudibus, ut in feſto, ſed ℣. ut in 1. Veſp. ejuſdem feſti, & non fit commem. de Cruce. Ad Primam tres pſalmi conſueti ut in feſtis, nec dicitur Symbolum S.Athanaſii *Quicumque*. Rubr. gen. Brev. tit. 4. n. 2. & tit. 33. n. 2. Ad Abſolutionem Capit. lectio *Si quis loquitur*, ut in Cap. ad Nonam hujus Dominicæ. In 2. Veſp. fit commem. Oct. Aſcenſ. ut in 2. Veſp. feſti, ſed ℣. ut in 1. Veſp. ejuſdem feſti.

2 In hac Dom. in Brev. ponitur initium Ep. 1. B. Joannis; jam vero hic notandum, quod ſi prædictum initium lectum fuerit pridie, quando ſcilicet in Sabbato præcedenti occurrit feſtum S. Joannis ante Portam Latinam, tunc in hac Dominica legantur in 1. noct. lectiones feriæ ſecundæ ſequentis de eadem Epiſtola: *Videte qualem charitatem*. Rubr. Brev. hic: ne ſcilicet bis prædictum initium legatur immediate, ut obſervat Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 7. ad diem 6. Maji*, quemadmodum in ſimili notavimus in Domin. 4. poſt Paſcha.

Quare non dicantur Pſalmi de Dominica, ſed de Aſcenſione, & totum fere Officium fit de Aſcenſione? Ratio eſt, ut Officium inſtanti celebritati Aſcenſionis Dominicæ concordet; ne Clerus aliud, quam populus, in Eccleſiaſticis hujuſcemodi celebritatibus obſervet. Vid. Microlog. *de Eccl. obſervat. c.* 37.

Dominica infra Octavam Aſcenſionis aliquando vocatam Dominicam Roſæ notavimus ubi de Dom. 4. Quadr. ſect. 1. n. 1.

SECTIO II.

De Miſſa.

SI dicenda ſit Miſſa de Dom. VI. poſt Paſcha, quæ eſt infra Oct. Aſcenſ. ut in propr. & dicitur tantum 2. or. de Oct. Aſcenſ. Præf. & *Communicantes* de Aſcenſ. 3

ARTICULUS II.

Not. fer. IV. poſt Dom. VI. Paſchæ, infra Oct. Aſcenſ.

SECTIO UNICA.

De Hor. Canon.

MARTYROLOGIUM in ferie feſtorum mobilium non recenſet elogium diei Octavæ Aſcenſionis; nihilominus ea ſolet annunciari ex uſu communi, annuncietur autem ſimpliciter, puta: *Octava Aſcenſionis Domini*. Annuncietur 1. loco, ſi de ea ſit cras recitandum; quod ſi ſola commemoratio habenda ſit, annuncietur 2. loco. Vid. Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 37. *in d.* 2. *n.* 9. *&* 11. 4

5 In Calend. Rom. Veſp. de die Octava Aſcenſ. dupl. ut in 1. Veſperis feſti.

In 1. Veſperis diei Octavæ Aſcenſionis totum Officium fit de Octava cum

cum commemoratione præcedentis feſti duplicis, niſi fuerit feſtum ſolemne principale vel primæ, vel ſecundæ claſſis, quia tunc de feſto fieret Officium, & commemoratio de Octava. *Rubr. Brev. poſt tabell. concurſ. Offic.* & eruitur a fortiori ex Rubr. gen. Brev. tit. 11. n. 7. Vide dicta tr. 1. 13. Januar. art. 1. n. 2.

ARTICULUS III.

Not. fer. V. poſt Dom. VI. Paſchæ, in Octava Aſcenſionis.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

6 OCTAVA Aſcenſ. dupl. omnia ſicut in die præter lectiones omnes proprias. *Rubr. Brev. hic.*

Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio, quod ſi habeat lectionem propriam, legitur etiam de eodem lectio nona.

In 2. Veſperis non fit commemoratio Officii ſequentis diei. Rubr. Brev. hod. Intellige, ſi ſequenti die fiet Officium de feria VI. poſt Octavam Aſcenſ.; ſecus autem ſi fiat Officium de feſto duplici, vel ſemiduplici; item ſi cras occurrat commemoratio feſti ſimplicis, fiat in his ſecundis Veſp. commem. de eo.

In 2. Veſp. diei Octavæ Aſcenſionis de ſequenti duplici fit tantum commemoratio, niſi illud fuerit primæ, vel ſecundæ claſſis: quia tunc de feſto fieret Officium, & de Octava commemoratio. *Rubr. gen. Brev. tit.* 11. *n.* 7. & poſt tabell. de concur. Offic. Vide dicta *tr.* 1. 13. *Januar. art.* 1. *n.* 2.

SECTIO II.

De Miſſa.

IN die Octava Aſcenſ. dup. Miſſa ſicut in feſto cum una tantum Oratione. Rubr. Miſſ. hic. Si autem occurrat feſtum ſimplex, fit utique de eo commemoratio. *Credo* Præf. & *Communicantes* de Aſcenſione. Color. param. alb. 7

ARTICULUS IV.

Not. Fer. VI. poſt Oct. Aſcenſ.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

HODIE, & ſequenti die Officium 8 fit ſicut infra Octavam Aſcenſionis, exceptis lectionibus, quæ habentur propriæ; item exceptis ℞. VIII. Capit., Antiphonis ad *Bened. & Magnific.* & oratione, quæ dicuntur de Dominica infra Octavam Aſcenſionis; & non dicuntur Preces ad Primam, & Complet. *Rubr. gen. Brev. tit.* 34. *num.* 2. Atque adeo nec fit commemoratio de Cruce, ob rationem inferius aſſignandam. Adhuc dicetur ad Primam in ℞. brev. *Qui ſcandis.* & in fine hymnorum: *Qui victor in Cœlum redis*: hymnorum ejuſ-

ejuſdem metri, & non habentium ultimum verſum proprium.

Martyrologium Vigiliæ mobili Pentecoſtes nullam præmittit mentionem, nec diſſimiliter agit uſus communis; cui tamen ſi quis contraierit, eum non eſſe reprehendendum, imo fortaſſe laudandum exiſtimat Cavaler. *to. 2. par. 2. c. 37. in decr. 2. n. 11.* eo quod Martyrologium ipſum Vigilias omnes immobiles annunciat. Annunciabitur autem primo loco. Caval. n. 6. & ſimpliciter, puta: *Vigilia Pentecoſtes*. Caval. cit. n. 11.

Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio, cum ejuſdem nona Lectione, ſi propriam habeat in Breviario. *Rubr. Brev. poſt Offic. Aſcenſ.*

9 Si vero in hac feria ſexta occurrat feſtum novem Lectionum, fit de feſto cum commemoratione Officii ejuſdem diei ad Laudes (abſque nona lect. de homil. huj. fer. Merat. *to. 2. ſect. 3. c. 11. n. 2.*) Antiph. ℣. ℟. & Orat. ex Dom. infra Oct. Aſcenſ. Niſi illud feſtum fuerit ex Solemnioribus, ut dicitur in Rubr. de commemor. *Rubr. Brev. hodie*; nimirum niſi occurat feſtum duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, quod reſpuit commemorationem diei infra Octavam, & a fortiori commemorationem hujuſmodi feriæ, quæ, rigoroſe loquendo, non eſt de Octava Aſcenſionis: ea enim terminavit in præcedenti feria quinta, in qua recitatum fuit Officium de die Octava Aſcenſionis ſub ritu duplici, aliarum Octavarum inſtar: ut obſervat Cavaler. *to. 5. c. 12. n. 12.* (alias per err. 13.)

Docet autem Meratus *to. 2. ſect. 3. c. 10. n. 3.* quod ſi alicubi hodie occurreret dies infra aliquam Octavam particularem, recitandum eſſet Officium de hac feria cum commemoratione alterius illius Octavæ: quia cum ſit Officium Domini, eſt præferendum. Conſentit cum Guyeto contra Pittonum. Cavalerius *to. 2. c. 20. in decr. 8. n. 20.* quia Officium hujus feriæ eſt de Octava Aſcenſionis, quæ per duas dies ultra ſolitum prorogatur; etſi rigoroſe loquendo, hanc feriam non eſſe diem infra Octavam Aſcenſionis, faſſus fuerit n. 8. & rurſus docuerit to. 5. l. cit. ut jam diximus; quod ipſum concedit Guyetus apud Merat. l. cit. In eodem caſu, quo hodie occurrat dies infra aliquam Octavam particularem, quoniam adveniente Vigilia Pentecoſtes ceſſant Octavæ particulares, ut ibi notabimus, ideo ſi hodie non ſit dies ſeptima infra Octavam hujuſmodi particularem; fiet quidem commemoratio ejus in ſecundis Veſp. Secus autem ſi ſit dies ſeptima. Quod ſi occurrat dies Octava; fiat de ea uſque ad Completorium incluſive cum commem. fer. ad Laud. ut ſupra, & in Veſp. ut infra. Confer dicta in Sab. poſt Dom. Paſſion. n. 22. *In feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis poteſt fieri de Officio ſemiduplici tranſlato*. S.R.C. 11. Aug. 1691. apud Caval. *to. 2. c. 20. d. 8.* Merat. *to. 2. ſect. 3. c. 10. n. 3. & ſect. 6. c. 17. n. 5.* Atque adeo debet in hac feria reponi, ſi reponendum reſtet aliquod feſtum ſemid. Caval. l. cit. n. 9. niſi aliud obſtet. Porro licet infra Octavas non fiat de ſemiduplici tranſlato, (niſi in caſibus expreſſis ubi de infra Oct. Aſcenſ. in gen. n. 52.) hæc tamen feria non eſt dies rigoroſe infra Octavam Aſcenſionis, quæ terminavit in præcedenti feria V. ut ſupra notavimus. Caval. n. 8.

In 2. Veſp. ſi hodie factum ſit de feſto duplici, fiat commemoratio fe- 10
riæ,

riæ, ut in ſecundis Veſp. Dominicæ infra Oct. Aſcenſ. Etiamſi factum ſit de feſto ſemiduplici, adhuc de feria iſta nonniſi ſolam commemorationem faciendam eſſe, vult Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 17. n. 7.* Bauldry, & Pittonus apud Caval. l. cit. n. 10. eo quod potius ſit occurrentia feſti, & feriæ, quam concurrentia cum Sabbato ſequenti, quod neque eſt feſtum ſemiduplex, neque dies infra Octavam, ſed Officium repetitæ Dominicæ uſque ad Nonam incluſive. Verum contradicit omnino cum Guyeto Cavalerius n. 12. 18. & 19. ubi docet: a capitulo recitandum de feria, ſeu de ſequenti Sabbato, uti re ipſa fieret, ſi tale feſtum ſemiduplex infra Octavam recurreret: eo quod hæc feria ſexta, & Sabbatum ſequens inſtar ſe habeant dierum infra Octavas, & ſolum exceptis iis, quæ in oppoſitum expreſſe ſancita ſunt, tamquam dies infra Octavam debeant regulari: qua de cauſa non admittunt Preces Dominicales, nec Commemorationem de Cruce; quæ tamen alias dici deberent.

Occurrente autem in hac feria feſto duplici primæ claſſis peragendam eſſe in 2. Veſperis commemorationem feriæ, volunt nonnulli apud Meratum *to. 2. ſect. 3. c. 11. n. 2.* exiſtimantes Antiphonam hujus feriæ, quæ aſſignatur ſecundis Veſperis, pertinere ad feriam ſequentem, ad Vigiliam ſcilicet Pentecoſtes: quam credunt æquiparandam aliquo modo Vigiliæ Epiphaniæ, de qua quidem fit commemoratio in Veſperis antecedentis diei, etiamſi alicubi occurreret in illa die feſtum 1. cl. Meratus autem potius inclinat ad ſentiendum cum Guyeto, commemorationem in poſito caſu negante. Sed opinioni, ac diſpoſitioni præfatæ favet Caval. *in cit. d. S. n. 19.* ubi aſſumit, quod ſi in hac feria occurrat duplex ſecundæ claſſis, taceatur quidem in Laudibus commemoratio feriæ, non item in 2. Veſp.. Inde autem colligit, commemorationem non eſſe de feria VI.: cum contra Rubricas, & Decreta ſit, in Veſperis Commemorationem agere de eo, de quo acta non fuit in Laudibus. Unde concludit, eſſe de Sabbato ſequenti: quod, conſequenter, dicendum ſit, primis Veſperis eſſe donatum.

Si cras occurrat feſtum ſimplex, fit in his Veſperis commemoratio de eo, quia etiam cras de eodem fiet commemoratio in Laudibus, quamvis non fiet cras in Miſſa commemoratio de ſimplici.

Qu. hic: cur hodie, & ſequenti die fiat adhuc de Aſcenſione, cum ejus Octava terminaverit in præcedenti feria V.? 12

℞. Ex Joanne Beleth *de Divin. Offic. c. 130.*, & Durando *in Ration. Divin. Offic. lib. 6. c. 86. n. 16. fin.* ita fit, quia, licet duo dies qui ſuperſunt Octavæ Aſcenſionis, polleant Officiari ad Miſſam a Dominica antecedenti; tamen ad Nocturnos non haberent Invitatorium, vel lectiones, vel reſponſoria, niſi ab Aſcenſione Domini acciperent. Unde dicunt, hos decem dies pro una reputari; nec id mirum eſſe, cum & totum tempus Paſchale pro una reputetur Octava; ita illi. In quo Durandus c. 105. fine etiam agnoſcit myſterium, ſic enim habet: *Prorogatur ergo Octava, cum Apoſtoli eſſent laudantes Deum. Nec vacat myſterio, quoniam Apoſtoli expectantes, per obſervationem decem præceptorum, Paracletum, Myſterium* de-

denarii accipere meruerunt, & nos etiam expectantes, ob eamdem obſervationem, denarium vitæ percipiemus æternæ. Hæc Durandus. Conſonat B. Ivo Carnotenſis Epiſc. *ſerm. de Pentecoſte* dicens: *Hinc eſt etiam, quod decimo die poſt Aſcenſionem Domini miſſus eſt idem Spiritus Sanctus, quia in mercedem denarius promittitur Operariis, perſeveranter in vinea Domini laborantibus.*

SECTIO II.

De Miſſa.

12 Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, ſi non fuerit feſtum duplex, vel ſemiduplex, Miſſa dicitur de Dominica præterita: 2. or. de S. Maria: *Concede nos famulos tuos*, & 3. *Eccleſiæ*, vel pro Papa. *Deus omnium fidelium*. De ſimplici fit tantum commemoratio; & non dicitur *Credo*; quia, inquit Caval. *to.* 5. *c.* 12. *n.* 12. (alias per errorem 13.) ex vi Rubricæ dicendum eſt in feſto, & per octavam; hæc autem abſoluta eſt in præcedenti Feria V. Nihilominus dicitur Præfatio de Aſcenſione, non item ejuſdem *Communicantes*: Rubr. Miſſ. videri poteſt Caval. *to.* 5. *c.* 14. *n.* 16. & 17.

13 In hac feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, ſi occurrat feſtum novem Lectionum, facienda eſt in Miſſa commemoratio hujus diei; niſi feſtum fuerit ex ſolemnioribus juxta Rubricas. ex Decr. S.C.R. 4. Apr. 1705. in Lycien apud Merat. *ind. Decr. Miſſ. n.* 594. hoc eſt niſi occurrat feſtum duplex 1. aut 2. cl. quod reſpuit commemorationem diei infra Octavam ex rubricis gener. & a fortiori commemorationem hujus diei, quæ, rigoroſe loquendo, non eſt infra Octavam, ut notavimus ſect. præced.

Si occurrat feſtum ſemiduplex, 2. or. de feria, ut in Dom. infra Oct. Aſcenſ. 3. or. de B.V. *Concede nos*. niſi occurrat etiam ſimplex, tunc enim de eo erit 3. or.

ARTICULUS V.

Not. in Sabbato poſt Oct. Aſcenſionis; Vigilia Pentecoſtes.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS VII.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Officiis, ſeu Functionibus Sabbati in Vigilia Pentecoſtes.*
Sect. III. *De Miſſa.*
Sect. IV. *De Reſidentia Epiſcoporum.*
Sect. V. *De Indulgentiis.*
Sect. VI. *De Jejunio.*
Sect. VII. *De Bened. menſæ, & gratiarum actione.*

SECTIO I.

De Hor. Canonicis.

Duplex quodcumque, etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem 1. cl. occurrens in Vigilia Pentecoſtes, transfertur poſt feſtum Trinitatis, hoc eſt poſt Dominicam primam Pentecoſtes. Rubr. Brev. hic, & Rubr. gen. Brev. tit. 10. n. 1. & in not. poſt tabell. occurſ. in Brev.

A Vigilia Pentec. incluſive uſque ad feſtum Trinitatis incluſive excluduntur Octavæ, & quæ cœptæ fuerant, abrumpuntur. ex Rub. gen. Brev. tit. 7. n. 1. Caval. *to.* 2. *c.* 19. *n.* 10. Merat. *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 17. *n.* 4. *fine*; unde in Laud. hujus Vigil. non eſt 1

fa-

facienda comm. Octavæ. Sicut in honorem Adventus Spiritus Sancti omnes dies a Vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum SS. Trinitatis adeo privilegiati extitere, ut feſtum etiam 1. cl. depellant; ſic Octavas datum eſt illis reſpuere, ut ita mens noſtra tota feratur in contemplationem tanti Myſterii, neque ab occurrenti commemoratione Octavæ alterius feſti ad aliena parumper diſtrahatur. Caval. l. cit. n. 7. quod intelligo: ſine urgenti convenientia: ex qua admittitur commemoratio Sancti de rit. ſimpl. ut ſtatim dicemus. Hodiernæ Vigiliæ prædictum etiam conceditur privilegium, quæ nedum, ut communiter cæteræ, tamquam proxima præparatio ad ſuum ſpectat feſtum, ſed peculiari quadam ratione, ob quam præ cæteris, contra quodcumque feſtum illam noſcimus privilegiatam, & inſuper in Officio Evangelium, & in Miſſa, quæ ad idem ſpectant feſtum, uſurpari. Caval. n. 10.

15 Itaque hodie fit Officium de Vigilia Pentec. ſemid. *Rubr. gen. Brev. tit. 6. n. 5.* Omnia ſicut heri præter lect. propr. hoc eſt: Officium fit ſicut infra Octavam Aſcenſionis, exceptis lectionibus, quæ habentur propriæ, & ℟. VIII. Item exceptis Capit. Antiph. ad *Benedictus*, & Oratione, quæ dicuntur de præced. Dominica infra Octavam Aſcenſ. dicitur *Te Deum*, & non recitantur Preces. *Rubr. gen. Brev. tit. 34. n. 2. & 3.* nec fit commemoratio de Cruce. Merat. *to. 2. ſect. 6. c. 17. n. 6.*

Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio in Officio; cum ejuſdem nona Lectione, ſi propriam habeat in Breviario. *Rubr. Brev. poſt Offic. Aſcenſ.* Quamvis non fiet de eo commemoratio in Miſſa, ut ſuo loco notabimus. Excluſa commemoratione Octavæ, ſi occurrat, ut ſupradictum eſt: permittitur autem commemoratio feſti ſimplicis in Laud. Vigil. quia alias de eo nihil fieret: ait Caval. *cit. c. 19. ind. 5. n. 8.* & licet id contingat in feſtis dupl. 1. cl. tamen hodiernæ Vigiliæ ſolemnitas non adeo plena eſt, ut in omnibus æquiparari debeat feſtis 1. cl. confer dicenda n. 21. In Martyrologio primo loco moneatur *Dies Pentecoſtes*.

Veſp. de ſequenti feſto Pentecoſtes dupl. 1. cl. ut in propr. Ad primos quatuor verſus hymni *Veni Creator*, genuflecti conſuevit in Choro. Vid. Merat. *to. 2. ſect. 6. c. 17. n. 6.* & *c. 18. n. un.* Hymnus Completorii terminatur ſicut prædictus hymnus *Veni Creator*: videlicet *Deo Patri ſit Gloria, & filio, qui a mortuis ſurrexit &c.*

Ad Officium Sabbati hujus, ſeu ad horas Canonicas uſque ad Nonam incluſive adhibetur color albus. *Rub. gen. Miſſ. tit. 18. n. 2.* Merat. cit. n. 6.

SECTIO II.

De Officiis, ſeu Functionibus Sabbati in Vigilia Pentecoſtes.

DICTA Nona, Sacerdos, & Miniſtri induti Paramentis violacei coloris, (Diaconus, & Subdiaconus utuntur Planetis plicatis ante pectus in hac Vigilia ante Miſſam, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis; in minoribus autem Eccleſiis Alba tantum amicti miniſtrant; Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum ſtola ab humero ſiniſtro pendente ad dextrum. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 19. n. 6. & 7.*) accedunt ad altare, & facta reverentia, Sacerdos illud oſculatur in medio. Deinde le- 16

denarii accipere meruerunt, & nos etiam expectantes, ob eamdem obſervationem, denarium vitæ percipiemus æternæ. Hæc Durandus. Conſonat B. Ivo Carnotenſis Epiſc. *ſerm. de Pentecoſte* dicens: *Hinc eſt etiam, quod decimo die poſt Aſcenſionem Domini miſſus eſt idem Spiritus Sanctus, quia in mercedem denarius promittitur Operariis, perſeveranter in vinea Domini laborantibus*.

SECTIO II.

De Miſſa.

12 FERIA VI. poſt Octavam Aſcenſionis, ſi non fuerit feſtum duplex, vel ſemiduplex, Miſſa dicitur de Dominica præterita: 2. or. de S. Maria: *Concede nos famulos tuos*, & 3. *Eccleſiæ*, vel pro Papa. *Deus omnium fidelium*. De ſimplici fit tantum commemoratio; & non dicitur *Credo*; quia, inquit Caval. *to.* 5. *c.* 12. *n.* 12. (alias per errorem 13.) ex vi Rubricæ dicendum eſt in feſto, & per octavam; hæc autem abſoluta eſt in præcedenti Feria V. Nihilominus dicitur Præfatio de Aſcenſione, non item ejuſdem *Communicantes*: Rubr. Miſſ. videri poteſt Caval. *to.* 5. *c.* 14. *n.* 16. & 17.

13 In hac feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, ſi occurrat feſtum novem Lectionum, facienda eſt in Miſſa commemoratio hujus diei; niſi feſtum fuerit ex ſolemnioribus juxta Rubricas. ex Decr. S.C.R. 4. Apr. 1705. in Lycien apud Merat. *ind. Decr. Miſſ. n.* 594. hoc eſt niſi occurrat feſtum duplex 1. aut 2. cl. quod reſpuit commemorationem diei infra Octavam ex rubricis gener. & a fortiori commemorationem hujus diei, quæ, rigoroſe loquendo, non eſt infra Octavam, ut notavimus ſect. præced.

Si occurrat feſtum ſemiduplex, 2. or. de feria, ut in Dom. infra Oct. Aſcenſ. 3. or. de B.V. *Concede nos*. niſi occurrat etiam ſimplex, tunc enim de eo erit 3. or.

ARTICULUS V.

Not. in Sabbato poſt Oct. Aſcenſionis; Vigilia Pentecoſtes.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS VII.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Officiis, ſeu Functionibus Sabbati in Vigilia Pentecoſtes*.
Sect. III. *De Miſſa*.
Sect. IV. *De Reſidentia Epiſcoporum*.
Sect. V. *De Indulgentiis*.
Sect. VI. *De Jejunio*.
Sect. VII. *De Bened. menſæ, & gratiarum actione*.

SECTIO I.

De Hor. Canonicis.

DUPLEX quodcumque, etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem 1. cl. occurrens in Vigilia Pentecoſtes, transfertur poſt feſtum Trinitatis, hoc eſt poſt Dominicam primam Pentecoſtes. Rubr. Brev. hic, & Rubr. gen. Brev. tit. 10. n. 1. & in not. poſt tabell. occurſ. in Brev.

14 A Vigilia Pentec. incluſive uſque ad feſtum Trinitatis incluſive excluduntur Octavæ, & quæ cœptæ fuerant, abrumpuntur. ex Rub. gen. Brev. tit. 7. n. 1. Caval. *to.* 2. *c.* 19. *n.* 10. Merat. *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 17. *n.* 4. *fine*; unde in Laud. hujus Vigil. non eſt fa-

Digitized by Google

facienda comm. Octavæ. Sicut in honorem Adventus Spiritus Sancti omnes dies à Vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum SS. Trinitatis adeo privilegiati extitere, ut feſtum etiam 1. cl. depellant; ſic Octavas datum eſt illis reſpuere, ut ita mens noſtra tota feratur in contemplationem tanti Myſterii, neque ab occurrenti commemoratione Octavæ alterius feſti ad aliena parumper diſtrahatur. Caval. l. cit. n. 7. quod intelligo: ſine urgenti convenientia: ex qua admittitur commemoratio Sancti de rit. ſimpl. ut ſtatim dicemus. Hodiernæ Vigiliæ prædictum etiam conceditur privilegium, quæ nedum, ut communiter cæteræ, tamquam proxima præparatio ad ſuum ſpectat feſtum, ſed peculiari quadam ratione, ob quam præ cæteris, contra quodcumque feſtum illam noſcimus privilegiatam, & inſuper in Officio Evangelium, & in Miſſa, quæ ad idem ſpectant feſtum, uſurpari. Caval. n. 10.

15 Itaque hodie fit Officium de Vigilia Pentec. ſemid. *Rubr. gen. Brev. tit. 6. n.* 5. Omnia ſicut heri præter lect. propr. hoc eſt: Officium fit ſicut infra Octavam Aſcenſionis, exceptis lectionibus, quæ habentur propriæ, & ℞. VIII. Item exceptis Capit. Antiph. ad *Benedictus*, & Oratione, quæ dicuntur de præced. Dominica infra Octavam Aſcenſ. dicitur *Te Deum*, & non recitantur Preces. *Rubr. gen. Brev. tit.* 34. *n.* 2. *&* 3. nec fit commemoratio de Cruce. Merat. *to.* 2 *ſect.* 6. *c.* 17. *n.* 6.

Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio in Officio; cum ejuſdem nona Lectione, ſi propriam habeat in Breviario. *Rubr. Brev. poſt Offic. Aſcenſ.* Quamvis non fiet de eo commemoratio in Miſſa, ut ſuo loco notabimus. Excluſa commemoratione Octavæ, ſi occurrat, ut ſupradictum eſt: permittitur autem commemoratio feſti ſimplicis in Laud. Vigil. quia alias de eo nihil fieret: ait Caval. *cit. c.* 19. *ind.* 5. *n.* 8. & licet id contingat in feſtis dupl. 1. cl. tamen hodiernæ Vigiliæ ſolemnitas non adeo plena eſt, ut in omnibus æquiparari debeat feſtis 1. cl. confer dicenda n. 21. In Martyrologio primo loco moneatur *Dies Pentecoſtes*.

Veſp. de ſequenti feſto Pentecoſtes dupl. 1. cl. ut in propr. Ad primos quatuor verſus hymni *Veni Creator*, genuflecti conſuevit in Choro. Vid. Merat. *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 17. *n.* 6. & *c.* 18. n. un. Hymnus Completorii terminatur ſicut prædictus hymnus *Veni Creator*: videlicet *Deo Patri ſit Gloria*, *& filio*, *qui a mortuis ſurrexit &c.*

Ad Officium Sabbati hujus, ſeu ad horas Canonicas uſque ad Nonam incluſive adhibetur color albus. *Rub. gen. Miſſ. tit.* 18. *n.* 2. Merat. cit. n. 6.

S E C T I O II.

De Officiis, ſeu Functionibus Sabbati in Vigilia Pentecoſtes.

Dicta Nona, Sacerdos, & Miniſtri induti Paramentis violacei coloris, (Diaconus, & Subdiaconus utuntur Planetis plicatis ante pectus in hac Vigilia ante Miſſam, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis; in minoribus autem Eccleſiis Alba tantum amicti miniſtrant; Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum ſtola ab humero ſiniſtro pendente ad dextrum. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 19. *n.* 6. *&* 7.) accedunt ad altare, & facta reverentia, Sacerdos illud oſculatur in medio. Deinde le- 16

guntur Prophetiæ ſine titulo, candelis altaris extinctis uſque ad principium Miſſæ, ſicut in Sabbato Sancto ante Dom. Reſur. Sacerdos legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ. In fine Prophetiarum dicuntur orationes ſine *flectamus genua*. Rubr. Miſſ. hic.

Pro his Prophetiis, ſeu lectionibus videri omnino debent ea, quæ de lectionibus Sabbati Sancti agentes, diximus ibi ſubſ. 3. §. 5. ſolum hic notamus, ad Orationes hodie non dici: *flectamus genua*: etſi dictum fuerit in Sabbato Sancto; quia genua nunc minime flectenda ſunt ad Orationem, cum ſit tempus Paſchale: recole dicta hoc lib. 5. par. 2. c. 3. a n. 2. exceptis Litaniis ob ſpecialem rationem aſſignatam tr. 1. 25. Apr. art. 4. ſect. 5. ſubſ. 1. initio. Lectiones vero recitantur tantummodo ſex ex illis duodecim, quæ lectæ fuerunt in Sabbato Sancto, & leguntur etiam ordine variato, ut in Miſſali diſponitur. Poſt ſecundam, & tertiam Lectionem reſpondendum non eſſe *Deo gratias*: ne interrumpatur ſenſus inter Lectionem, & ſibi cohærentem Tractum: opinatur Bauldry, cui non contradicit Meratus *tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 6. *n.* 1.

Expoſitio autem myſtica pro his lectionibus, & pro aliis partibus ad Officium Eccleſiaſticum hodiernum, ſeu Eccleſiaſticas functiones Vigiliæ hujus, quæ partes prædictis lectionibus adnectuntur, facile peti valet ex iis, quæ diximus in Sab. Sancto loco cit. §. 6. & videri etiam poteſt Amal. *de Eccl. Off. l.* 1. *c.* 38. Sicut enim illud Officium reſpicit Catechumenos baptizandos, & Chriſti Reſurrectionem; ita ſimiliter hodiernum Officium reſpicit eoſdem Catechumenos baptizandos, & Spiritus Sancti Miſſionem.

Porro ſicut in Sabbato Sancto l. cit. §. 7. *n.* 340. dictum eſt: Secundum Canonicam traditionem, ſolemne Baptiſma in duobus duntaxat Sabbatis celebratur, videlicet in hoc Sabbato, & in illo, quod eſt ante Dominicam Reſurrectionis. Unde ſicut in Sabbato Sancto, ſimiliter & in hoc Sabbato benedicitur aqua Fontis baptiſmalis, & celebratur baptiſmus, ſeu ſolemniter miniſtratur.

17 Supradictis igitur expletis, ſi Eccleſia habuerit Fontem baptiſmalem, Celebrans accipit Pluviale violaceum, & deſcendendo ad Fontem cantatur Tractus: *Sicut Cervus*, ut in Miſſali. Et dicta oratione ut ibidem; poſtea procedit Sacerdos ad benedictionem fontis. Pro hujuſmodi benedictione videri debent dicta in Sabb. Sancto cit. §. 7. Ad benedictionem Fontis accendendum eſſe Cereum Paſchale, notavimus in dicto Sab. S. Rub. 4. §. 1. n. 352. Pro expoſitione autem myſtica Cærem. bened. fontis videantur dicta in eodem Sab. Sanct. ſubſ. 3. §. 8. Abſoluta benedictione ſolemni Fontis baptiſmalis miniſtratur ſolemniter Baptiſmus: videantur, ſerventurque in ſimili, dicta in Sab. Sanct. ſupra cit. §. 7. *n.* 340. Solum hic exponimus rationes, ex quibus in hoc Sabbato Pentecoſtes celebratur Baptiſma. Itaque ex Jo. Beleth de Divin. Offic. c. 110. fine, & c. 131. fine, ex Durando in Ration. Divin. Offic. lib. 6. c. 106. n. 1. & Honor. in Gemma l. 3. c. 116. id fit primo. quia Spiritus Sanctus in Pentecoſte donatur nobis, per quem mundamur, & ſanctificamur. Profecto Baptiſmi regeneratio propria eſt Spiritus Sancti; Unde Dominus dixit: *Joannes quidem ba-*

baptizavit aqua , vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Act. 1. 5. Quod quidem in Pentecoſte adimpletum eſt: ut ſignificavit Joannes Baptiſta dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua ... ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Matth. 3. 11. Quæ ratio eſt etiam Ruperti de Divin. Offic. l. 10. c. 2. Secundo , quia ſicut in Pentecoſte Spiritus Sanctus deſcendit in Apoſtolos , quem deſcenſum Chriſtus appellavit baptiſmum , ut jam dictum eſt : ſic idem Spiritus Sanctus in baptiſmate deſcendit, licet inviſibiliter, in baptizatos. Tertio denique, quia Petrus in Pentecoſte tria circiter millia hominum baptizavit. Act. 2. 41.

18 Poſt benedictionem Fontis ; & ſi adminiſtratus fuit baptiſmus , poſt baptiſmi adminiſtrationem , proceditur ad decantationem Litaniarum . Videnda hic ſunt , quæ in ſimili diximus eſſe præſtanda in Sab. Sancto ſupra cit. ſubſ. 3. §. 9. a n. 343. Ubi vero non fuerint Fontes, finita ſexta Prophetia, ſeu lectione cum ſua oratione , proceditur ad prædictam recitationem Litaniarum , & ſimiliter videantur , atque ſerventur dicta in Sab. S. l. cit. Tantummodo diverſus eſt ad Miſſam Color ſacrorum Paramentorum: adhibetur enim color rubeus, Rubr. gen. Miſſ. tit. 18. n. 3. ob rationem myſticam inferius explicandam.

SECTIO III.

De Miſſa.

AGITUR SUBSECTIONIBUS II.

Subſ. I. *De Miſſa Solemni*.
Subſ. II. *De Miſſa privata*.

SUBSECTIO I.

De Miſſa Solemni.

INTERIM dum Cantores cantant ſolemniter *Kyrie eleiſon* , Sacerdos cum Miniſtris in paramentis rubri coloris, (Miniſtri hic utuntur Dalmatica, & Tunicella. Rubr. gen. Miſſ. tit. 19. n. 5. & 6., quia ſolemnitatem indicant, & lætitiam, ut notavimus hoc tr. 2. l. 1. par. 1. c. 3. n. 15.) accedit ad Altare , & facit confeſſionem: deinde aſcendens , illud oſculatur, & incenſat more ſolito . Finitis *Kyrie eleiſon*, incipit ſolemniter *Gloria in excelſis Deo* , & Campanæ pulſantur. Rubr. Miſſ. hic. 19

Poſtea dicitur Oratio , & reliqua ut in Miſſali, quæ clara ſunt. Videri tamen deberet pro hac Miſſa ſolemni ea, quæ de Miſſa ſolemni Sabbati Sancti agentes diximus ibi ſubſc. 4. §. 1. & videantur item dicenda hic ſubſ. ſeq.

Licet in Vigiliis, quæ jejunantur, omnes in Miſſa ſolemni genuflectant in Choro , etiam ad Orationes &c. Vide Rubr. gen. Miſſ. tit. 17 n. 5. excipitur tamen Vigilia Pentecoſtes, (& quædam aliæ ſuis locis notatæ) Rubr. cit. ratione temporis Paſchalis. Vide dicta hoc l. 5. par. 1. c. 3. a num. 2.

§. UN.

Expoſitio myſtica Miſſæ ſolemnis Sabbati in Vigilia Pentecoſtes.

MISSA ſolemnis hujus Sabbati caret Introitu , ſicut & Miſſa Sabbati Sancti , his enim duobus diebus , ut in Sab. S. dictum eſt ex Scriptoribus de rit. Eccleſ. ibi laudatis ; ſervamus antiquum Eccleſiæ morem , qui fuit ante Papam 20

Cœ-

Cœleſtinum I. (veriſimiliu , ante Gregorium Magnum . Vide Bened. XIV. *de Sacr. Miſſ. l.* 2. *c.* 4. *n.* 2.) ſecundum quem Introitus in Miſſa non dicebatur , ſed a *Kyrie eleiſon* erat initium. Non ſine myſterio autem Eccleſia retinuit morem illum veterem in Miſſa Sabbati Sancti , & in Miſſa Sabbati hujus ; & quidem pro Sabbato Sancto aſſignavimus ibi l.cit. pro hoc Sabbato autem aſſignamus ex Dur. in Rat. lib. 6. c. 106. nu. 6. dicendo : id fieri , quia Eccleſia non habet adhuc Spiritum Sanctum , ſaltem in tanta plenitudine , in quanta expectat eum in craſtino. Porro Spiritus S. eſt principium omnis boni : ideo itaque hodierna Miſſa ſolemnis conſueto caret principio Miſſæ . Rationem quamdam minime myſticam ex Merato , & Bened. XIV. de eo quod Miſſa Sabbati Sancti careat Introitu , retulimus in Triduo ante Paſcha ; quæ intelligi poteſt etiam procedere de ſimili hodierna Miſſa ſolemni .

Dicitur *Gloria in excelſis* . Quod eſt conforme Apoſtolorum exemplo , qui hoc ipſo tempore , priuſquam Spiritum Sanctum acciperent , erant jugiter in Templo laudantes , & benedicentes Dominum . Rurſus quia eſt Canticum Angelorum , qui gaudent pro iis, qui hodie ſunt in baptiſmo renati . Dur. l. cit. n. 7. & quia baptizatis gloria amiſſa redditur. Honorius in Gemma l. 1. cap. 115. In Epiſtola ſit mentio de Baptiſmo , & de Spiritu Sancto : unde Neophytos reſpicit , & Miſſionem Spiritus Sancti . Poſt Lectionem dicitur unum *Alleluja* : & ℣. *Confitemini*, in gratiarum actionem pro baptizatis , quia ab omni peccato liberati ſunt. Dur. n. 8.

Sequitur *Tractus* propter baptizatos, ut moneantur quod multos tractus miſeriarum paſſuri ſint pro Chriſti nomine , ſi pie , & ſancte vixerint . Durand. nu. 9. juxta illud Apoſtoli : *& omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur* . 2. *ad Timoth.* 3. 12. Alleluja cum tractu miſcetur , ut ſignificetur , Spiritus Sanctus omnia efficere levia , & eſſe *in labore requies* , *in æſtu temperies* , *in fletu ſolatium* . Unde Neophyti animo non cadant, audientes , quod multa paſſuri ſint.

Evangelium eſt de promiſſione Spiritus Sancti . Ad illud luminaria non deferuntur, quia Spiritus Sanctus lumen cordium nondum venit , nec emiſit lucis ſuæ radium.

Credo non dicitur , quia ibi fit mentio de Spiritu Sancto, tamquam qui jam advenerit , & vivificaverit , & locutus fuerit . Nunc autem in figura illum expectamus , ut nos vivificet , & loquatur per Apoſtolos Domini , qui , ubi Spiritus Sanctus craſtina die ſupervenerit , tunc incipient loqui variis linguis magnalia Dei , prout Spiritus Sanctus dabit eloqui illis.

Dicitur Offertorium, quod manifeſte pertinet ad Spiritum Sanctum , & ejus miſſionem , & ad effectus adventus illius: *Emitte ſpiritum tuum , & creabuntur , & renovabis faciem terræ , ſit Gloria Domini in ſæcula . Alleluja* .

Denique hodie in Miſſa , & per Octavam Pentecoſtes uſque ad Sabbatum ſequens finita Nona, & Miſſa, adhibetur color paramentorum rubeus ex rubr. gen. Miſſ. tit. 18. n. 3. color autem rubeus in hoc feſto denotat Spiritus Sancti fervorem , qui ſuper Apoſtolos in igneis linguis apparuit ; Act. 2. & poteſtatis plenitudi-

dinem in igne ſignificatam, iiſdemq. Sanctis Apoſtolis donatam. Durand. *in Rat. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 4. *fine*. Gavant. *in rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 18. *n.* 3. *lit. e*.

SUBSECTIO II.

De Miſſa privata.

21 SABBATO in Vigilia Pentecoſtes Miſſa propria. In Miſſa privata dicitur Introitus, ut in Miſſali deſcribitur ad calcem hodiernæ Miſſæ. Dicitur *Gloria in excelſis*. Or. unica. Non dicitur *Credo*. Dicuntur Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, propria de Pentec. ob rationes, quæ videri poſſunt apud Caval. *to.* 5. *c.* 14. *nu.* 34. *&* 35. qui etiam *c.* 16. *n.* 33. monet, quod in *Communicantes* proprio Pentecoſtes legi debeat: *in igneis linguis:* non vero, *innumeris:* Juxta Miſſale Romanum impreſſionis Vaticanæ 1735. & 1742. & Rationale Rubei pag. 48. Oratio *Hanc igitur*: propria Pentecoſtes, & Octavæ dicenda eſt etiam ubi nullus ſit recens baptizatus. Confer dicta in Sab. Sancto. nu. 340. color param. rub. ut notavimus nu. 18. & 20. fine ob rationes ibi aſſignatas.

Miſſa Vigiliæ Pentecoſtes diſcordat ab Officio in Collecta, & colore paramentorum. Unicam orationem habet, ut imitetur ſolemnitates majores, inquit Gavantus *in rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 7. *nu.* 1. *& tit.* 9. *nu.* 8. cum pendeat ex benedictione fontis baptiſmalis; unde, ut notavimus ſect. 1. initio; numquam omittitur, cedentibus omnibus aliis feſtis etiam primæ claſſis. Profecto unica oratio ſolemnitatem denotat majorem, ut patet ex ritu dupl. 1. cl. qui utpote ſolemniſſimus reſpuit commemorationem ſimplicis. Itaque etiamſi hodie in Officio facta fuerit commemoratio ſimplicis occurrentis, nihil tamen de eo fit in Miſſa etiam privata. *rubr. gen. Miſſ. tit.* 7. *n.* 1. Ex quo arguit Caval. *tom.* 4. *c.* 7. *comment. in decr.* 35. *n.* 2. *fine* excludendas eſſe ab hac Miſſa Commemorationes quaslibet arbitrarias, vel de mandato; hoc ipſum docet Meratus to. 1. part. 4. tit. 11. nu. 17. Atta nen in Miſſa ſolemni, quæ celebraretur coram SS. Sacramento expoſito publice, faciendam eſſe commemorationem SS. Sacr. ſub unica conclusione cum oratione diei, docet ipſe Caval. *loc. cit. comment. in decr.* 38. *n.* 4. fine; omittendam vero in Miſſis privatis, in decr. 35. n. 2. fine. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 5. num. 22.

Licet ab omnibus Vigiliis, quæ jejunantur, excludatur *Alleluja*, non ſic autem ab hac Vigilia, ſicut nec a Vigilia Paſchæ, & Vigilia Nativitatis Domini, ſi venerit in Dominica. *rubr. gen. Miſſ. tit.* 10. *nu.* 4. Nimirum ad indicandam feſtivam ſolemnitatem.

In diebus, in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, prohibentur Miſſæ votivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Aug. 1627. *in una Urbis*. apud Caval. *to.* 3. *c.* 9. *d.* 2. Hinc habes, in Vigilia Pentec. prohiberi Miſſas votivas, & Defunctorum. Vid. Caval. *l. cit. num.* 2. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. *§.* 2. *n.* 498. *& qu.* 73. *§.* 1. *nu* 506. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. *lit. O.* Merat. ibi num. 11. & quo ad Miſſam votivam de B. V. adeſt etiam Decretum expreſſum apud Merat. *Ind. Dec.*

Decr. Miſſ. nu. 307. hujus tenoris: *Miſſa votiva de B. M. V. in Vigilia Pentecoſtes non poteſt dici*. S. R. C. 19. Aug. 1651. *in una Urbis*. Neque pro Anniverſario poteſt cantari Miſſa de Requiem. Vide dicenda in cit. Ap. c. 9. n. 9. An autem præſente Cadavere liceat una Miſſa ſolemnis de Requiem? Vid. in eadem A. pend. c. 8. n. 22.

An, & quale peccatum ſit non dicere Præfationem propriam; item *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria: & an ſi quis oblitus fuerit dicere propria, debeat ſupplere, ubi animadvertat errorem? Examinavimus in Dom. Reſurr. art. 3. q. 1. & 2.

Qu. Quare hodie dicatur in Miſſa privata Introitus, cum non dicatur in Miſſa ſolemni?

℞. In Miſſa ſolemni non dicitur Introitus ob myſterium, quod expoſuimus ſubſ. præced. nu. 20. Satis autem fuit, ad illud Myſterium indicandum, Introitum taceri in ſola Miſſa ſolemni, ad quam ſupponitur populus Chriſtianus aſſiſtere, qui in hujuſmodi Myſteriis inſtruendus eſt. Sed ratio illa phyſica, quæ a Merato, & Bened. XIV. aſſignatur de eo, quod omittatur Introitus in Miſſa ſolemni Sabbati Sancti, quamque nos retulimus ubi de triduo ante Paſcha nu. 46. eamque intelligi poſſe procedere etiam de ſimili hodierna Miſſa ſolemni, ſignificavimus hic cit. n. 20. Ratio, inquam, illa, indicare etiam poteſt ſufficientem cauſam, cur in Miſſa hodierna privata dicatur Introitus, licet omittatur in ſolemni.

SECTIO IV.

De Reſidentia Epiſcoporum.

TRIDENT. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform., indulget Epiſcopis, ex juſta cauſa abeſſe a propriis Diœceſibus per trimeſtre ſive continue, ſive interrupte intra annum; eoſque ſimul admonet, ne per illius temporis ſpatium, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes &c. diebus, ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abſint; niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis, eos detineant. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 11. 24

SECTIO V.

De Indulgentiis.

IN Vigilia Pentecoſtes poſſunt acquiri Indulgentiæ Stationum. Habetur autem hodierna *Statio ad Sanctum Joannem in Laterano*. De Stationibus egimus hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101. 25

SECTIO VI.

De Jejunio.

IN Vigilia Pentecoſtes eſt jejunium univerſale obligans ſub gravi, ſive ex præcepto Eccleſiæ, ſive ex mera conſuetudine Populi Chriſtiani, quæ eſt pro lege habenda in hujuſmodi rebus, & materiis, & omnino ſequenda, ut monet Hieronymus in Epiſtola ad Lucinium, & docet Auguſtinus epiſt. 86. quem laudat D. Th. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad* 3. Unde Gloſſa *C. Noſſe* 9. *diſt.* 76. docet, in Vi- 26

Vigilia Pentecoſtes neceſſario jejunandum eſſe.

Cujus jejunii rationem aſſignat Durandus *in Ration. Offic. lib. 6. c. 7. n. 17.* ubi inquit: in Vigilia Pentecoſtes bene jejunandum eſſe, ut per jejunium mundati, & purificati Spiritum Sanctum digne ſuſcipere mereamur. Quidam apud Iſidorum *de Eccl. Offic lib. 1. c. 37.* & apud Durandum *l. cit. n. 16.* fine; volebant, indicendum eſſe jejunium ab Aſcenſione uſque ad Pentecoſten, atque affirmabant, Apoſtolos ſic jejunaſſe. Sed nulla id Scriptura authentica confirmabant, & inſuper oppoſitum decrevere Concilia inferius laudanda Italiæ, & Galliæ, in quibus, uti dicemus, agitata eſt quæſtio de jejuniis, quæ plerique fidelium inter Aſcenſionem Salvatoris, & Pentecoſten obſervabant; atque decretum eſt, ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato in Vigilia Pentecoſtes.

An autem hoc jejunium Vigiliæ Pentecoſtes ſit ex præcepto juris communis, vel ex mera conſuetudine; Angel. V. *Jejunium* nu. 7. ad finem ait: *verius videtur, ex neceſſitate præcepti tale jejunium eſſe ſervandum*. Ita ille. Sed Gratianus C. *Jejunium* 7. diſt. 76. §. *Non autem*: dicens: quod a die Dominicæ Reſurrectionis uſque ad diem Pentecoſtes non indicuntur obſervanda jejunia: ſignificat his verbis, ut notat Azor. *inſtit. moral. par. 1. l. 7. c. 13. qu. 2.* & Fagund. *in 4. præc. Eccl. lib. 1. cap. 5. num. 9.* in pervigilio Pentecoſtes jejunium non eſſe jure communi ſancitum. Ejuſdem ſententiæ, ut obſervat idem Azor. & Fagund. videtur eſſe D. Thomas dicens l. cit. non eſſe jejunium ab Eccleſia inſtitutum toto Paſchali tempore. Gratianus itaque, & D. Thomas videntur velle, jejunium ſervari in Vigilia Pentecoſtes ſolum ex conſuetudine Populi Chriſtiani. Quod quidem affirmat Gloſſa in *C. Noſſe*, loco ſupra cit. Hujus ſententiæ eſt etiam Bellarminus *Controverſ. to. 4. controv. gener. 3. principal. ult. lib. 2. c. 23.* ubi poſtquam dixiſſet: quod, quamvis Patres aſſerant, tempore Paſchali non eſſe jejunandum, nihilominus per ſe, & ſimpliciter licet jejunare; quod nos fuſe probavimus hoc lib. 5. par. 1. c. 4. deinde ſubdit Bellarminus, & infert, non debere reprehendi conſuetudinem Eccleſiæ univerſæ, quæ in Vigilia Pentecoſtes jejunat. Ex quo ſignificat, prædictum jejunium eſſe ex mera conſuetudine Populi Chriſtiani. Eamdem ſententiam docet Sylveſt. V. *jejunium qu. 1. n. 5.* & poſt Sylveſtrum, & Cajetanum amplectitur Azorius *l. cit. fin.* ubi ait: *In hac controverſia dicendum, exiſtimo, in pervigilio Pentecoſtes jure communi non eſſe jejunium inſtitutum; generali tamen Eccleſiæ Latinæ conſuetudine, quæ legis, & præcepti vim habet, eo die ſervari jejunium debet*. Jejunium in Vigilia Pentecoſtes ſervari ex conſuetudine, tenet etiam cum aliis Diana *edit. coord. to. 4. tr. 6. R. 38. §. 2.* Item Leſſius *de juſtit. lib. 4. c. 2. dubit. 9. n. 66. fin.* Filliuc. *to. 2. tract. 27. part. 2. c. 5. qu. 10.* Fagund. *in 4. præc. Eccl. l. 1. c. 5. n. 9.* Hæc autem conſuetudo antiquiſſima eſt, eamque obligare ſub gravi, habes ex dictis, & ex Auctoribus laudatis, & patet, quia materia eſt gravis, & in ſimilibus ſolet obligare ſub gravi.

Conſuetudinem vero eſſe antiquiſſimam, colligimus ex antiquiſſimis teſtimoniis, quæ de hoc jejunio mentionem faciunt, quorum nonnulla, quæ

quæ mihi hanc quæſtionem examinanti, & de ea apud magnæ notæ Scriptores inquirenti oblata ſunt, proferam. Et primo apud Glaberum *lib.* 7. *c.* 3. teſte Raynaudo *to.* 6. *tract. de* 1. *Miſ. ſect.* 1. *c.* 17. refertur, in variis Italiæ, & Galliæ Synodis an. 1004. agitatam eſſe, ut ſupra innuimus, quæſtionem *de jejuniis, quæ plerique fidelium inter Aſcenſionem Salvatoris, & Pentecoſten obſervant; itaque Decretum, ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſtes*. Antiquiora anno 1004. prædicto ſunt ſequentia teſtimonia. Nimirum jejunii in Vigilia Pentecoſtes meminit Ordo Romanus, ubi deſcribit Officium Vigiliæ Pentecoſtes. Ordinem autem Romanum antiquiſſimum eſſe, vel ex eo percipi poteſt, quod ab Amalario paſſim citetur: ut notavit Bellarm. l. laudato. Porro Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis floruit initio Sæculi IX., tempore Gregorii IV. Summi Pontificis, ac Ludovici Pii Imperatoris. Adhuc antiquius eſt teſtimonium Maximi Taurinenſis, qui homilia 1. de Pentecoſte, verbis die ſequenti laudandis n. 8. jejunium in Vigilia Pentecoſtes in Eccleſia ſua ſervatum memorat. S. Maximus autem Epiſcopus Taurinenſis floruit in quinto Sæculo, & obiit ſub Honorio, & Theodoſio juniore Imperatoribus, & illum Bellarminus in libro de Script. Eccl. ponit an. 420. Merito autem ex his infert Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 11. *n.* 6. fine: oportere mirari Paſqualis Quiſnellii oſcitantiam, qui differt. 7. de jejunio Sabbati in Eccleſia Romana, non dubitavit aſſerere: ante Sæculum duodecimum jejunium Vigiliæ Pentecoſtes non fuiſſe in Eccleſia cuſtoditum. Eſt ergo, ut dicebamus, antiquiſſimum jejunium Vigiliæ Pentecoſtes, & jam in Eccleſia univerſali receptum, & ſub gravi ſervandum, ut ſuperius aſſeruimus, atque probavimus.

Obj. Gratianus in C. *Jejunium* 7. 29
diſt. 76. §. *Non autem*; aſſerit, quod a die Dominicæ Reſurrectionis uſque ad diem Pentecoſtes non indicuntur obſervanda jejunia; & in ſequenti C. *Scire debet*. §. *Neceſſario*, ait: *Neceſſario ergo Eccleſia inſtituit, ut poſt diem Pentecoſtes jejunia celebrentur. Sed quod in illis quinquaginta diebus jejunandum eſſe, negatur, ex obſervantiæ neceſſitate intelligitur*. Ergo in Vigilia Pentecoſtes non eſt obligatio ſaltem gravis jejunandi. Et ita ſentiunt etiam Grana, & Paſqualigus apud Dianam l. ſupracit. §. 1.

℞. Omiſſo antecedenti; Nego conſequentiam. Nonnulli quidem putant, Gratianum, docuiſſe ſive ſignificaſſe: Jejunium Vigiliæ Pentecoſtes eſſe tantum de conſilio. Ita Sylveſt. V. *Jejunium qu.* 1. *n.* 5., & Filliuc. *to.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *c.* 5. *qu.* 10. *n.* 101. qui tamen illum excuſat, dicendo, quod forte eo tempore nondum conſuetudo præceptum induxerat ut hoc tempore.

Verum dici poteſt, ibi tantum velle; & contendere Gratianum, tempore Paſchali non eſſe jejunium ſervandum ex præcepto univerſali Eccleſiæ in jure communi expreſſo; ut ex Azor. & Fagund. ſupra notavimus. Ex quo ſolum inferri poteſt, Gratianum exiſtimaſſe, ut initio notavimus, jejunium Vigiliæ Pentecoſtes non eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ; quod ultro concedimus, & ſupra inſinuavimus: non autem quod nullo modo ſit obligatio jejunandi; cum hæc ſi non ex inſtitutione Eccleſiæ,

atta-

Digitized by Google

attamen aliunde potuerit accedere; Nimirum ex conſuetudine univerſali Populi Chriſtiani, ut de facto eam acceſſiſſe contendimus, & oſtendimus, quamque tenendam, & ſub gravi ſervandam eſſe ſupra docuimus, atque probavimus. In eodem prædicto ſenſu intelligendum eſſe D. Thomam, ubi dicit, non eſſe jejunium inſtitutum toto Paſchali tempore: initio docuimus ex iiſdem Azorio, & Fagundez.

Ad auctoritatem Granæ, & Paſqualigi, & aliorum, quotquot fortaſſe afferri poſſint in contrarium: dico, illos non eſſe audiendos, ut patet ex dictis. Unde recte Diana loco cit. §. 2. horum opinionem rejicit, & reprehendit, utpote contra communem ſententiam Doctorum, & contra praxim, & conſuetudinem totius Eccleſiæ. Poterit tamen alicubi adeſſe contraria legitima conſuetudo non jejunandi in hac Vigilia. Vid. Caval. *to. 2. c. 15. n. 7.*

28 Qu. Utrum in hoc jejunio ob lætitiam Pentecoſtes liceat ſumere collationem duplo majorem ut in Vigilia Nativitatis Dominicæ?

℟. Negative, quia conſuetudo huic jejunio minime favet. Vide dicta in Sabbato Sancto ſubſ. 6. ubi de jejunio illius diei.

SECTIO VII.

De Benedictione Menſæ, & Gratiarum actione.

IN Pentecoſte ab hac Vigilia ejuſdem incluſive uſque ad Cœnam ſequentis Sabbati excluſive, ad benedicendam menſam, poſt *Benedicite* dicitur ℣. *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum. Alleluja.* ℟. *Et hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Alleluja. Gloria Patri &c.* & alia de more. 29

In fine Menſæ dicitur ℣. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Alleluja.* ℟. *Excœperunt loqui. Alleluja. Gloria Patri &c.* Et alia de more, ſed dicitur Pſalmus *Magnus Dominus*, vel *Laudate Dominum omnes Gentes*. Rub. Breviar.

Anticipatur autem formula propria feſti Pentecoſtes ab hac Vigilia, quia, ut notat Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 9. c. 6. n. 10.* Miſſa Vigiliæ habet omnia, quæ ſunt propria feſti Pentecoſtes. Porro hanc Vigiliam peculiari quadam ratione præ cæteris Vigiliis ad ſuum ſpectare feſtum, ſignificavimus ſect. 1.

illud ſit, etiam Patroni principalis &c. illius Officium transfertur poſt Octavam, ſeu poſt feſtum Trinitatis. *Rubr. Brev. Sab. in Vigil. Pentec. & in Dom. Pentecoſt. & in Rubr. gener. tit. 7. num. 3. & tit. 9. n. 3. & tit. 16. num. 1.*

Infra Octavam Pentec. fit Officium ſicut in die, exceptis ℣. ad Nocturnum, Lectionibus, ℟℟. Antiphonis ad Benedict. & ad Magnific. & Orat. *Rubr. Brev. in die Pentec.* Ad Matutinum dicuntur tres Pſalmi cum ſuis Antiphonis, tres lectiones ſuper Evang. poſt tertiam Lectionem dicitur *Te Deum*. Verſus, & Reſponſoria quotidie propria, Antiphonæ etiam ad Benedic. & ad Magnif. ut jam notavimus: Hymni per totam Octavam terminantur ſicut hymnus *Veni Creator*: *Deo Patri ſit Gloria, & Filio, qui a mortuis &c.* Ad Primam in ℟. br. *Qui ſedes ad dexteram Patris*. Ad Tertiam dicitur hymnus *Veni Creator*, loco hymni *Nunc Sancte nobis*; & ad quatuor primos verſus genuflecti conſuevit in Choro. Ad Veſperas dicuntur Pſalmi de Dominica cum Antiphonis de Laudibus feſti Pentec. Sic dicitur Officium infra Octavam Pentec. uſque ad Nonam Sabbati. *Rubr. gener. Brev. tit. 7. n.* 2. qua die, & hora terminat tempus Paſchale, finita Miſſa Conventuali, in ſenſu explicando in Sabbato poſt Dom. Pentec. n. 10.

Hujuſmodi Officium, ſeu Matutinum Pentecoſtes non poſſe recitari, extra ejuſdem Octavam, videlicet non poſſe recitari pro Officio Ritus ordinarii: docuimus in Domin. Palmar. n. 64.

2 Qu. hic: quare in feſto Pentecoſtes, & per Octavam ad Matutinum dicatur unicum Nocturnum, cum tribus tantum Pſalmis, Antiphonis tribus, & totidem lectionibus, quemadmodum ad Matutinum Paſchæ Reſurr.

℟. Ex Durando *in Ration. Divin. Officior. lib. 6. c.* 107. *n.* 3: & 4. id fit; ad notandum, unum eſſe opus totius Sanctæ Trinitatis in potentia miraculorum. Item, propter Sacramentum Baptiſmi in trium Perſonarum nomine celebrati in hac ſolemnitate; vel ob triduanam Domini ſepulturam, cui ſumus in Baptiſmo conſepulti. Rurſus, ideo tres Pſalmi cum tribus Antiphonis dicuntur, quia Spiritus Sanctus tria circa Apoſtolos eſt operatus; nam veteres innovavit, innovatos confirmavit, & confirmatos ad alios convertendos miſit. Ad Primum pertinet, quod dicitur in prima Antiphona *factus eſt repente de Cœlo ſonus*. Ad ſecundum, quod dicitur in ſecunda Antiphona: *Confirma hoc Deus*. Ad tertium, quod dicitur in tertia Antiphona: *Emitte Spiritum tuum*. Eorum etenim miniſterio docti ſunt alii, & Spiritu Sancto interius renati. Hæc Durandus. Videri etiam poteſt Amalarius *de Eccl. Offic. l.* 4. *c.* 27. Quædam inſuper ex rationibus illis, quas aſſignavimus pro ſimili brevitate Matutini Paſchæ Reſurrectionis, huc poſſunt aptari: vide dicta hoc lib. 5. parte 1. partis 2. c. 1. n. 2.

CAPUT II.

De Miſſa.

INFRA Octavam Pentecoſtes non dicitur Miſſa de aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, ſed poſt Octavam celebratur. Miſſa quotidie propria, dicitur *Gloria*, Sequentia, *Credo*. Rubgen. 1

gen. Miſſ. tit. 11. Item Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria. Cum Celebrans dicit: *Veni Sancte Spiritus, reple &c.*, flectit unicum genu. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 17. *nu.* 1. dum autem genuflectit, innititur Altari, utraque manu hinc, & inde extenſa, ita ut liber mediet. At Celebrans in Miſſa ſolemni flectit utrumque genu uſque ad finem verſus prædicti, dum cantatur a Choro. *Rubr. cit. n.* 3.

2 *In diebus, in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, probibentur Miſſæ votivæ, & de Requiem*. S. R. C. 28. Aug. 1627. in *una Urbis*. Apud Caval. *to.* 3. *c.* 9. *d.* 2. Hinc habes, infra Octavam Pentec. prohiberi Miſſas Votivas, & Defunctorum. Vide Caval. *l. cit. n.* 2. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. §. 2. *n.* 498. & *qu.* 75. §. 1. *n.* 506. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. *lit.* O. Merat. ibi n. 11. Infra Octavam Pentec. neque pro Anniverſario, vel diebus 3. 7. 30. poteſt cantari Miſſa de Requiem; vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii lib. 4. c. 9. n. 10. Præſente autem Cadavere, excepta Dominica Pentecoſtes, in ſequentibus feriis, licita eſt unica Miſſa ſolemnis de *Requiem*. Vide dicenda in cit. Appendice c. 8. n. 22. Sacrorum Rituum Congregatio interrogata: utrum in Cathedrali Vilnenſi, cum multæ adeſſent fundatæ Miſſæ Votivæ quotidianæ in cantu, hæ eſſent prohibitæ, quando per Rubricas Miſſalis, ac Decreta Sacræ Congregationis prohibentur Miſſæ Votivæ privatæ: videlicet per Octavas Pentecoſtes, & SS. Corporis Chriſti &c. *Reſpondit affirmative, & pro Votivis ſubſtituendas Miſſas de feſto in cantu: vel, ex rationabili cauſa ab Ordinario dignoſcenda, & approbanda Miſſas de feſto lectas; & ſic ſatisfieri poſſe fundationi*. 22. *Decembr.* 1753. *in Vilnen. ad* 6. 7. & 8. *dub. apud Caval.* to. 5. in Collect. recentior. decretor. *Si autem urgente cauſa celebranda ſit Miſſa Votiva ſolemnis*: quid in ea fieri debeat? Notavimus hoc lib. quinto in 1. par. partis 2. c. 2. n. 2. Utrum infra Octavam Pentec. liceat celebrare in Oratorio privato? Intelliges ex dictis tr. 1. lib. 3. 6. Januar. n. 39. & 40.

Infra Octavam Pentec. color Param. rub. uſque ad Sabbatum finita Nona, & Miſſam; uti notavimus in Vigilia Pentec. n. 20. fine, ob rationem myſticam ſignificatam ibidem. 3

CAPUT III.

De Jejunio.

LICET Octava faciat unum cum feſto, hoc tamen non intelligendum eſt quo ad omnia, puta, quo ad jejunium; unde ea, quæ de conſuetudine intermittendi jejunia tempore Paſchali, dicuntur, non pertinent ad ipſam Octavam Pentecoſtes; videantur dicta hoc lib. 5. par. 1. c. 4. n. 6.

CAPUT IV.

De Indulgentiis.

IN feſto Pentecoſtes, & per Octavam, ſeu a Dom. Pentec. uſque ad Sabbatum ſequens incluſive poſſunt acquiri Indulgentiæ Stationum. De Stationibus egimus hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101.

CAPUT V.

Not. pro Benedictione Menſæ, & gratiar. actione.

QUÆNAM formula ſit adhibenda infra Octavam Pentecoſtes ad benedicendam Menſam, & gratias agendas? dictum eſt in Vigilia Pentecoſtes ſect. 7.

PARS II.

PARTIS IV. LIBRI V.

NOT. IN GENERE.

IN TRIDUO PENTECOSTES, ET POST TRIDUUM INFRA OCTAVAM.

EXPLICANTUR CAPITIBUS II.

Cap. I. *Not. in Triduo Pentecoſtes in genere.*
Cap. II. *Not. poſt triduum Pentecoſtes infra Octavam in genere.*

CAPUT I.

Not. in Triduo Pentecoſtes in genere.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *Not. tempore Interdicti localis generalis.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 IN Triduo hebdomadæ Pentecoſt. ſcilicet in Dominica, & duobus immediate ſequentibus diebus Officium dupl. 1. cl. Rubr. gen. Brev. tit. 1. n. 1. & tit. 9. n. 5. & in duabus tabell. excerpt. ex Rubr. gen. Si occurrat feſtum ſimplex, nulla fit de eo Commemoratio. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. n. 3. & Rubr. partic. in die Pentec.* hoc ipſo quod Officium ſit dupl. 1. cl. juxta Rubr. gen. de commemorat.

SECTIO II.

De Miſſa.

DE ſimplici occurrenti in Triduo Pentec. nulla fit Commemoratio in Miſſa. In hoc Triduo dicitur unica Oratio. Utrum die ſecunda, ac tertia poſt Dominicam Pentec. liceat celebrare in Orat. priv. examinavimus tr. 1. lib. 3. 6. Januar. n. 40. 2

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto: excipitur tamen Dominica Pentec. cum duobus

bus ſequentibus diebus. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 6.* ſunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

4 Triduum Pentecoſtes eſt feſtivum de præcepto univerſali, Dominica videlicet Pentecoſtes, cum duobus proxime ſequentibus diebus; Vide dicenda in Dom. Pent. n. 10.

SECTIO III.

Not. tempore Interdicti localis generalis.

5 Cum ſecundum dicenda ubi de Dominica Pentecoſtes, tempore Interdicti generalis localis ſuſpendatur Interdictum quo ad divina Officia in feſto Pentec. An id poſſit extendi ad proxime ſequentes duos dies, videlicet ad totum Triduum Pentecoſtes? Vide in Dominica Reſurrect. art. 7. qu. 1.

CAPUT II.

Not. poſt Triduum Pentec. infr. Oct. in genere.

Explicantur Sectionibus II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

Post Triduum Pentec. infra Oct. ſi occurrat feſtum ſimplex, fit utique de eo Commemoratio tantum, ſine lectione, etiamſi forte habeat in Breviario.

SECTIO II.

De Miſſa.

Post Triduum Pentecoſtes infra Oct. ſi occurrat feſtum ſimplex, fit de eo Comm. in Miſſa.

Poſt Triduum Pentec. a feria ſcilicet IV. uſque ad Sabbatum ſequens incluſive, poſt Orationem diei dicitur Oratio *Eccleſiæ*; vel pro Papa. *Rubr. Miſſ. in fer. IV. poſt Dom. Pentec. & in Rubr. gen. tit. 9 n.* 8. Si autem occurrat Commemoratio ſimplicis, prædicta Oratio *Eccleſiæ*, vel pro Papa omittitur: duæ enim orationes tantum dicendæ ſunt. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part. 1. tit. 9. nu.* 8. S. R. C. pluries, ut in Decr. not. hoc lib. 5. par. 2. in ejus 2. par. c. 2. n. 2. Confer Meratum *to. 1. par. 4. tit. 7. n. 4.* Si tamen accidat eſſe præſcripta a Superioribus Collecta pro aliqua neceſſitate, hæc quidem recitanda eſt tertio loco; confer dicta lib. 4. par. 2. c. 6. ubi de temp. Paſſion. art. 2. n. 9.

PARS

PARS III.

PARTIS IV. LIBRI V.

NOTANDA

In Hebdomada Pentecostes. Singulis sigillatim diebus.

CAPUT I.

Not. in Dom. Pentecoſtes.

Explicantur Articulis VI.

Art. I. *De Inſtitutione, & obſervantia Pentec.*
Art. II. *De Hor. Canon.*
Art. III. *De Miſſa.*
Art. IV. *De FunctionibusPontificalibus.*
Art. V. *De Exequiis Defunctorum.*
Art. VI. *Not. tempore Interdicti localis generalis.*

ARTICULUS I.

De Inſtitutione, & Obſervantia Pentecoſtes.

1 Qu. I. Quid ſit Pentecoſte? ℞. Pentecoſte græca vox eſt, exprimens quinquagenarium numerum; & de diebus loquendo, ſignificat aut totos quinquaginta dies, aut ipſam diem quinquageſimam. In præſenti autem materia ponitur vel pro die quinquageſima poſt Paſcha Reſurrectionis, vel pro totis quinquaginta diebus ab eodem Paſchate profluentibus. Sic S. Epiphanius *in compend. expoſit. fid.* ait: neque genuflexiones fieri, neque jejunium eſſe ordinatum *Pentecoſte tota dierum quinquaginta*. Similiter S. Maximus *Homil. 3. de Pentec.* & Euſebius *lib. 4. de vita Conſtantini c. 64.* ubi ſic ait apud Raynaud. *tom. 6. Euch. de prima Miſſa ſect. 1. c. 16.* poſt medium . . . *maximam illam celebritatem* (loquitur de Pentecoſte:) *quæ ſeptem continuas hebdomadas omnibus honoribus decoratur &c.* & clarius idem Euſebius apud eumdem Raynaud. c. 19. prope initium, rurſus ait: *Poſt Paſcha per ſeptem integras ſeptimanas Pentecoſtem celebramus*. Similiter in Ordine Rom. *tit. de Oct. Pentec.* Tempus Paſchale vocatur tempus Pentecoſtes: & Honorius I. infra laudando ait: Pentecoſtem eſſe tempus fluens a Dom. Reſurrectionis ad Dom. Pentecoſtes. Videri etiam poteſt Amalar. *de Eccl. Offic. l. 1. c. 36.*, Benedictus XIV. *de feſt. Dom. cap. 11. §. 3. poſt initium*. Uſu tamen communiori, ac vulgari nomen Pentecoſtes ſumitur pro ſola ipſa die quinquageſima poſt Dominicam Reſurrectionis, ita ut Pentecoſte ſignificet nobis feſtum celebratum quinquageſima die poſt Paſcha Reſurrectionis.

Notandum hic, quod cum Pentecoſte interpretetur latine *Quinquageſima*: ita ut ſubintelligatur *dies*: hinc a nonnullis Pentecoſte dicta ſimpliciter fuit Quinquageſima. Vid. Jo: Beleth *de div. Offic.* 131. Azor. *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 7. cap. 16.*

Digitized by Google

7. Durand. *in Ration. l. 6. c. 27. n. 1. & c. 86. nu. 17.* S. Iſidor. Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Offic. l. 1. c. 33.* Raban. Maur. *Inſtit. Clericor. lib. 2. c. 41.* Valafrid. *de reb. Eccleſ. c. 25.* Jo. Caſſian. *l. 2. inſtit. c. 18.* Natal ab Alex. *Sæc. 2. diſſert. 4. art. 3. 3. prop. 1.* Unde Quinquageſimæ nomine uſi ſunt, ad ſignificandum ipſum feſtum Pentecoſtes; quod celebratur die quinquageſima poſt Paſcha. Invenitur etiam Quinquageſimæ nomen adhibitum ad ſignificandum totos quinquaginta dies, qui a Paſchate ad Pentecoſtem intercurrunt. Honorius autem *in Gem. l. 3. c. 136.* initio, & 147. fine ait: Pentecoſtem tempus fluens a Dominica Pentecoſtes; Quinquageſimam vero vocari tempus Paſchale; ſeu tempus quod fluit a Sabbato in Albis ad Sabbatum poſt Dominicam Pentecoſtes. Hoc autem ideo notare, & animadvertere oportet, ne, quæ de prædicto tempore ſcribentes dixerunt Auctores illi, dicta putes de illa Dominica, & hebdomada, quæ præcedit Quadrageſimam, & a nobis jam vocatur Quinquageſima, de qua loco ſuo diximus. Et ſic de Pentecoſte intelligendum eſt dictum illud Concilii Aurelianenſis I. c. 25. ubi præſcribitur, quod *Nulli Civium Paſchæ, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ*, (etſi aliquis legat Quadrageſimæ) *feſta liceat in Villa celebrare*. Item illud Concilii Turonenſis II. cap. 17. *De Paſcha uſque ad Quinquageſimam* (exceptis Rogationibus,) *omni die fratribus prandium præparetur. Poſt Quinquageſimam vero tota hebdomada exacte jejunent*: quibus locis Quinquageſimæ vox aperte deſignat diem Pentecoſtes: ut animadvertit Raynaud. l. cit. c. 5. paulo poſt init. De tempore autem, quod fluit a Paſchate ad Pentecoſtem, loquutus eſt S. Hilarius *prolog. in Pſalm. explanat.* ubi ait: *Hæc Sabbata, Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his Quinquageſimæ diebus nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque jejunio feſtivitatem ſpiritualis hujus beatitudinis impediret*. Quod quidem teſtimonium allegavimus hoc lib. 5. par. 1. c. 4. n. 1. Similiter Auguſtinus *tr. 17. in Joan.* ait: . . . *cum labore celebramus Quadrageſimam ante Paſcha: cum lætitia vero tamquam accepta mercede Quinquageſimam poſt Paſcha*. Quæ leguntur in lectione 2. feriæ VI. quatuor tempor. Quadrag.

3 Qu. II. Quodnam illud ſit feſtum in Pentecoſte celebrandum: ſeu in hac die quinquageſima poſt Paſcha?

℟. Nimirum celebranda ſolemnis memoria eſt promulgatæ nunc primum legis gratiæ, ut infra dicemus, & myſterium repræſentandum miſſi hodie a Deo Patre, & Filio Spiritus Sancti ad Apoſtolos, & multitudinem credentium, dum eſſent omnes pariter, & unanimiter in eodem loco, ſeu Cænaculo Sion, ſicut ipſis Chriſtus Dominus promiſerat, & narrat Lucas Act. 2. Ideoque feſtum Pentecoſtes ſolet etiam vulgo vocari *feſtum Spiritus Sancti*; ſed & *C. De Jejunio 3. diſt. 76.* dicitur Solemnitas Spiritus Sancti.

4 Notandum hic: Hebræos etiam celebraſſe feſtum Pentecoſtes in Lege ſcripta. Ipſi autem celebrabant in ſua ipſorum Pentecoſte feſtum datæ ſibi legis a Deo per Moyſen in Monte Sina poſt quinquageſimam diem a ſecunda die Azimorum, quæ erat ſecunda poſt ipſorum Paſcha,

ſive

ſive incluſive, ſive excluſive juxta varietatem opinionum; ut videre eſt apud Auctores laudatos, & a Lapid. in Exod. c. 19. v. 11. & rurſus apud Azor. *Inſtit. moral. par.* 2. l. 1. c. 8. q. 2. Ben. XIV. *de feſt. Dom.* c. 11. §. 2. qu. 7. Pentecoſte autem hebræa fuit Chriſtianæ figura, & Adventus Spiritus Sancti, ac promulgationis legis novæ, quæ in ea, ut innuimus, facta eſt: quod notavit Suar. *de Relig. tr.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 2. Tancredi *de Relig. tr.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 2. *qu.* 2. *n.* 23.

5 Qu. III. Qua die hebdomadæ Pentecoſtes feſtum ſit celebrandum?

℞. Quoniam Pentecoſte celebranda eſt die quinquageſima poſt diem Reſurrectionis, ut dictum eſt, & docent SS. Patres apud Cardinal. Bellarminum, *de controv. to.* 2. *controv.* 4. *lib.* 3. *de cultu Sanct. cap.* 13. §. *Cum ergo primus;* & dies Reſurrectionis ſemper accidit, & celebranda eſt in Dominica; ut ſuo loco dictum eſt: ſequitur etiam Pentecoſtem noſtram celebrandam eſſe in Dominica; quia dies quinquageſima poſt Dominicam Reſurrectionis eſt Dominica. Sed & Spiritum Sanctum in Dominica advenisse ſuper Apoſtolos, habet traditio Eccleſiaſtica; ut teſtatur Azor. *Inſtit. mor. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 8. *qu.* 3. & videri poteſt idem *c.* 2. *qu.* 4. Suar. *de Relig. to.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 12. & Ben. XIV. *de feſt. Dom. c.* 11. §. 2. q. 7.

6 An autem Spiritus Sanctus advenerit ipſo eodem die, quo Hebræi celebrabant ſuam Pentecoſtem? valde controverſum eſt apud Doctores. Videri poteſt Rupertus Ab. *de divin. Offic. l.* 10. *c.* 12. Bellarm. *loc. cit.* Suarez *tom.* 2. *in* 3. *par. quæſt.* 53. *art.* 2. *diſp.* 46. *ſect.* 1. *a* §. *Supereſt explicanda*. Raynaud. *to.* 6. *c.* 7. *a* §. *eſt tamen aliqua difficultas*, & *to.* 9. *tr. de Juda prodit. c.* 9. *n.* 10. Lorin. *in Act. Apoſt. cap.* 2. Azor. *qu.* 3. & Ben. XIV. *cit. qu.* 7.

Qu. IV. Quare celebretur feſtum Pentecoſtes? 7

℞. Suam Pentecoſtem Hebræos ob gratam Commemorationem, & gratiarum actionem ſummi beneficii datæ ſibi legis a Deo per Moyſen, ut ſupra dictum eſt, primario celebraſſe, ut probant Raynaud. Bellarm. A Lap. l. l. cit. & docet etiam Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *l.* 1. *c.* 8. *qu.* 1. Item pro gratiarum actione ob collectionem ſegetum, quæ tunc metebantur. Rurſus ob collatam frugum ubertatem juſſi a Deo fuerant prædictum feſtum celebrare, unde ipſum appellabant quoque feſtum novarum frugum; ſicut etiam nuncupabant feſtum hebdomadarum; quia nimirum a ſupradicta ſecunda die Azimorum ſive incluſive, ſive excluſive, juxta varias Doctorum Sententias, numerare debebant ſeptem hebdomadas plenas, & die ſequenti feſtum hoc celebrare debebant. Lorin. l. cit. & Bell. l. cit. §. *Porro Feſtum Hebræorum*, & in fine illius cit. cap. §. *Reſpondeo igitur*. Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 6. *c.* 35. & *par.* 2. *l.* 1. *c.* 8. *qu.* 1.

Sicut autem Hebræorum Pentecoſte primario fuit, ut dictum eſt ex Doctoribus laudatis, in feſtivam recordationem accepti beneficii in Legis antiquæ collatione; videtur etiam dicendum: Pentecoſtem Chriſtianam inſtitutam fuiſſe præſertim ad gratam memoriam ob datam, ſeu promulgatam hac die legem novam. Quis enim credat, ait Rayn. l. cit. §. *Quod dixi*; Eccleſiam tantum beneficium, quantum eſt ſuimet Natalis, & pro-

mulgationis legis novæ, & gratiæ, præterire ita voluiſſe, ut nullâ illud feſtiva recordatione decoraret? Profecto in Pentecoſtes die, & Adventu Spiritus Sancti lex nova promulgata fuit, Baptiſmus cœpit eſſe neceſſarius, & Chriſtiana Religio ſumpſit initium, cœpit omnes obligare, veteri abolita, & Judæorum feſta ceſſavere. Vide Raynaud. *to. 6. de prima Miſſ. ſect. 1. c. 7. & 11.* circa finem, *& c. 12. §. 6. fuit ſane & c. 19.* circa finem.

Dicendum eſt etiam, ſpecialem quoque cauſam Pentecoſtes noſtræ fuiſſe illam, quam ſuperius innuimus, inſtitutam nempe fuiſſe ob gratam memoriam, & gratiarum actionem adventus Spiritus Sancti in mundum, in corda videlicet Apoſtolorum Domini, & cæterorum Chriſti fidelium: *Quoniam* (hodierna die) *Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Sapient. 1. 7.* alias excellentias hujus feſtivitatis exponemus qu. ſequ. ex quibus etiam patebit ipſam multo celebrari.

8 Qu. V. Quis Pentecoſtes feſtum inſtituerit?

℞. Quamvis Hebræorum Pentecoſtem Deus ipſe inſtituerit, ac celebrari præceperit illis, ut conſtat Levit. 23. non ſic vero noſtra Pentecoſte, ut oſtenditur ex regula generali tenenda, quia nimirum in lege Evangelica non ſunt data de his cœremoniis peculiaria præcepta divina, ſed Eccleſiæ diſpoſitioni commiſſa ſunt. Suar. *de Relig. tom. 1. tr. 2. l. 2. c. 7. num. 2.*

Nihilominus noſtra Pentecoſte ab ipſis fuit Apoſtolis inſtituta, ut probat Bellarm. l. cit. initio illius cap. Vide etiam Suar. loc. cit. Azor. *cit. par. 2. l. 1. c. 8. qu. 4.* Bened. XIV. *de feſt. Dom. c. 11. §. 3. initio.* Et licet ſit Eccleſiaſtica tantum feſtivitas, habet adhuc graviſſimum fundamentum, & cauſam immutabilem, ideoque talis eſt, ut moraliter mutari non poſſit, uti docet Suar. l. cit. & diximus de feſto Paſchatis; cui quidem Eccleſia merito voluit aſſimilari in pluribus.

Profecto Pentecoſte ſicut Paſcha Reſurrectionis per duas item proxime ſequentes ferias ſolemniter celebratur, quæ nimirum ut feſtivæ de præcepto etiam coluntur, quemadmodum qu. 6. videbimus. Officium inſuper canonicum eſt ſimile Paſchali, & eſt extraordinarium per totam Octavam, nimirum recitatur ad Matutinum unicum nocturnum, tres videlicet tantum Pſalmi, cum tribus Lectionibus de homil. in Evangel. Et alia plura Officia Eccleſiaſtica peraguntur ſimilia illis peractis in ſolemnitate Paſchali, ut maxime patet ex Officiis in pervigilio habitis Pentecoſtes. Unde S. Maximus *Homil. 1. & 3. de Pentecoſt.* agnoſcit hoc feſtum paris eſſe cum Paſchate dignitatis: *Neſſi, credo, vos, fratres, quæ ſit ratio, quod venerabilem hanc Pentecoſtes diem non minore lætitia celebremus, quam Sanctum Paſcha curavimus: & quod eadem devotione hujus ſolemnitatis obſervantiam decurrimus, ſicut illius obſequia feſtivitatis implevimus. Tunc enim ſicut modo fecimus, jejunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus, Orationibus pernoctantes inſiſtimus; unde neceſſe eſt, ſimilis obſervantia ſimilem lætitiam ſubſequatur. Eſt lætitia plane conſimilis &c.* Ita Homil. 1. cit.

Quid? quod Euſebius *lib. 4. de vita Conſtantini c. 64.* non ſolum vocat Pentecoſtem, *omnium celebritatum principem, & maximam*, ſed etiam expreſſe illam ſtatuit Paſchate ipſo majorem; ſic enim de Pentecoſte, inquit,

quit, poſtquam de Paſchate loquutus fuerat, ut refertur in Catena Græcorum Corderii in Lucæ c. 22. ad verſum 7. apud Raynaud. to. 6. Euch. de prima Miſſ. ſect. 1. c. 19. *Aliud eſt & quidem majus feſtum, quod Pentecoſten Hebræi vocant*. Accedit Chryſoſtomus, cui aſſentitur laudatus Raynaud. l. cit. verſus finem, inquiens; pluris apud nos eſſe debere feſtum conſtitutæ Eccleſiæ, & Adventus Spiritus Sancti, quam omnia alia anteriora, quæ nobis parum contuliſſent, ſi Spiritus S. non adveniſſet, quo ſpectabat univerſa incarnati Verbi œconomia. Ait igitur Chryſoſtomus Homil. de Pentec. (eſt 37. Tomi 5.) apud Raynaud. l. cit. circa medium: *Nuper itaque feſtum Crucis celebravimus, Paſſionis, Reſurrectionis, ac deinde Domini noſtri Jeſu Chriſti in Cœlos aſcenſus; hodie tandem ad ipſum culmen bonorum provecti ſumus, ad ipſam Metropolim Feſtorum evaſimus; ad fructum ipſum Dominicæ promiſſionis pervenimus &c.* & in c. 3. Matth. ad illud *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*: ait idem S. Doctor: Chriſtum natum eſſe, ac paſſum, & ſuſcitatum, ut Spiritus Sanctus conferretur, uti factum eſt in Pentecoſte. Ex quibus patet, excellentia feſti Pentecoſtes quanta ſit.

Unde etiam eruitur, quod non valde improprie Pentecoſte inſigniri vulgo ſoleat nomine Paſchalis, & dici *Paſcha Pentecoſtes*; Imo in ipſis Rubricis Breviarii Romani vocatur Paſcha, ut in Rubr. gen. tit. 7. n. 2. ubi dicitur: *in Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes &c.*, & nos inſuper Siculi vulgo etiam nuncupamus *Paſcha Roſa*, vel *Roſarum*, vel *Paſcha Florum*: ad diſtinctionem Paſchæ Reſurrectionis, & ob enatas circa hoc feſtum communiter roſas, alioſque flores. Ob hujuſmodi utique rationem Italos appellare *Paſcha Roſatum*, notavit Raynaud. *to. 10. tr. de Roſa c. 1.* ubi de antiquit. ritus benedicendi Roſarum in Quadrag. per Pontificem Summum. Quamvis Raynaudus ibi teſtetur, ideo Italos Pentecoſtem appellare Paſcha, quia quodvis inſigne feſtum a Rege dierum feſtorum, (quemadmodum nonnulli Patres vocant Paſcha Reſurrectionis, ut loco infra cit. notavimus,) tamquam a primario analogato appellant Paſcha, addere autem *Roſatum*, & hoc Paſcha vocare *Paſcha Roſatum*, ob enatas nunc Roſas; ſicut Galli, inquit, Dominicam Palmarum ob aliquos flores tunc ſeſe prodentes, vocant *Paſcha Floridum*: ita Raynaudus. Quod etſi quoque verum ſit, & apud nonnullos alios etiam hujuſmodi uſus inveniatur, ſolemniſſima videlicet aliqua per annum feſta appellare Paſcha, ut *Paſcha Natalis Domini*: *Paſcha Epiphaniæ*: Vide dicta in Dom. Reſurr. art. 1. qu. 2. nihilominus jam videtur præter proprium Paſcha, nulli amplius feſto apud nos vulgo nomen Paſchæ tribui communiſſime, niſi ſoli feſto Pentecoſtes.

Qu. VI. An feſtum Pentecoſtes celebrandum ſit ſub præcepto: & utrum unico, vel pluribus diebus? 9

℟. Hoc feſtum ponitur C. *Pronunciandum* 1. diſt. 3. de Conſecr. & C. *Conqueſtus*: de feriis. Mentio ejuſdem fit apud vulgatum Clement. Rom. *Conſtit. Apoſtol. lib. 8. c. 33.* Celebrandum eſt ex gravi, & rigoroſo præcepto univerſali: tum ratione Dominicæ, in qua ſemper occurrit, & celebratur, ut qu. 3. notavimus; tum per ſe, uti habetur ex traditione, &

colli-

Digitized by Google

colligitur etiam ex dictis præſertim quæſt. præcedenti. Et nota hic, feſtum Pentecoſtes, ſeu Dominicam Pentecoſtes inter feſta de præcepto, quæ majora dicuntur, adnumerari. Quid autem hoc importet? Vide tr. 1. 6. Januar. n. 3.

10 Quo ad alteram partem vero quæſtionis dico: etſi apud Hebræos Pentecoſte unico tantum die fuerit abſoluta, ut probat Lorinus loc. ſuperius cit. & tamquam probabilius tenet Azor. *Inſtit. mor. par. 2. l. 1. c. 8. qu.* 3. noſtram tamen Pentecoſtem voluiſſe Eccleſiam celebrari per integram hebdomadam in Choro, quo ad Officia nimirum Eccleſiaſtica; ſed in foro per duas proxime ſequentes ferias poſt ipſam Dominicam Pentecoſtes: & hoc ſecundum conſtat ex cit. cap. *Conqueſtus*, & Conſtitut. Urbani VIII. de obſervat. feſt. incip. *Univerſa* 1642. quam allegavimus die 1. Januarii n. 1. Item ex uſu Eccleſiæ, & omnibus auctoribus, ut ait Suar. *de Relig. to. 1. tr. 2. l. 2. c. 7. n. 2.* fine.

ARTICULUS II.

De Hor. Canonicis.

11 DOM. Pentec. major, dupl. 1. cl. & nunquam omittitur, quocunque feſto in ea occurrente, quod transfertur poſt feſtum Trinitatis. *Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 3. tit. 10. n. 1. & in duabus Tabell. excerpt. Ex Rubr. gen.* ſi autem occurrat feſtum ſimplex, nihil fit de eo, ſed illo anno plane omittitur. Habet Octavam. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. n. 1.* Superveniente feſto Pentecoſtes, abrumpitur omnis alia Octava. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. n. 1. fine.* Vide dicta in Vigil. Pentec. ſect. 1. n. 14. Officium ut in prop. ad Matutinum habet unic. noctur. Ad Primam in ℟. br. *Qui ſedes*. Ad Tertiam hymn. *Veni Creator*, & ad quatuor primos verſus genuflecti conſuevit in Choro. Non dicitur Symbolum S. Athanaſii *Quicumque*. Rubr. gen. Brev. tit. 33. n. 2. 2. Veſp. de eodem feſto ut in prop.

ARTICULUS III.

De Miſſa.

12 MISSA propria; dicitur Sequentia, *Credo*. Præf. *Communicantes*, & *Hanc igitur* propr. Si occurat feſtum ſimplex, nulla fit de eo Commemoratio. Cum Celebrans dicit ℣. *Veni Sancte Spiritus, reple* etc. flectit unicum genu. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 17. num.* 1. dum autem genuflectit, innititur altari utraque manu hinc, & illinc extenſa. At Celebrans in Miſſa ſolemni, flectit utrumque genu uſque ad finem verſus prædicti, dum cantatur a Choro. *Rubr. cit. num.* 3. Color. param. rub. uti notavimus heri n. 20. fine: ob rationem myſticam ibi ſignificatam.

13 Licet in Eccleſiis, ubi titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto: excipitur tamen Dominica Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 6.* Sunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

Hodie celebrare non licet in Oratorio privato. Vide dicta tr. 1. 6. Januar. n. 38.

14 An, & quale peccatum ſit, omittere Sequentiam, & an qui ex oblivione illam omiſit, debeat ſupplere, & re-

& recitare, ubi id adverterit? Similiter ſi ex oblivione omittantur Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria, ſed dicantur ordinaria? Examinavimus in Dom. Reſur. art. 3. qu. 1., & eodem art. 3. n. 19. nonnihil notavimus de Sequentia.

ARTICULUS IV.

De Function. Pontificalib.

15 QUANDO dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in diem Pentecoſtes, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica Concluſione, quemadmodum diſponit Ceremoniale Epiſcoporum, & declaravit S. R. C. 4. April. 1705. Vide dicta tr. 1. 25. Decembr. n. 101. In feſto Pentecoſtes functiones Pontificales, abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam dignitatem, ex D. S. R. C. 3. Decemb. 1672. in *Andrien.* apud Caval. *tom.* 4. *c.* 19. *n.* 3. *decr.* 10. *Prima dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus dignitatibus impeditis vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur* S. R. C. 26. Novemb. 1670. in *Senen.* apud Caval. l. cit. d. 11. *Celebratio Miſſæ ſolemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die feſto Corporis Chriſti ſpectat privative ad primam dignitatem, ſeu primum de Capitulo; eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in ſui locum, ad libitum, ſubrogare; ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab illo qui immediate ſuccedit, non vero ab Hebdomadario.* S. R. C. 23. Martii 1709 in Compſana apud Caval. l. cit. d. 12. Vide tamen dicta in fer. 5. Cœnæ ſub. 7. quæſt. 1. fine. 16

In Dom. Pent. non bened. aqua in Eccleſiis, ubi eſt fons Baptiſmalis, ſed ibi ſolemnis aſperſio fit cum aqua fontis Baptiſmalis pridie reſervata, ex Rubr. Miſſal. ad aliquam memoriam Baptiſmi in Sab. præced. ſolemniter celebrati, ut ſignificat Rupert. *de Div. Offic. lib.* 7. *c.* 20. Vide dicta in Sab. S. Subſect. 3. d. 7. n. 336., & tr. 1. l. 2. in Dom. art. 3. ſect. 2. ubi habes ritum ſervandum tempore Paſchali in hujuſmodi aſperſione ſolemni.

ARTICULUS V.

De Exequiis Defunctorum.

SI quis moriatur in die Penteco- 17
ſtes, nullæ ſunt exequiæ publice celebrandæ de mane, nec conſuetum ære campano emortuale ſignum edendum: ſed Officium, & preces recitentur ſub Veſperum, vel Cadaver in craſtinum reſervetur, ob reverentiam Pentecoſtes, & feſti ſolemnitatem. Vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 8. art. 6.

ARTICULUS VI.

Not. temp. Interdicti localis generalis.

TEMPORE Interdicti localis genera- 18
lis ſuſpenditur Interdictum, quo ad divina Officia in feſto Pentecoſtes. Vide dicta in Dom. Reſur. art. 7. Hic ſolum quæritur: an prædicto tempore poſſint fieri ſolemnitates Nuptiarum in hac, & ſimilibus feſtivitati-

tatibus, in quibus interdictum prædictum ſuſpenditur?

R. Affirmative; niſi ſint aliunde prohibitæ: nimirum a Dominica prima Adventus uſque ad Epiphaniam, & a prima die Quadrageſimalis obſervantiæ ſeu a feria IV. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ, ut ſuo loco notavimus; Vide Chiavet. *conſult.* 151. *n.* 5.

CAPUT II.

Not. Fer. II. Poſt Dom. Pent.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Hor. Can.

1 DUPL. 1. Cl. ut proprio loco, & heri. Si occurrat feſtum ſimplex; nihil fit de eo.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

2 MISSA propria, Sequentia, & reliqua, ut heri. Si occurrat feſtum ſimplex, nihil fit de eo. Col. par. rub.

3 Hodie celebratio Miſſæ Conventualis ſpectat ad ſecundum de Capitulo. S. R. C. 23. Martii 1709. in Compſana apud Merat. ind. Decret. Miſſ. n. 611.

4 Hodie poteſt celebrari Miſſa unica ſolemnis præſente Cadavere ex Decr. S. C. R. 2. Septemb. 1741. Vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 8. n. 22.

Hodie eſt feſtum de præcepto ſecundum dicta heri n. 10. 5

CAPUT III.

Not. Fer. III., poſt Dom. Penteooſt.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

DUPLEX 1. cl. ut in propr. & heri. Si occurrat feſtum ſimplex, nihil fit de eo. 1

ARTICULUS II.

De Miſſa.

MISSA propria, Sequentia, & reliqua, ut heri. Feſtum de præcepto, ut heri. 2

CAPUT IV.

Not. Fer. IV. poſt Dom. Pentec. quæ eſt Fer. IV. Quatuortemporum Æſtivorum.

EXPLICANTUR ARTICULIS V.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*
Art. III. *Not. pro collatione Ordinum.*
Art. IV. *De Jejunio.*
Art. V. *De Indulg.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

1 De die infra Oct. ſemid. ut in feſto, & proprio. Si occurrat feſtum ſimplex, fit utique Commemoratio de eo ſine lectione, etiamſi habeat in Breviario propriam.

2 In quatuor temporibus Pentecoſtes non dicuntur Preces. *Rubr. gen. Brev. tit.* 34. *n.* 3

Quid generaliter notandum pro horis Canonicis in feriis Quat. temp. expoſuimus tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ubi de Quatuor temp. in genere ſubſ. 1.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

3 Quid generaliter notandum pro Miſſa in feriis quatuor temporum? expoſuimus tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 2. Hic autem in ſpecie notanda ſunt ſequentia.

Miſſa, ut in proprio, & in feſto Pentec. Or. pro Eccleſia, vel pro Papa omittitur, ſi facienda ſit Commemoratio de feſto ſimplici ſecundum dicta 2. par. hujus 4. par. c. 2. ſect. 4.

Habentur duæ lectiones ob rationem explicatam in Septembr. cit. ſubſ. 2. §. 3. Non dicitur autem *Flectamus genua*, ſed dicitur *Alleluja* ob rationem explicandam in ſequenti Sabbato art. 2. Col. Parament. rub.

4 Pro Miſſa Conventuali in feriis quatuor temporum videri poſſunt dicta in Sept. cit. ſubſ. 2. §. 2. Solum hic notamus, quod ſi in Quat. tempor. Pentec. accidat in Cathedrali, aut Collegiata celebrari duas Miſſas ſolemnes, unam de die, alteram de feſto tranſlato, quod ſit titulus Eccleſiæ, aut habeatur concurſus populi, juxta facultatem conceſſam in Rubr. gen. Miſſ. tit. 6. tunc Miſſa de die cantetur poſt Nonam, ſecundum Rubr. gen. Miſſ. de feſto item poſt Nonam, & poſt Miſſam de die, ut vult Gavantus *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 6. quia, inquit, ad Miſſam feſti populus eo libentius, quo tardius convenire ſolet; & licet in hoc caſu nulla hora Canonica ſit media inter utramque Miſſam; quod tit. 7. n. 2. convenire docet; tamen eſt caſus, ait, unicus, & privilegiatus ob concurſum populi. Conſentit cum Biſſo Meratus *par.* 4. *tit.* 11. *n.* 19. qui ſubdit: idem dicendum eſſe, ſi cantanda ſit Miſſa ſolemnis votiva pro re gravi. Id ipſum præſtandum eſt in ſimili caſu quo celebrandæ ſint ſimiliter duæ Miſſæ, ſi Miſſa de die celebrari debeat poſt Nonam; ut eſt in Adventu, Quadrageſima, Quatuor temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur: ex Rubr. gen. Miſſ. cit. tit. 15. num. 2.

In fine vero prædictarum duarum Miſſarum Evangelium dicitur S. Joannis, non illud feriæ, vel feſti occurrentis. Gavant. 1. cit. Nec facienda eſt commemoratio feriæ in Miſſa de feſto; nec feſti in Miſſa de feria. Vide dicta tr. 1. 2. Febr. n. 59.

Licet in Miſſa ſolemni de quatuor temporibus in Choro omnes genuflectant etiam ad Orationes &c. (Vide Rubr. gen. Miſſ. tit. 17. n. 5.) excipiuntur tamen quatuor tempora Pentecoſtes. Rub. cit. ratione temporis Paſch. Vide dicta par. 1. hujus l. 5. c. 3. 5

Diaconus, & Subdiaconus Dalmatica, & Tunicella utuntur in quatuor temporibus Pentecoſtes, quando Sacerdoti miniſtrant in Miſſa ſolemni. 6

mni. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 19. n. 6.* propter ſolemnitatem Spiritus Sancti. Quæ ratio aſſignatur C. *de Jejunio* 3. diſt. 76. ubi ſic legitur: *& tunc propter ſolemnitatem Spiritus Sancti, Diaconi Dalmaticis induantur*: Inde colligitur, Dalmaticas indicare ſolemnitatem, & lætitiam; ut obſervat Bened. XIV. *to. 1. not. 11. n. 9.* & ex aliis etiam docuimus, rationemque indicavimus hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 3. n. 15.

ARTICULUS III.

Not. pro collatione Ordinum.

7 QUID pro Collatione Ordinum in fer. IV. quat. temp. ſit notandum? Vide tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſec. 3. §. 1. n. 37.

ARTICULUS IV.

De Jejunio.

8 JEJUNIA Quatuor temporum pro Æſtate celebrantur in ipſa hebdomada Pentecoſtes: hac ſcilicet feria quarta, & ſequenti feria ſexta, ac Sabbato. De his vide dicta tr. 1. in Septemb. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. ubi n. 51. & 52. habes rationem, quare in ipſa Pentecoſtes hebdomada hoc jejunium celebretur?

ARTICULUS V.

De Indulgentiis.

9 IN tribus diebus jejunii Quatuor temporum poſſunt acquiri Indulgentiæ Stationum; ſed & per totam Octavam Pentecoſtes poſſe quotidie hujuſmodi indulgentias obtineri, notavimus parte 1. hujus partis 4. c. 4. de Stationibus autem egimus hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101.

CAPUT V.

Not. Fer. V. poſt. Dom. Pentec.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Horis Canonicis.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

SEMIDUPL. ut infra Oct. & proprio 1
loco. Si occurrat feſtum ſimpl. fit de eo Comm. ſine lect.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

MISSA ut in proprio, & ſecundum 2
dicta 2. par. hujus 4. par. c. 2. ſect. 2. Col. par. rub.

CAPUT VI.

Not. fer. VI. poſt Dom. Pentec. quæ eſt fer. VI. Quat. Temp. Æſtivorum.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa, Ordin. Indulg. Jejun.*

ARTICULUS I.

De Hor. Canon.

SEMID. ut in propr. & infra Oct. 1
Si occurrat feſtum ſimplex fit de eo Com. ſine lect.

Quid

Digitized by Google

Quid notandum pro Hor. Canon. in feriis Quatuor Temp. Expoſuimus tr. 1. in Septemb. par. I. ſect. 5. ſubſ. 1.

ARTICULUS II.

De Miſſa, Ordin. Indulg. Jejun.

2 MISSA, ut in proprio, & infra Oct. Si alicubi accidat haberi præſcriptam Collectam *pro quacumque neceſſitate*; Oratio Poſtcommunio pro Collecta ſumatur ex Collecta *pro quacumque tribulatione*: cum Halden Meratus *to. 1. par. 4. tit. 11. n. 19. fine*: ad varietatem requiſitam ex Rubricis, quando duæ Orationes fuerint ſimiles. Porro Oratio *Poſtcommunio* hujus feriæ eſt ſimilis Orationi *Poſtcommunio* Collectæ pro quacumque neceſſitate: videantur dicta 11. Novemb. n. 5. & 6.

Quid notandum pro Miſſa in feriis Quatuor Temp.? Expoſuimus tr. 1. in Septembr. 1. par. ſect. 5. ſubſ. 2. Quid autem pro Ordinibus? ſubſ. 3. Quid pro Indulg. ſubſ. 4. Quid pro Jejun.? ſubſ. 5.

CAPUT VII.

Not. in Sabbato poſt Dom. Pentec. quod eſt Sabbatum Quatuor tempor. Æſtivorum.

EXPLICANTUR ARTICULIS IV.

Art. I. *De Hor. Canon. Ordin. Indulg. Jejun.*
Art. II. *De Miſſa.*
Art. III. *De Bened. Menſæ.*
Art. IV. *De Salut. B. V. ad pulſum Campanæ.*

ARTICULUS I.

De Hor. Can. Ordin. Indulg. Jejun.

1 OFFIC. Semiduplex ut propr. loco, & infra Oct. In Martyrol. 1. loco *Feſtum Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis.*

2 In Sabbato poſt Dominicam Pentecoſtes, *poſt Nonam celebrata Miſſa terminatur tempus Paſchale.* Rubr. Brev. in Sabbato poſt Pentec.

3 Veſperæ de ſequenti feſto SS. Trinitatis dupl. 2. cl. ut in propr. & Commem. Dom. 1. poſt Pentec. Completorium recitatur, ut extra tempus Paſchale, & ſic deinceps.

4 A primis Veſperis incluſive feſti SS. Trinitatis uſque ad Nonam incluſive Sabbati ante Adventum, Antiphona finalis: *Salve Regina*. ℣. Ora pro nobis. Or. *Omnipotens ſempiterne Deus.* & recitatur ſtando a 1. Veſp. Sabbati per totam Dominicam, ſecundum dicta tr. 1. l. 2. in Domin. art. 7. n. 65.

Quid notandum pro horis Canonicis in fer. Quatuor tempor. expoſuimus tr. 1. in Septemb. 1. par. ſect. 5. ſubſ. 1. Quid pro Ordin. ſubſ. 3. Pro Indulg. ſubſ. 4. pro jejunio ſubſ. 5.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

5 QUID notandum pro Miſſa in fer. Quatuor temp. expoſuimus tr. 1. in Septemb. par. 1. ſect. 5. ubi de Quatuor temp. ingen. ſubſ. 2. Hic autem in ſpecie notanda ſunt hæc.

Miſſa ut proprio loco, & infra Octavam. Non dicitur *flectamus genua*. Sed *Alleluja*, & *Gloria in excelſis*. Col. param. rub. & adhiben-

tur veſtes ſolemnes ex Urbano II. in Concilio Claromontenſi relato ab Azotio *Inſtit. moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 14. *qu.* 2. Horum omnium ratio eſt Solemnitas Spiritus Sancti, ut ex jure notavimus in præced. feria quarta quatuor temp. n. 6. quia licet ſit jejunium, eſt tamen jejunium exultationis, ut quidam loquuntur, & vocant. Vel quia in ordine ad Officia Eccleſiaſtica ſumus adhuc infra tempus Paſchale, quamvis non ſimus infra hujuſmodi tempus in ordine ad jejunium. Vide dicta in Septembri cit. ſubſ. 5. n. 51. & 52. Dicit etiam ex Beda Amalarius *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 39. *Quamvis intermiſſa repetentes jejunia, tamen Alleluja quotidie perſonamus, nemo abſque diſcretione apta, & congrui ratione Myſterii putet agitari. Quia enim Spiritus Sancti Septiformis eſt gratia, jure ſolemnitas Adventus ejus per ſeptem dies laude hymnorum debita, ſimul & Miſſarum celebratione colitur. Quia tempore Pentecoſtes Eccleſia toto Orbe novos ſemper Deo populos per aquam regenerationis aggregare conſuevit, merito ſaluti eorum congaudentes quouſque albis induuntur ſtolis, & nitorem purificatæ mentis, ſplendore habitus demonſtrat, hymnum Deo devotæ laudis offerimus, juxta præceptum ipſius piiſſimi Paſtoris, ac Redemptoris noſtri, qui ait: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Dicitur Sequentia, ut infra Oct. ſed in fine tacetur *Alleluja*. Rubr. Miſſ. hic.

6 *Miſſa de Dominica Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato Quatuor temporum Pentecoſtes*. S. R. C. 17. April. 1646. in Uliſſiponen. apud Merat. *ind. Decr. Miſſ. n.* 290.

Cum ſimus adhuc infra Octavam Pentecoſtes; hinc neque hodie poteſt celebrari Miſſa Votiva, vel *de Requiem*, vel de aliquo Sancto occurrenti; quæ Miſſæ prohibentur infra Octavam Pentecoſtes, ut notavimus ubi de hac Octava in genere egimus. Nihilominus quæres: an peccaret mortaliter Sacerdos, qui hodie legeret Miſſam Votivam ſine rationabili cauſa: & cum iſta, an poſſit excuſari ab omni culpa?

℞. Pro hac, & aliis hujuſmodi Quæſtionibus ad Miſſam Sabbati Quatuor temporum Pentecoſtes pertinentibus; Videantur dicta in Septembr. cit. ſubſ. 2. §. 6.

Poſt Nonam celebrata Miſſa terminatur Tempus Paſchale. Rubr. Miſſ. in Sabb. poſt Pentec. nimirum quo ad Officium, & Miſſam. Vide dicenda art. 3. ſequ. n. 10. ex quibus colligi inſuper poterit, in fine Antiphonæ *Trium Puerorum*, quæ recitari ſolet cum Pſalmis, & precibus poſt Miſſam; dicendum eſſe *Alleluja*: ut tempore paſchali dicendum, Breviarii Rubrica præſcribit, licet Antiphona prædicta non ſit pars Officii, vel Miſſæ: (etſi, quo ad ſui duplicationem, & admiſſionem *Alleluja*, ſequatur naturam occurrentis Officii Canonici): ſed una cum precibus, quibus adnectitur, laus divina omnino diſtincta, & formula quædam actionis gratiarum poſt celebratam Miſſam; liberæ etiam recitationis. Vide dicta 2. Novemb. n. 84. 7

ARTICULUS III.

De Benedictione Menſæ.

Cum Rubrica formulæ benedictionis menſæ, adhibendæ infra Octavam Pentecoſtes, dicat: formulam hanc eſſe adhibendam uſque ad Cœnam hujus Sabbati *excluſive*; ſequitur, 8

tur, in cœna hujus Sabbati reſumendam eſſe communem, ſeu conſuetam per annum formulam benedictionis menſæ. Sed quæſtio eſt: an id intelligendum ſit, ſi cœna ſumatur ſero, (licitum quipe eſſe, ex aliqua cauſa ad ſerotinum tempus in die jejunii differre plenam refectionem, docuimus cum aliis tr. 1. c. 1. n. 44.) Vel etiamſi in meridie comedatur? juxta præſentem enim conſuetudinem, a fine ſæculi decimi quarti, plena refectio in die jejunii ſumitur in meridie: quemadmodum notavimus tr. 1. l. 1. c. 1. num. 41. etſi olim ſumptum fuerit hora nona elapſa ab ortu Solis, & in jejuniis obſervantiæ ſtrictioris, atque ſolemnioris, puta Quadrageſimalis, jejunium fuerit cœna ſolutum, non prandio: ideſt plena refectio ſumebatur Veſpere poſt Solis occaſum. Videri poſſunt dicta tr. 1. l. 1. c. 7. n. 25. & hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 3. num. 14. In hac autem quæſtione: adhibendam eſſe communem, etiamſi jejunium ſolvatur in meridie, vult Gavantus *in Rub. Brev. ſect. 9. c. 6. n.* 10. cui adhærent Meratus ibi n. 1. & Cavalerius *tom.* 4. *Comment. in Decret. S.C.R. c.* 25. *n.* 14. *&* 15. Oppoſitum ſuſtinet Guyetus *lib.* 4. *c.* 20. *qu.* 8. Hic movetur ex eo: *Quia adhuc cenſetur perſeverare Officium Pentecoſtes, adeoque omnia, quæ ad illud pertinent, uſque dum inceptum fuerit Officium ſubſequens, quod profecto ante Veſperas inchoatum, dici nequit*. Ita Guyetus relatus a Merat. l. cit. & a Cavalerio l. cit. n. 10.

Ratio autem oppoſitæ ſententiæ Gavanti, quam approbat Cavalerius, & Meratus, eſt; quia poſt Nonam celebrata Miſſa terminatur tempus Paſchale, ut Rubrica ſtatuit: atque adeo poſt Nonam celebrata Miſſa, poſt quam horam ſolvitur jejunium hujus diei, non amplius locum habere poſſunt verſus temporis paſchalis, quales ſunt verſus formulæ benedictionis menſæ adhibendæ infra Octavam Pentecoſtes. *Damus enim* (ait Cavalerius contra prædictam rationem Guyeti) *quod nonniſi ad Veſperas inchoetur Officium ſubſequens, ſed non propterea cenſeri umquam poteſt, quod perſeverat uſque ad eaſdem Veſperas tempus Paſchale, quod ad Nonam expirare, nos docet Rubrica: ſed magis, quod ad hujus expirationem ſuccedat tempus non Paſchale, adeoque & benedictio huic tempori conformis, non autem Paſchali*. Ita Caval.

Sed pro Guyeto facit, quod formula benedictionis menſæ adhibenda in die Paſchæ Reſurrectionis, uſque ad cęnam ſequentis Sabbati in albis uſurpanda ſit uſque ad cœnam *excluſive*, ut docet Gavantus & approbat Cavalerius; quemadmodum notavimus in Dominica Reſurrectionis art. II. atque adeo in dicto Sabbato retinenda eſt ad prandium in meridie benedictio menſæ propria Octavæ Paſchæ Reſurrectionis: *Quia* (inquit Cavalerius, cit. c. 25. num. 8.) *ad Veſperas Sabbati cenſetur expletum Officium Octavæ Paſchatis, cujus propria eſt prædicta particularis benedictio*. Et tamen à Rubricis dicitur, Octava Paſchæ Reſurrectionis terminari in Sabbato ſequenti, quemadmodum Octava Pentecoſtes, poſt Nonam, celebrata Miſſa; ſic enim habet Rubrica generalis Breviarii tit. 7. n. 2. *In Paſchas Reſurrectionis, & Pentecoſtes Officium Octavæ terminatur in Sabbato ſequenti ad Nonam*. Addit Rubrica Miſſalis recentioris editionis in Sab. in Alb. *finita Miſſa*. Ergo ſicut in Sabbato in Albis in refectione; quæ ſu-

Digitized by Google

ſumitur in meridie, retinenda eſt formula benedictionis Octavæ Paſchæ Reſurrectionis, non obſtante, quod Octavam Paſchæ Reſurrectionis ad Nonam expirare nos doceat Rubrica: quia nihilominus ad Veſperas Sabbati cenſetur expletum Officium Octavæ Paſchæ Reſurr., cujus propria eſt illa particularis benedictio; ita ſimiliter in hoc Sabbato poſt Pentecoſtem in refectione ſumpta in meridie, retinenda eſt formula benedictionis Octavæ Paſchæ Pentecoſtes, non obſtante quod, Octavam Pentecoſtes ad Nonam expirare nos doceat Rubrica laudata; & non obſtante quod *poſt Nonam celebrata Miſſa terminatur tempus Paſchale* ut dicitur hodie in Rubrica particulari Breviarii, & Miſſalis recentioris editionis; quia nihilominus ad Veſperas Sabbati cenſetur expletum Officium Octavæ Pentecoſtes, cujus Octavæ propria eſt benedictio menſæ infra eamdem adhibenda.

9 Nec obeſt, quod illa refectio Sabbati in Albis in meridie denominetur, & ſit prandium; hæc vero Sabbati hujus ſtet loco cœnæ, & ſi vis denominari poſſit cœna propter veterem conſuetudinem ſupra ſignificatam, ſolvendi jejunia Quadrageſimalia cœna, & juxta Rubricam: *Quando ſemel comeditur, omnia dicuntur ut ſupra in Cœna*: atque adeo in die jejunii, in quo ſemel comeditur, ſeu ſemel ſumitur plena refectio, ſemelque comedi ſupponitur: (nam refectiuncula, ſeu collatio ſerotina eſt ex mera permiſſione: quemadmodum notavimus tr. 1. l. 1. c. 7. n. 26., & die 24. Decemb. n. 47.) adhibenda ſit etiam in prandio formula benedictionis cœnæ: ob rationem a nobis aſſignatam tr. 1. l. 1. c. 7. n. 25. hoc, inquam, nihil obeſt; enim vero aliud eſt, benedicere prandio tamquam cœnæ, ſeu adhibere formulam benedictionis cœnæ, quando in die jejunii comeditur in meridie; aliud autem, adhibere hanc, vel illam formulam benedictionis cœnæ in dicto caſu. Poteſt igitur hodie benedici prandio in meridie tamquam cœnæ, adhibendo formulam benedictionis cœnæ, quemadmodum Rubrica laudata præſcribit recitatis verbis: *Quando ſemel comeditur* ec. Et ſimul poteſt, & debet ob rationem aſſignatam adhiberi formula benedictionis cœnæ, quæ adhibita eſt in præcedentibus cœnis infra Pentecoſtes Octavam.

Et vero docent, ac rite, Gavantus, & Cavalerius: ut ſupra diximus: in Sabbato in albis, in prandio ad benedictionem menſæ retinendam eſſe formulam benedictionis propriam Octavæ Paſchæ Reſurrectionis. Petimus: utrum in locis, ubi ea die occurrat, & celebretur jejunium puta Litaniarum majorum S. Marci, de quo jejunio a nobis ſermo fuit 25. April. n. 32. ad benedictionem menſæ in meridie, adhibenda ſit formula benedictionis cœnæ? Affirmative reſpondendum ex Rubrica ſupra laudata: quia eſt dies jejunii, atque adeo ſemel comeditur. Rurſus petimus: utrum retinenda ſit formula benedictionis cœnæ propria Octavæ Paſchæ Reſurrectionis? Affirmative reſpondendum evincit ratio a Cavalerio aſſignata, ut non relinquatur ante Veſperas benedictio menſæ propria Octavæ Paſchæ Reſurrectionis: quia nimirum, ut ipſe ait, ad Veſperas Sabbati cenſetur expletum Officium Octavæ Paſchatis, cujus propria eſt illa parti-

ticularis benedictio. Ergo in illo caſu adhibenda eſt in meridie, in prandio, quod ſtat loco cœnæ, formula benedictionis cœnæ, ſed propria Octavæ Paſchæ. Ergo ſimiliter in caſu præſenti, ad benedictionem menſæ in meridie, in prandio, quod ſtat loco cœnæ, adhibenda eſt formula benedictionis cœnæ, ſed propria Octavæ Paſchæ Pentecoſtes; quia ad Veſperas Sabbati cenſetur expletum Officium Octavæ Paſchæ Pentecoſtes, cujus propria eſt hæc particularis benedictio.

Sed interrogabis hic: Cum Rubricæ dicant, Octavam Paſchæ Reſurrectionis, & ſimiliter Pentecoſtes, tempuſque Paſchale terminari poſt Nonam celebrata Miſſa: quomodo Guyeto concedimus, Octavam Pentecoſtes durare uſque ad Veſperas? Quomodo id ipſum aſſerit Cavalerius de Octava Paſchæ Reſurrectionis; & ſecundum dicta, neceſſe eſt concedat, ut ſibi cohæreat, etiam de Pentecoſtes Octava, temporeque Paſchali? Reſpondeo: illud a Rubricis Miſſalis, & Breviarii ſtatui ſecundum aliqua: puta, quoad Officium, & Miſſam, de quibus loquuntur Breviarium, & Miſſale; non item quo ad omnia. Videantur dicta in Septemb. par. 1. n. 52. Profecto, teſte Divo Thoma 2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad* 3. non eſt indictum jejunium ab Eccleſia univerſali, durante toto Paſchali tempore; & omnes docent, non eſſe de jure communi per univerſam Eccleſiam jejunia conſtituta Paſchali tempore. Videantur dicta hoc lib. 5. par. 1. c. 3. n. 1., & tamen conſtat, univerſalia jejunia æſtiva quatuor temporum celebrari infra Octavam Pentecoſtes, infra quam juxta Rubricas dicitur durare tempus Paſchale. Hæc autem ſibi contraria non judicantur; quia licet quo ad Officium, & Miſſam non cenſeatur expletum tempus Paſchale niſi in Sabbato poſt Pentecoſtem; attamen quoad excluſionem jejunii ex jure communi, & præcepto univerſali Paſchale tempus cenſetur expletum ipſo Pentecoſtes die; atque adeo jejunia æſtiva quatuor temporum celebrari cenſentur extra tempus Paſchale. Immo ſecundum illos, qui volunt jejunium in Vigilia Pentecoſtes eſſe ex univerſali præcepto Eccleſiæ, non ſimpliciter ex conſuetudine populi Chriſtiani introductum; de qua re egimus ſuo loco in dicta Vigilia; dicendum eſt: tempus Paſchale quo ad excluſionem jejunii univerſalis abſolvi ante ipſum feſtum Pentecoſtes. Videantur dicta in Septemb. loc. cit. Rurſus cum ſecundum dicta in Sab. San. n. 352. Sacra Rituum Congregatio declaraſſet: quod *Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in Triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die cantato Evangelio extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quod* durante tempore Paſchali *accendantur*: Subdit Cavalerius *t.* 4. *c.* 21. *Comment.* in hujuſmodi Decretum n. 15. & animadvertit: quod *Tempus Paſchale quoad rem, de qua agitur, dubio procul expirat in die Aſcenſionis*. Poteſt igitur tempus aliquod Eccleſiaſticum puta tempus Paſchale, quo ad aliqua cenſeri expletum; quo ad alia autem perdurare. Videantur dicta in Septemb. loc. cit. Ubi itaque Rubricæ Brevia-

viarii, & Miſſalis dicunt: Octavam Paſchæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, tempuſque Paſchale terminari in Sabbato poſt Nonam celebrata Miſſa; loquuntur de Officio, & Miſſa; ita ut Officium, & Miſſa, quæ ſequuntur poſt Nonam, & Miſſam Sabbati in Albis; & poſt Nonam, & Miſſam Sabbati poſt feſtum Pentecoſtes ſint reſpective, extra Octavam Pentecoſtes, & extra tempus Paſchale; atque adeo Veſperæ Sabbati in Albis ſint extra Octavam Paſchæ Reſurrectionis; & ſimiliter Miſſa ſequentis Dominicæ, & Veſperæ Sabbati poſt Pentecoſtem ſint poſt Octavam Pentecoſtes, & extra tempus Paſchale: & ſimiliter Miſſa proxime ſequentis feſti Ss. Trinitatis. In dicto autem caſu ſtatuitur tempus non Paſchale incipere a Veſperis, quia a Veſperis communiter incipit dies Eccleſiaſticus quo ad Eccleſiaſtica Officia. Videantur dicta tr. 1. l. 1. c. 1. n. 8.

Quæ cum ita ſint: nos in quæſtione præſenti adhæremus Guyeto docenti: ad benedictionem menſæ hodie in meridie retinendam eſſe benedictionem propriam Pentecoſtes Octavæ. Adhibenda autem eſt formula benedictionis cœnæ, quæ adhibita eſt in præcedentibus cœnis infra Octavam, ut ſupra ſignificavimus ex Rubrica. Si vero plena refectio ſumeretur ſero, & eſſet proprie cœna, adhibenda foret communis ſeu conſueta per annum formula benedictionis menſæ. Imo cum & in ipſa collatione ſerotina numquam ſit omittenda benedictio menſæ: uti monuimus tr. 1. l. 1. c. 7. n. 26. & ſi, tacente Rubrica, ob rationem ibi aſſignatam, ſuper benedictione tunc adhibenda, libera ſit formula uſurpanda; ſi tamen in hujuſmodi collatione adhibeatur formula benedictionis cœnę propoſita in Breviario, ea ſit comunis prædicta per annum. Quæ autem de benedictione menſæ diximus, intelligenda quoque ſunt de gratiarum actione poſt menſam.

ARTICULUS IV.

De Salutatione B. V. ad pulſum Campanæ.

QUONIAM in hoc Sabbato clauditur tempus paſchale, ideo ab hoc Sabbato deponitur Antiphona *Regina Cœli*: quæ in honorem Beatæ Virginis tempore Paſchali eſt recitata ad pulſum campanæ, Veſpere, mane, meridie, ſeu in aurora meridie, & ſero, ac reſumitur conſueta per annum Antiphona *Angelus Domini*: Quæ a Veſperis Sabbati per totam Dominicam recitatur ſtando, aliis vero diebus flexis genibus. Videantur dicta tr. 1. l. 1. c. 5. n. 19. Antiphonam vero *Angelus Domini* nonniſi a Veſperis incluſive hujus Sabbati reſumendam eſſe, atque adeo etiam hodie in Aurora, & meridie recitandam eſſe Antiphonam *Regina Cœli*, tempori Paſchali aſſignatam, probant ea, quæ articulo præcedenti allegavimus pro retinenda in hodierno prandio, quod fit in meridie, benedictione menſæ propria Pentecoſtes Octavæ. 12

LIBER VI. TRACTATUS II.

NOT. POST PENTECOSTEM;

Seu a Dominica I. post Pentec. usque ad Sabb. ante Dom. I. Adventus.

IN QUO ECCLESIASTICUS CLAUDITUR ANNUS,

PROŒMIUM.

PROPOSUIMUS in hoc Tractatu ſecundo noſtri Diarii Liturgico-Theologico-Moralis agere de Sacris Ritibus, Inſtitution. Eccleſiaſticis, Morumque Diſciplina notandis toto anno Eccleſiaſtico, qui incipit a I. Dominica Adventus, ut in proemio hujus Tractatus diximus: & dividere hujuſmodi annum viſum eſt oportunum, in ſex tempora: videlicet in tempus Adventus, in Natalitium, in Prævium Quadrageſimæ, in Quadrageſimale, in Paſchale, in tempus denique reliquum poſt Pentecoſtem uſque ad Adventum: ubi unde cœperat, clauditur annus Eccleſiaſticus; cumque de illis primis quinque temporibus egerimus in præcedentibus quinque libris, reſtat in hoc lib. *6.*, & ultimo notare ea, quæ ad Inſtitutum noſtrum occurunt poſt tempus Paſchale, ſeu poſt Octavam Pentecoſtes uſq. ad Adventum.

Prædicto autem tempore aliqua notanda ſunt pertinentia in genere ad totum hujuſmodi tempus; alia vero ſpecialiter notanda certis hebdomadibus, atque diebus ejuſdem temporis; ideo librum hunc in duas partes dividimus; in prima agemus de iis, quæ in genere ſunt tempore prædicto notanda; in ſecunda de aliis, quæ ſpecialiter notanda occurrunt temporis ejuſdem certis hebdomadibus, atque diebus.

PARS I.

NOT. IN GENERE.

A Dominica I. post Pentecoſtem uſque ad Sabb. ante Dominicam I. Adventus.

EXPLICANTUR CAPITIBUS II.

Cap. I. *De Hor. Canonic.*
Cap. II. *De Miſſa.*

CAPUT I.

De Horis Canonicis.

1 De Dominicis occurentibus a Pentecoſte uſque ad Adventum excluſive fit Commemoratio, quando feſto duplici impediuntur. *Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 3.*

2 Ab Octava Pentecoſtes uſque ad Dominicam proximiorem Calendis Octobris in Offic. Dom. hymnus ad Matut. *Nocte ſurgentes*. Ad Laudes autem: *Ecce jam noctis*.

3 Poſt Pentecoſtem uſque ad menſem Auguſti leguntur libri Regum, ut reſumatur ordo hiſtoricus a Geneſi ad libros Regum. Amalar. *de ord. Antiph. c.* 72. Gavant. *in Rubr. Brev. ſec. 5. c. 12. n.* 8. Porro Lectiones primi Nocturni per annum ſumuntur ex Sacris Libris, quorum triplex eſt ordo, ex Gavanto l. cit. n. 6. qui primum vocat Conciliarem, alterum hiſtoricum, tertium Eccleſiaſticum: quos explicat ibidem & n. ſequenti. In Lectionibus autem librorum Regum ſignificari tempus Martyrum, Bellorum, & Perſecutorum Eccleſiæ poſt Adventum Spiritus Sancti, bene ſentit Rupertus *de div. Offic. lib. 12. c.* 24. idipſum innuit Joannes Beleth *de divin. Offic. c.* 135. *initio*.

Itaque de libris Regum legitur uſque ad Dominicam primam Auguſti. Ea vero Dominica adveniente, ſi quid de his libris ſuperſit, omittitur, & legitur de Scriptura, quæ ponitur menſe Auguſti. *Rubr. gen. Brev. tit. 26. n.* 8. Ratio eſt, quia omnes libri Regum in hoc caſu pro uno computantur.

Ea autem eſt Dominica prima Auguſti, quæ vicinior eſt Calendis Auguſti: ut explicabimus in Sabb. poſt Dom. ſextam Pentec. ita ut etiam Dominica, quæ occurrat die 31. vel 30. Julii, dicatur prima Auguſti: quia, licet ſit in menſe Julii, attamen eſt vicinior Calendis Auguſti, quam ſit illa Dominica, quæ in hoc caſu prima occurit intra ipſum menſem Auguſti. Similiter fiet in menſibus reliquis uſque ad Adventum, ut ſuis locis notabimus, & explicabimus.

Extra tempus Paſchale non dicitur *Te Deum* in Officio feriali. *Rub. gen. Brev. tit. 31. n. 2.* ſed dicuntur tria Reſponſoria, unum poſt quamlibet lectionem; quæ undenam ſumenda ſint, quove ordine reponenda? 4

da? Videantur Rubricæ gener. Brev. tit. 27. a n. 5.

Commemorationes Communes, ſeu Suffragia Sanctorum fiunt ab Octava Pentecoſtes, uſque ad Adventum excluſive in Officio, quod illa non excludat juxta Rubricas. *Rubr. gen. Brev. tit.* 35. *n.* 1. Sunt & alia tempora ſuis indicata locis. *In Commemorationibus communibus, ſive Suffragiis Sanctorum per annum, dum ſit de aliquo, cujus Antiphona habet in fine* Alleluja: *debet hæc recitari cum* Alleluja, *ſi continet verba, quibus exprimatur gaudium, victor. & ſimilia, alioquin* Alleluja *omittatur.* S. R. C. 29. Novemb. 1738. apud Caval. *tom.* 2. *c.* 33. *d.* 8. qui in hujuſmodi decretum hæc habet: Vox alleluja *adeo propria non eſt Paſchalis temporis; ut extra illud non etiam dicatur quotidie in principio horarum; habeatur etiam cum geminatione in pluribus feſtis ſolemnioribus, & nonnullis Antiphonis adhuc communium Sanctorum adjuncta inveniatur. Nunc deciditur, quod ſi Antiphona, quæ pro ſuffragiis Sanctorum aſſumitur, in fine habeat* Alleluja: *cum* Alleluja *recitari debet, ſi contineat verba, quibus exprimatur gaudium, victoria, & ſimilia; tunc ſiquidem* Alleluja *quadrat apposite iis, quæ dicta ſunt, atque veluti pars completiva ipſius Antiphonæ. Quod tamen limita pro tempore a Septuageſima ad Paſcha, quo juxta Rubricas ſiletur* Alleluja, *ubicumque habeatur. Alioquin, ſubdit Decretum,* Alleluja *omittatur: videlicet puta ſi* Alleluja *antiphonæ adjunctum habeatur, vel ratione temporis Paſchalis, intra quod feſtum recurrit, aut ratione ſolemnitatis feſti, vel alia de cauſa, quæ pro ſuffragiis non militat. Hinc v. g. Eccleſiæ, quæ pro titulo haberent Epiphaniam, aut Dominicam Aſcenſionem, cum harum Antiphonæ exprimant reſpective gaudium, triumphum, & victoriam, vox* Alleluja *retinenda foret. Id ipſum a fortiori eſt de Dominica Nativitate; ſecus de Pentecoſte; & Corpore Chriſti, & de hujus Transſiguratione, ſaltem quo ad Antiphonam ab Benedictus; quantum enim ad illam ad* Magnificat, *in qua diſcipuli a concepto timore excitantur, ad rem admodum videtur apposita. Inventionis Sanctæ Crucis utraque Antiphona, utpote in qua triumphus Chriſti exprimitur, vocem* Alleluja *retinere deberet: ſed cum in feſto Exaltationis eadem Antiphona ad* Benedictus *ſine ea vice habeatur, eodam vox ratione temporis noſcitur invecta; quod & lubet credere de Antiphona ad Magniſicat. Idem eſto judicium de Antiphonis SS. Philippi, & Jacobi, & Joannis; ante portam latinam: & ideo in omnibus, uti & in Antiphona Exaltationis, in qua ſolemnitatis cauſa videtur poſita, vox* Alleluja *videtur ſilenda. Id ipſum præſta in Antiphonis Communis Apoſtolorum, & propriis aliorum Sanctorum univerſalis Eccleſiæ, uti Deiparæ; Luciæ, Thomæ, Michaelis (niſi forte ad Benedictus,) ſicuti & in Sanctis particularium locorum, niſi in quibus verba, ut ſupra in Decreto, habentur. In dubio liberaliter eſto in omiſſione, & ubi pluries ea vox habetur, ſemel tantum eam dicito, & a verſiculis ſemper remove: nam iteratio, & dicta additio Paſchalis temporis propria eſt, vel ſolemnitatem notat.* Huc uſque Caval. Porro *Alleluja* vox exultationis eſt, atque lætitiæ. Vide dicta in Sab. Sancto n. 356. Quam vocem etiam extra tempus Paſchale uſque ad Septuageſi-

mam decet audire, ad exprimendam aliqualem lætitiam; ut cum aliis obſervat Meratus *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 45. Cur tamen extra tempus Paſchale non reſonet frequentia ſimilis Paſchalis temporis? Intelligi poteſt ex dictis trat. 1. 6. Januar. num. 27.

6 Pſalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum aliis Pſalmis in Pſalterio aſſignatis in omnibus Dominicis, quando fit Officium de Dominica, ut in Pſalter. etiam in Dominicis, quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum a III. Dom. poſt Pentecoſt. incluſive uſque ad Nativitatem Domini excluſive. *Rubr. gen. Brev. tit.* 22. *num.* 3.

7 Capitula Dominicalia poſita in Pſalterio in 1., & 2. Veſp. de Laudibus, & Horis, dicuntur a III. Domin. poſt Pentecoſtem uſque ad Adventum. Capitula autem ferialia dicuntur poſt Octavam Pentecoſtes uſque ad Adventum. Rubr. gener. Brev. tit. 29. n. 2. A 1. Veſp. incluſive feſti Trinitatis uſque ad Nonam incluſive Sabbati ante Adventum Antiphona finalis: *Salve Regina: ℣. Ora pro nobis.* ℟. *Ut digni.* Orat. *Omnipotens ſempiterne Deus.* Rubr. Breviar. De auctore prædictæ piiſſimæ Antiphonæ, & quandonam reponi cœperit in Eccleſiaſticis libris? agit Benedictus Piazza *Devotion. vindic. part.* 2. *cap.* 15. a *num.* 64. qui videri poteſt, nec non Cajetanus Merati *Theſaur. Sacr. Rit. tom.* 2. *ſect.* 5. *c.* 22. *n.* 1. Cavaler. *Comment. in Decret. S. R. C. tom.* 2. *part.* 2. *c.* 40. *in Decr.* 2. *n.* 2.

8 Si feſtum in Calendario occurrens tempore Paſchali, accidat transferri poſt tempus Paſchale, debet recitari ut in Communi extra tempus Paſchale, ſi habeat Officium de Communi. Caval. *tom.* 5. *cap.* 11. *n.* 15. & 16. Unde e. g. ſi feſtum S. Petri M. quod habet Evangelium de Communi MM. temp. Paſch. *Ego ſum vitis vera:* eo quod ſoleat celebrari intra tempus Paſchale, accidat transferri extra tempus Paſchale, dicendum erit Evangelium: *Si quis venit ad me:* de Communi un. M. extra tempus Paſchale; quemadmodum a S. R. C. declaratum fuiſſe, notavimu. tr. 1. lib. 3. 29. April. art. 2. n. 4. Quod ſi feſtum in Calendario occurrens tempore Paſchali, habeat Officium proprium, & transferatur poſt tempus Paſchale, debet quidem recitari ut in proprio, ſed omittenda ſunt *Alleluja*, & cætera, quæ in Breviario, ſeu Officio proprio habeat ratione temporis Paſchalis, cum jam non congruant: & ſupplenda, quæ oporteat, ex communi extra tempus Paſchale. Vide dicta 1. Maji art. 2. num. 6.

CAPUT II.

De Miſſa.

POST tempus Paſchale uſque ad Septuageſimam, quando dicitur Graduale, dicuntur tria *Alleluja* poſt Graduale: duo ante verſum, & unum poſt verſum; cum tamen dicitur Sequentia, *Alleluja*, quod dicendum fuiſſet poſt verſum, dicitur poſt Sequentiam. *Rubr. Miſſ. in Sab. in Alb.* Eodem ritu etiam in Miſſis votivis recitandum eſt poſt Graduale prædictum triplex *Alleluja*, ut in proprio, vel reſpectivo communi; Cum aliis Meratus *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 45. 1

In

2 In feſtis ſemiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum, dicitur 2. Oratio *A cunctis*, 3. ad libitum. *Rubr. gener. Miſſ. tit. 9. num. 2.* Similiter in feſtis ſimplicibus, & in Miſſa de feria. Rubr. cit., & in Miſ. in Dominica I. poſt Pentecoſt. Vide dicta tr. 1. 2. Februar. n. 62.

3 Si aliquod feſtum habens Evangelium de communi MM. temp. Paſchal. transferatur extra tempus Paſchale, variatur Evangelium: quemadmodum declaravit S. R. C. pro feſto S. Petri M. uti ſuo loco notavimus; Recole dicta cap. præced. num. 8. Putat etiam Caval. tom. 5. cap. 11. num. 16. ſi feſtum Sancti Martyris habens ſolum Introitum proprium, & cætera de communi, transferatur a tempore Paſchali, in quo ſoleat occurrere, transferatur, inquam, extra tempus Paſchale: etiam Introitum dicendum eſſe de communi: quia ſic ſtatuit S. R. C. de feſto Sanctorum Martyrum habente ſolum Introitum proprium, ſi transferatur ad tempus Paſchale; vide dicto lib. 5. part. 3. in ejus 1. part. cap. 2. num. 7.

4 Eccleſia Romana viridi colore utitur in Paramentis ſacris ab Octava Epiphaniæ, uſque ad Septuageſimam; & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive in Officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, in qua colorem adhibet album, ratione feſti occurrentis; ex Rubr. gen. Miſ. tit. 18. n. 2. Exceptis item Dominicis infra Octavas tempore præfato occurentibus, in quibus color Octavarum ſervatur, ſeu color competens feſto habenti Octavam: quia tota Octava eſt unum, & idem feſtum, quo ad hujuſmodi Ritus. Gavant. *in Rubr. Miſ. tit. 18. num. 2. lit. b.* Exceptis etiam Vigiliis, in quibus eſt jejunium, & Quatuor temporibus. *Rubr. gen. Miſſæ tit. 18. num.* 4. in quibus color violaceus uſurpatur, ex Rub. cit. num. 5. Rationem vero, ex qua tempore poſt Pentecoſtem color viridis adhibetur, aſſignavimus hoc tr. 2. lib. 2. part. 2. in ejus 1. part. cap. 2. num. 4.

PARS II.

LIBRI VI. TRACTATUS II.

NOTANDA

Certis Hebdomadibus, atque diebus poſt Pentecoſtem.

PROŒMIUM.

1 POST tempus Paſchale, ſeu poſt Octavam Pentecoſtes uſque ad Adventum intercurrant ad minimum hebdomadæ, & Dominicæ viginti tres. Dixi: *ad minimum*: quia aliquoties plures numerandæ, & adden-

dæ

dæ ſunt: ut notavimus hoc tr. 1. lib. 2. par. 1. in ejus 1. par. c. 1. Numquam tamen plures ſunt viginti octo. Illæ autem, quæ addendæ ſunt, ſumuntur ex Dominicis, quæ ſuperfuerunt poſt Epiphaniam in hujuſmodi caſu: & additio fit poſt Dominicam vigeſimam tertiam Pentecoſtes, modo explicando hic, ubi de Dominica XXIV. poſt Pentec. ſect. 1. Cauſa vero hujus varietatis eſt mobilitas Paſchæ, a qua pendet Pentecoſte: quo enim propius, vel remotius occurrit Paſcha, eo maturius, vel ſerius celebratur feſtum Pentecoſtes, & conſequenter eo plures, vel pauciores a Pentecoſte ad Adventum (cujus initium eſt in Dominica proximiori feſto Sancti Andreæ Apoſtoli: vel quæ venerit in ipſo ejuſdem laudati Sancti feſto: quemadmodum notavimus hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 1. n. 2.) occurrunt hebdomadæ, atque Dominicæ, ut per ſe patet. Cum autem parte 1. præcedenti notaverimus ea, quæ ad Inſtitutum noſtrum notanda occurrunt in genere a Dom. I. poſt Pentec. uſque ad Adventum excluſive; nunc poſteriori hac parte agere oportet de notandis in particulari certis hebdomadibus, atque diebus præfati temporis; quapropter ſit

CAPUT I.

Not. in Hebdomada I. poſt Pentecoſtem.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. I. poſt Pentec.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS IV.

Sect. I. *De Inſtitutione, & obſervantia feſti SS. Trinitatis.*
Sect. II. *De Hor. Canon.*
Sect. III. *De Miſſa.*
Sect. IV. *Not. in Eccleſia ubi celebratur Octava S.S. Trinitatis.*

SECTIO I.

De Inſtitutione, & Obſervantia feſti SS. Trinitatis.

1 FESTUM SS. Trinitatis, jam olim celebrari cœpit in particularibus Provinciis, ſeu Eccleſiis, ut Alexander III. refert in c. 2. *de feriis*. Vid. Bened. XIV. *de feſt. Dom. c.* 12. Bened. Plazza *devot. vindic. par.* 2. *c.* 8. *n.* 19. Cavaler. *Comment. in decr. S.C.R. to.* 2. *c.* 17. *n.* 3. ac duabus ſequentibus; & ſumitur ex Ruperto, quem infra laudabimus, ex Durando *in Ration. divin. Offic. lib.* 6. *c.* 114. & Micrologo *c.* 60. Radulphi tempore in Romana etiam fuiſſe Eccleſia celebratum, conſtat ex ejuſdem lib. *de Canon. obſerv. propoſit.* 16. prope finem; obiit autem laudatus Scriptor anno milleſimo quadringenteſimo tertio. Et quidem Joannem XXII. qui obiit anno 1334. voluiſſe in Romana Eccleſia celebrari, tradunt Summa Piſana verbo *feriæ* §. 3. Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *n.* 1. Plazza l. cit. & alii apud Benect. XIV. l. cit. fine; Et hanc eſſe ſententiam communem, teſtatur Cavaler. l. cit. n. 5. contra Arnoldum Monachum Benedictinum, qui in ſuo opere, quod inſcripſit *Lignum vitæ*; ut refert Gavant. *in Rub. Miſſ. part.* 4. *tit.* 12. *n.* 1. *fine*: ſcripſit lib. 5. hoc feſtum inſtituiſſe Gregorium IV. qui obiit anno 828. Verum hic de manifeſta arguitur falſitate. Vide Caval. l. cit. n. 3. & ſubſequ. Urbanus VIII. in ſua Conſtit. *Univerſa* pro Celebrat. feſtor. quam allegavimus

tr. 1.

tr. 1. l. 3. 1. Januar. n. 1. hoc feſtum enumerat inter ea, quæ ex præcepto univerſali colenda ſunt; cæterum ſemper celebratur in Dominica, in hac ſcilicet prima poſt Pentecoſten, ex Decreto ſupra laudati Pontificis Joannis XXII. & nos inferius aſſignabimus congruentiam.

2 Nota hic: hodiernum Trinitatis feſtum, non tam eſſe feſtum tanti myſterii, quam veluti recapitulationem honoris, & cultus Divinæ Triadi toto anno in univerſa Eccleſia exhibiti in omnibus Dominicis: ut animadvertit Suar. *de Relig. to.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 17. & Raynaud. *to.* 15. *par.* 1. *ſect.* 3. *pu.* 3. *de elect. Sanctor. n.* 19. In Eccleſia enim Romana dies Dominica ſpecialiter cenſetur dicata in honorem totius Trinitatis, ut notatur a Suar. l. cit. n. 16. Azor. *inſtitut. mor. par.* 2. *lib.* 1. *c.* 13. *qu.* 1. *fine*, & a nobis *tr.* 1. *l.* 2. in Dominica art. 1. n. 10. & 55. quia in Lege gratiæ ſicut expreſſius cognoſcitur Deus, pro ut in ſe eſt Deus Trinus, & unus: ita ad profitendam hanc fidem, & Deum Trinum, & unum expreſſius colendum, prima hebdomadæ dies, qualis eſt Dominica, ſpecialiter eſt deſtinata: & ideo aptiſſime noſtris temporibus ex Decreto Clementis XIII. inductum eſt, ut in Dominica dicatur Præfatio de Trinitate, ut notavimus in Dominica cit. nu. 55. Item ſemper dicitur Symbolum fidei, quo Trinitatem profitemur; rurſus in Officio de Dominica communiſſime Symbolum S. Athanaſii, quod præcipue circa myſterium Trinitatis verſatur; unde præſcribitur etiam recitari in hac ſpecialiori Trinitatis feſtivitate. Item in Dominicis in ordinario tempore non impeditis, ſcilicet a Dominica ſecunda poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam, & a tertia Dominica poſt Pentecoſtem uſque ad Adventum: *Rub. Brev. in Dom.* 1. *poſt Epiph.* in hujuſmodi, inquam, Dominicis non impeditis alio Officio, conſuevit recitari in Matutino octavum Reſponſorium de Trinitate. Imo olim in Dominicis nona Lectio erat de Trinitate: ut tradit Joannes Beleth *de Divin. Offic. c.* 121. *fine*, & etiam refert Azor. cit. qu. 1. circa medium, & ex Durando Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 13. *n.* 6. & in ea Reſponſorium erat, quod nunc eſt, & remanſit in Officio plurium Dominicarum, (ut ſignificavimus) videlicet: *Duo Seraphim*. Et alia item dicuntur myſterio Trinitatis convenientia. Omnes itaque Dominici dies ad peculiarem Trinitatis honorem inſtituti ſunt. Imo aliqui aſſerunt: quoslibet Chriſtianorum dies feſtos jure vocari poſſe, & eſſe Solemnia Trinitatis; vide Cavaler. l. cit. n. 2.

Hodiernum vero feſtum merito additum eſt ad majorem reverentiam Trinitatis, & ut expreſſior memoria tam in Officio toto, quam in Concionibus hujus myſterii fieret. Dicit etiam Raynaudus l. cit. hodie celebrari Commemorationem reſerati in Lege gratiæ myſterii Trinitatis ſtatim a Pentecoſte; id ipſum indicat Rupertus, ut modo infra videbimus.

Animadvertit autem idem Raynaudus, in Eccleſia particulari, cujus Titulus ſit Auguſtiſſima Trinitas, (an, & quomodo SS. Trinitas eſſe valeat alicujus Eccleſiæ, vel loci Patrona? Vid. Cavaler. to. 1. c. 2 a n. 7.) non fieri ſolam, & ſimplicem Commemorationem beneficii manifeſtatæ Trinitatis, neque recollectionem cultus toto anno, præſertim omnibus

Do-

Digitized by Google

Dominicis, exhiberi SS. Trinitati: ſed diem directe, ac per ſe videri Sanctiſſimæ Triadi feſtivum: ſicut eidem inſcripta eſt Eccleſia ſub hoc titulo conſecrata; proptereaque ibi ſolemnitatem feſti hujus maximam eſſe.

3 Qu. hic. Quare hoc feſtum Trinitatis celebretur in Dominica iſta prima poſt Pentecoſtem?

R. Quia tantum myſterium promulgatum eſt, & reſeratum mundo ſtatim poſt Pentecoſtem, & Adventum Spiritûs Sancti; ita Rupertus *de Div. n. Offic. lib.* 11. *c.* 1. ubi hæc habet initio: *celebrata ſolemnitate de Adventu Sancti Spiritus, ſtatim e veſtigio gloriam Sanctæ Trinitatis, Dominicæ ſubſequentis Officio, recta diſpoſitione concinimus; videlicet, quia poſt Adventum ejuſdem Spiritus Sancti prædicari ſtatim, & credi, & in Baptiſmo celebrari cœpit fides, & Confeſſio nominis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Conſentit Thophilus Raynaudus l. ſupra cit. ubi, inquir, quod prædicta Trinitatis feſtivitas fuit *Congrue indicta eo tempore, quo jam conſtituta in Pentecoſte lege nova, & Eccleſia Chriſtiana, Luna myſtica, per elevatum Solem noſtrum, ſtante in ordine ſuo, obſignatis omnibus ad Chriſtum attinentibus myſteriis, reſerata eſt Auguſtiſſimæ Trinitatis notitia, quæ in lege veteri non niſi per umbras, & valde obſcure fuerat propoſita, ſecus quam in lege nova, in cujus veſtibulo auditum eſt hoc myſterium, juſſis Apoſtolis baptizare, atque adeo in hanc Eccleſiam admittere fideles tinctos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Idque eſſe, quod Pſaltes ajebat Pſ.* 107. Exaltare ſuper Cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. *Agnoſceris tunc, & glorificaberis, ut Unus, & Trinus*; *S. Auguſtinus obſervavit tract.* 100. *in Joan. eodem aptans qu.* 154. *in Exod. illud*: cum tranſierit gloria mea: *poſt digreſſum filii mei e terra me videbis*. Hæc Raynaudus. Aliæ inſuper quædam aliorum rationes de eo, quod feſtum hoc fuerit addictum Dominicæ primæ poſt Pentecoſtem, videri poſſunt apud Caval. *to.* 2. *c.* 17. *n.* 6.

4 Nota denique hic: Imagines Sanctiſſimam Trinitatem repræſentantes ſub certis formis licitas eſſe, nempe quæ Deum Patrem continent in forma Senis, in cujus ſinu ſit Chriſtus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ. Vel imagines, in quibus ſeorſim Deus Pater in forma hominis ſenis, & ſeorſim Chriſtus, ſed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ. Bened. XIV. *to.* 1. *Conſtitut.* 141. *incip. Solicitudini*. §. §. 25. 32. & 36. Pingi etiam poteſt Pater ſolus ſeorſim ab aliis Perſonis. Item æternus filius ſeorſim a Patre, & Spiritu Sancto; & etiam ſub forma Agni. (pro qua figura Agni vide dicta in Sab. in Alb. n. 10.) Item Spiritus Sanctus, vel tamquam de Cœlo deſcendens die Pentecoſtes in figura Linguarum ignis; vel alias in Columbæ ſpecie, ſeorſum pariter ab aliis divinis Perſonis. Non tamen Spiritus Sanctus ſeorſim a duabus aliis perſonis humana ſpecie, ſeu Viri, ſeu Juvenis depingi poteſt, ſed hujuſmodi Imagines Spiritus Sancti ſub humana juvenis ſpecie damnantur, & reprobantur, ac removeri jubentur, Idem Bened. l. cit. §. §. 33. 36. & 37. Non licet SS. Trinitatem pingere in utero Beatæ Mariæ V. Id. ibid. §. 27. Nec ſub figura hominis tricipitis. §. 28. An autem ſub figura

ra trium hominum æqualium, & ſimilium? diſputatur. Idem ibid. §. 29. Imagines divinam perſonam repræſentantes ſub alia forma, quam quæ ab eadem aſſumpta fuerit, tolerari non debent. §. 22. ſub forma vero ab eiſdem aſſumpta depingi, & collocari etiam poſſunt in Templis: unde inter propoſitiones ab Alexandro VIII. damnatas eſt hæc 25. *Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*. Quo ad hæc videri etiam poteſt Azor. *Inſtit. moral. par. 1. lib. 9. c. 7. qu. 3.* Viva *in prædict. propoſ. Alex. VIII.* & La-Croix *lib. 3. par. 1. qu. 3. §. 1. n. 15.*

SECTIO II.

De Hor. Canon.

5 IN Dom. 1. poſt Pentec. recitatur Officium de feſto SS. Trinitatis. Eſt hæc Dominica major, & primæ Claſſis, eo quia quodcunque aliud feſtum occurrat, transfertur ob reſpectum feſti Trinitatis, quod celebratur in ea, ut infra indicabimus; ipſum vero feſtum Trinitatis, ſeu ritus Officii eſt duplex ſecundæ claſſis. *Rubr. gen. Brev. tit. 1. n. 1. & tit. 9. n. 3. ac 6. & tit. 10. n. 1. ac in duab. tabell. excerpt. ex Rubr. gen. Brev.* & videri poſſunt dicta hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 2. n. 1. Omnia, ut in proprio. Nona Lectio de Homilia hujus Dom. Et ejuſdem Commemoratio in Laud. & ſi occurrat feſtum ſimplex, fit etiam de eo Commemoratio in Laudib. ſine Lectione, etiamſi habeat in Brev. propriam. *Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 10.*

Ad Primam dicuntur tres Pſalmi, ut in feſtis, & dicitur Symbolum *Quicunque*. Rubr. gen. Brev. tit. 33. n. 2. In 2. Veſperis Pſalmi de Dominica cum Antiphonis tamen de Feſto Trin. ut in Laudib. Reliqua ut in 1. Veſp. feſti, & propr. ſique Commemoratio Dominicæ; de ſequenti autem feſto fit juxta Rubr. gener. de concur.

Licet ſectione præcedenti dixerimus: omnem Dominicam ſpecialiter cenſeri dicatam in honorem SS. Trinitatis, fit nihilominus in hac ſpecialiori Trinitatis ejuſdem feſtivitate occurrentis Dominicæ Commemoratio, quia in Officio Dominicali recolitur etiam Myſterium Reſurrectionis de quo tamen nulla, vel non ſufficiens memoria in hoc feſto Trinitatis habetur; ita Caval. *to. 2. c. 17. comment. in decr. 1. n. 7.* qui etiam dicit, id item fieri, quia in Officio Dominicæ non habetur S.S. Trinitatis expreſſa memoria, ſed ſolum occulta quædam, & latens; quemadmodum Vigilia ſolemnitatis omnium Sanctorum admittit ſuffragia, & Commemorationem ſimplicis, ſi quod occurrat in illa. Verum in Officio Dominicali ſufficientem haberi memoriam Trinitatis, oſtendunt dicta ſuperius n. 2. Alias inſuper rationes nonnullas aliorum refert diſpoſitionis prædictæ minus ſatisfacientes. Fortaſſe autem militat hic ratio generalis, quam ex eodem Cavalerio pro caſibus ſimilibus aſſignavimus in Dom. 2. Epiphan. n. 2.

Qu. hic: cur tam exiguus cultus 6
tam ſolemni Myſterio deputetur in hodierno Officio Eccleſiaſtico; eſt enim, ut diximus, duplex nonniſi ſecundæ claſſis, nec honoratur Octava.

℞. Aliqui quidem valde mirati ſunt hoc; & nominatim refertur Petrus Ruiz *in Cærem. Toletano*. Sed ratio videtur eſſe, quia, ut notavimus, ſect. præcedenti, recapitulatio

Digitized by Google

hodie, & refricatio honoris, & cultus Divinæ Triadi toto anno exhibiti peragitur potius, quam feſtum Trinitatis: ideoque minor ſolemnitas ſufficit quo ad univerſalem Eccleſiam. Et hanc rationem aſſignat Raynaudus l. ſupra laudato: ſimiliter Cavalerius *to.* 2. *c.* 17. *num.* 7. qui etiam animadvertit: tranſlationis periculum, quod huic Trinitatis feſto ab occurrentibus feſtis altioris ritus poterat obvenire, admodum convenienter ſubmotum extitiſſe, atque proſcriptum per privilegium excludendi feſta quæcunque.

In Eccleſia autem propria, puta cujus titulus ſit SS. Trinitas, hujus feſti ſolemnitas eſt quidem maxima, ut ex Raynaudo dicebamus ſect. præc. Ideo ibi eſt duplex primæ claſſis cum Octava, juxta Rubricas generales, & indicant decreta S.C.R. Vid. dicenda ſect. 4.

SECTIO III.

De Miſſa.

7 In feſto SS. Trinitatis dupl. 2. cl. Miſſa propr. Comm. Dom. 1. poſt Pentec., & ſi occurrat feſtum ſimplex, fit item de eo Commemoratio in Miſſa privata. *Credo*, Præf. de Trinitate. In fine Miſſ. Ev. Dom. Color. Param. albus, ex Rubr. gener. Miſſ. tit. 18. nu. 2. Putat Didacus Avendanus apud Gobat *tr.* 3. *n.* 731. *in Append.* convenire, caput inclinare, ubi nominatur SS. Trinitas in ejus Miſſa. Non contradicit La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 69. §. 2. *n.* 481. admittit Gobat, ſi uſus adſit.

8 Nota hic: quod ab hac Dominica reſumitur Præfatio de Trinitate dicenda in qualibet Dominica, quando non occurrit Præfatio propria, ſecundum dicta tr. 1. l. 2. in Dominica art. 4. n. 55. & 56. An, & quale peccatum ſit, non dicere Præfationem propriam, ſed communem; & an debeat ſuppleri, ubi error advertatur? Examinavimus in Domin. Reſurrect. art. 3. qu. 1. & 2.

SECTIO IV.

Not. In Eccleſia ubi celebratur Octava SS. Trinitatis.

9 Ubi *feſtum SS. Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam Octavam, ſive Officium fiat de Octava, ſive de alio feſto occurrente, Symbolum S. Athanaſii, ſed ſolum in ſolemni feſto SS. Trinitatis, & in die Octava ejuſdem.* S. R. C. 5. Maji 1736. in Einſidlen. apud Caval. *to.* 2. *c.* 17. *d.* 3. qui animadvertit, diſpoſitionem recitati decreti procedere non ſolum, ubi Trinitas eſt Titulus, verum etiam ubi Trinitatis feſtum quolibet ex ratione habeat Octavam. Ratio autem diſpoſitionis præfatæ videri poteſt apud eumd. ibid. *comment. in praced. Decr.* 2. *n.* 5. (quod eſt ſimile huic) a S.R.C. editum 8. Junii 1709.

10 *Diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam feſti SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſt Officium de die ſecunda, & tertia infra Octavam Corporis Chriſti cum Commemoratione SS. Trinitatis.* S. R. C. 8. Junii 1709. in Bracharen. apud Caval. *to.* 2. *c.* 17. *d.* 1. & apud Merat. *to.* 2. *ſect.* 3. *c.* 8. *n.* 7. & *ſect.* 6. *c.* 19. *n. un.* Poſt declarationem hujuſmodi deferenda eſt oppoſita Gavanti, & aliorum opinio, cui ſi forte aliquando fuerit ejuſdem Sacræ Congregationis declaratio favens, per allegatam præſentem di-

cenda

Digitized by Google

cenda eſt revocata. Corrigenda etiam venit Rubrica in Octavario Romano præferentiam tribuens præfatis diebus, ſextæ, & ſeptimæ, quæque in eodem pro his lectiones exarantur, ſunt expungendæ. Et vero, ut animadvertit Cavalerius l. cit. n. 4. Octava Corporis Chriſti eo donata eſt privilegio, ut ſolum duplicia admittat Officia, & reſpuat ſemiduplicia; cum autem dies infra Octavam Trinitatis ſint ritus tantummodo ſemiduplicis, taleſque, ut occurrenti feſto etiam cederent ſemiduplici, quomodo umquam contra Octavam Corporis Chriſti poterant prævalere? Videri etiam poteſt Meratus l.l. cit. Major Octavarum ſimul occurrentium dignitas unde petenda ſit? Explicavimus tr. 1. 14. Januar. n. 12.

11 In laudatis Eccleſiis diebus iiſdem, ſcilicet feria ſexta, & Sabbato, cum fiat Officium SS. Corporis Chriſti; Præfatio item erit de Nativitate, propria feſti Corporis Chriſti; ſed etiamſi fiat de aliquo feſto non habente Præfationem propriam, dicenda eſt in Miſſa prædicti feſti occurrentis Præfatio correſpondens Officio, quod celebraretur, ſi tale feſtum non occurreret: ut ſtatuit Meratus *to. 1. par. 4. tit. 11. n.* 33. fine, & cum Gugeto Cavaler. *to. 5. c. 14. n. 14. & 36.* ubi etiam docet: in die tamen Octava Trinitatis recitandam eſſe in dictis Eccleſiis Præfationem Trinitatis, de qua erit Officium, & Miſſa, ratione ritus duplicis prævalentis ad Dominicam infra Octavam Corporis Chriſti; & ſimiliter ſi de die Octava Trinitatis fieret ſola Commemoratio ratione occurrentis alicujus feſti duplicis 1. vel 2. claſſis.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. I. Pentec.

SECTIO UNICA.

De Hor. Can. & Miſſa.

Si Officium ſit de feria, omnia dicuntur ut in Pſalterio cum Oratione præcedentis Dominicæ, *Deus in te Sperantium*. Rubr. Brev. hic. 12

Hac nocte ponuntur libri Regum, 13 ſeu ad 1. Nocturnum Lectiones de Scriptura incipiunt eſſe de libris Regum: qui libri ſunt quatuor: & de his legitur uſque ad Dominicam I. Auguſti. Adveniente autem Dominica prima Aug. ſi quid de his libris ſuperſit, omittitur, ut legatur de Scriptura, quæ ponitur menſe Auguſti. *Rubr. gen. Brev. tit.* 26. *n.* 8. ob rationem aſſignatam hoc lib. 6. par. 1. c. 1. n. 3. ubi etiam innuimus quænam hic dicatur Dom. I. Auguſti? & melius explicabimus in Sabbato poſt Dom. VI. Pentec. Hodie igitur Lectiones de Scriptura ſunt initium libri primi Regum. Quod ſi occurrat feſtum habens lectiones proprias primi Nocturni; prædictum initium reponatur prima die ſimiliter non impedita: juxta Rubr. gen. de qua nos tr. 1. l. 2. in Dominica art. 2. n. 29.

Si Officium admittat, fiant Suffragia, ſeu Commemorationes Communes Sanctorum, quæ ab hac feria reſumuntur, ut notavimus hoc lib. 6. par. 1. c. 1. n. 5. 14

In Miſſa reſumitur Præfatio Communis, ſi propria non occurrat; & alia ſerventur notata hoc lib. 6. par. 1. c. 2. 15

Pro his, quibus favet, notamus 16 ſequens Decretum S. C. R. *An feria*

ſecunda poſt feſtum SS. Trinitatis, in qua tamquam in ſede perpetua, & propria quotannis celebratur ſolemnitas SS. Myſterii uti Titularis, debeat cantari Miſſa ſolemnis de SS. Trinitate cum Gloria, *&* Credo *ratione rei gravis ob concurſum Fidelium; licet ipſamet feria 2. impedita ſit feſto duplici, dempto claſſi.o? Reſponſum fuit*: Pro gratia: 8. Martii 1738. in una Ulixbon. Occident. pro Confraternitate Clericorum ſæcularium in Eccleſia Regii Noſocomii. In opere Merati in 2. Append. Decret. Miſſ. n. 826.

ARTICULUS III.

Not. Fer. IV. Poſt Dom. I. Pent.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Jejunio.*
Sect. III. *De Indulg.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

17 IN Martyrologio ad Primam primo loco moneatur feſtum SS. Corporis Chriſti. Veſperæ de ſequenti feſto SS. Corp. Chriſti dupl. 1. cl. ut in propr. Hymn. Complet. terminatur *Jeſu tibi qui natus*.

Etſi anticipetur ad hanc diem jejunium Vigiliæ Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, ſi illa venerit in feſt. Corp. Chr. ut mox dicemus ſect. ſeq. non anticipatur tamen Officium, & Miſſa de Vigilia prædicta, ſed in eo caſu omittitur omnino, ut diximus tr. 1. 22. Junii n. 2.

SECTIO II.

De Jejunio.

SI cras occurrat Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ; jejunium, ob reſpectum feſti Corporis Chriſti, anticipatur, fitque hodie, ſecundum dicta tr. 1. 23. Junii art. 3. nu. 11. ubi etiam qu. 4. docuimus: id ipſum licere, ſi alicubi occurrat aliquod aliud jejunium in eodem feſto SS. Corp. Chriſti. 18

Quæri poteſt: cur pridie SS. Corporis Chriſti non ſit præſcriptum jejunium, quod pridie plurium feſtorum minus ſolemnium cæteroqui videmus indictum? Ad hujuſmodi autem quæſtionem bene reſpondet Cavalerius *tom.* 2. *cap.* 15. *in dec.* 1. *n.* 13. dicendo: *Leodii, ubi primum hoc feſtum celebrari cæpit, cum Vigilia, & Jejunio fuiſſe indictum per Robertum ejuſdem Civitatis Epiſcopum in Synodo anni* 1246. *ſicut teſtatur Grancolas* Comment. ad Brev. Rom. lib. 2. cap. 8. *ubi aſſerit, id ipſum præſcriptum extitiſſe in Concilio Senonenſi can.* 1. *Pariſiis habito anno* 1319. Statuimus, atque ordinamus, ut quarta feria præcedente feriam quintam poſt Octavam Pentecoſtes, qua ſummi, & magnifici Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretioſi Corporis, ſe ab eſu carnium abſtineant, & jejunent, omnibuſque jejunantibus quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia duximus concedendos. *Subdit itidem idem Auctor, Urbanum IV. univerſim hanc Vigiliam jejunandam eſſe præcepiſſe; at unde id ſumpſerit, cum Bulla Urbana jejunii nullam mentionem agat, ſe ignorare fatetur Pittonus tom.* 1. *de Oct. num.* 482. 19

482. *Ut tamen res iſta ſit, certum eſt, quod Eccleſiæ univerſali nulla lex eſt hujuſmodi jejunii, ſive quia nullum reipſa Decretum extiterit editum, vel quia moribus utentium non fuerit receptum, quidquid ſit de obligatione, quæ particularia loca afficere poteſt ratione Synodorum Provincialium, aut Diœceſanarum, ſeu legitimæ conſuetudinis. Nulla autem lex jejunii univerſalem premit Eccleſiam, quia feſtum Corporis Chriſti non eſt antiquioris inſtitutionis, uti cætera feſta, quæ jejunio præveniuntur; Vigilias enim, quæ jam in uſu erant, dumtaxat retinuit, & nullas de novo invexit Eccleſia, haud arbitrata in hac ſeneſcentis ſæculis fæce, in quo refrigeſcit charitas multorum, ulterius oneris eſſe imponendum*. Hæc Cavalerius. Cæterum ad jejunandum quidem alliciunt Pontifices Indulgentiarum conceſſione theſauri, ut ſtatim ſect. ſequ. notabimus.

SECTIO III.

De Indulgent.

20 MARTINUS V. Conſtitut. *Ineffabile Sacramentum*. 26. Maji 1429. conceſſit dies centum Indulgent. vere pœnitentibus, & confeſſis, in pro feſto, ſeu die præcedente ſolemnitatem Corporis Chriſti, jejunium, vel loco illius, aliud pium juxta ſuorum conſilia Confeſſorum, opus fecerint. Quam indulgentiam duplicavit Eugenius IV. Conſtit. 6. *Excellentiſſimus* tom. 1. Bullar. Cherub.

Indulgentias autem conceſſas intervenientibus primis Veſperis feſti SS. Corporis Chriſti notabimus ſequenti die n. 33.

ARTICULUS IV.

Not. Fer. V. poſt Dom. I. Pentecoſt.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *Not. in feſto SS. Corporis Chriſti.*
Sect. II. *Not. infra Octav. in genere.*

SECTIO I.

Not. in feſto SS. Corporis Chriſti.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS IX.

Subſ. I. *De Inſtitutione, & obſervantia feſti.*
Subſ. II. *De Horis Canonicis.*
Subſ. III. *De Miſſa.*
Subſ. IV. *Not. pro adminiſtratione Communionis.*
Subſ. V. *De Exequiis Defunctorum.*
Subſ. VI. *De Indulgentiis.*
Subſ. VII. *De Expoſitione Euchariſtiæ, & Proceſſione in feſto Corporis Chriſti.*
Subſ. VIII. *Not. tempore Interdicti localis generalis.*
Subſ. IX. *De Reſidentia Epiſcoporum.*

SUBSECTIO I.

De Inſtitutione, & Obſervantia Feſti.

SOLEMNITAS SS. Corporis Chriſti feſtiva univerſaliter ex præcepto. 21
Conſtat ex Conſtit. Urbani IV. incip. *Tranſiturus de hoc Mundo ad Patrem*: quæ extat tom. 1. pag. 118. Bullar. Cherub. edit. Rom. an. 1638. ex Typograph. Rev. Cam. Apoſt. Quam poſtea confirmavit, & in jure

re poſuit Clemens V. in *Clem. un. de Reliq.*, *& Venerat. Sanctorum*. In illa ergo diſtricte præcipitur hujus obſervatio feſtivitatis. Conſtat item ex Conſtit. Urbani VIII. pro obſervat. feſtor. incip. *Univerſa per Orbem:* quam allegavimus die 1. Januar. n. 1. in qua inter feſta ex gravi obligatione univerſali ſervanda recenſetur Solemnitas Corporis Chriſti.

Nota hic: Feſtum hoc, ex Suarez adnumerandum eſſe inter ea feſta, quæ majora dicuntur: tum quia, inquit, in Eccleſia non eſt receptum ut minus ſolemne, quam cætera quæ feſta majora dicuntur, (ut quidem patebit ex infra dicendis;) tum etiam quia in hoc feſto ſuſpenditur Interdictum locale generale; Ita ille *de Relig. tom. 1. tr.* 3. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. quem ſequitur Tancredi *de Relig. tr. 1. lib.* 3. *diſp.* 2. *n.* 37. Quid autem importet, eſſe feſtum majus. Vide 6. Januar. num. 3.

22 Qu. I. Quis inſtituerit ſolemnitatem hujuſmodi?

℟. Anno 1247. Leodii in Germania, ac tota ejuſdem Diœceſi, ex revelatione divinitus accepta a Beata Juliana Virgine Ciſtercienſis Ordinis; fuit primo inſtitutum feſtum SS. Corporis Chriſti, auctoritate Pontificia, Innocentii videlicet IV., & Urbani IV. qui fuerat Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ Leodienſis. Vid. Benedict. XIV. *de feſtis Dom. cap.* 13., *& tom.* 1. *Notific.* 5. *num.* 2. Chiavet. *Conſult.* 187. *n.* 8. Merat. *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 12. *n.* 3. Chriſtian. Lup. *tom.* 11. *edit. Venet.* 1729. *Differt. de Sacr. proceſſion.* Deinde idem Urbanus IV. in laudata Conſtitutione *Tranſiturus*; decrevit, ut ſolemnitas Corporis Chriſti per univerſam celebraretur Eccleſiam: certam quoque diem huic ſolemni memoriæ deſignavit, hanc videlicet quintam feriam poſt Octavam Pentecoſtes, ob rationes inferius explicandas. Conſtitutionem Urbanam confirmavit Clemens V. approbante generali Concilio Vienneſi eo decreto, quod extat in citata Clementina unic. *de Reliq.*, *& venerat. Sanct.* & tandem Joannes XXII. nova promulgatione iterum confirmavit; vide Merat. loc. cit.

Hujuſmodi autem inſtitutum tanta fide, & devotione populus amplexus eſt Chriſtianus, ut ab eo tempore nullum Domini feſtum majori ſolemnitate, ac devotione celebrari videatur. Jucundiorem porro hujus diei feſti cultum fecit publica, & ſolemniſſima totius Cleri ſupplicatio, ſeu Proceſſio. Quam inſtitutionem, & morem, ſive ab eodem Urbano IV. ſive occaſione miraculi cujuſdam reſpicientis mirabile Sacramentum Corporis Chriſti, inductum in populo fideli, (*Vide Benedictum XIV.* loc. cit.) approbavit ipſamet Synodus Tridentina Seſſ. 13. in Decreto *de SS. Eucharistiæ Sacramento* cap. 5. ubi prius definit: Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eodem cultu latriæ eſſe adorandum, quo ipſe Chriſtus colitur, cum ſit vere, ac realiter præſens; deinde ſubdit: *Declarat præterea Sancta Synodus pie, & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & feſto die præcelſum hoc, & Venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur, atque in Proceſſionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca pu-* bli-

blica circumferretur. Et ne ullo umquam modo minuatur popularis etiam hodierna lætitia, ob talem, ac tantam feſtivitatem: ſtatutum eſt Eccleſiaſticis generalibus Decretis, (vide dicta 23. Junii a num. 11.), quod occurente Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, ut quandoque accidit, in die feſto SS. Corporis Chriſti, anticipetur jejunium Vigiliæ prædictæ, Vid. Caval. *tom. 2. cap. 15. Comment. in Decr. 1. num. 2. & 3.*

23 Qu. II. Quænam congruentia inſtitutionis feſtivitatis hujus, ſolemnitatiſque prædictæ?

℞. Maxima quidem congruentia: ſufficiat duas rationes aſſignare ex ipſomet Concilio Tridentino erutas. Prima, *Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, & rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur*. Hæc ſunt verba Tridentini ſupracit. cap. 5. quibus explicatur prima ratio inſtitutionis hodiernæ feſtivitatis, ac ſolemnitatis; quam rationem ſignificat etiam Divus Thomas opuſc. 17. (alias 57.) ut facile videre eſt in prima lect. 2. nocturni feriæ ſextę infr. Octav. Corpor. Chriſti. Altera ratio ex eodem Concilio ibidem eſt, quia *ſic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant*. Quam rationem aſſignat etiam ipſe Pontifex Urbanus IV. in ſua ſupra laudata Conſtitutione *Tranſiturus*. §. *Licet*. initio. Sciendum enim eſt, non multo ante laudatum Pontificem, qui, ut dictum eſt, hanc ſolemnitatem per univerſam Eccleſiam primus celebrari præcepit: non multo, inquam, ante Urbanum IV. Sacramentariorum hæreſim exortam fuiſſe, auctore Berengario, eamque ſere toto illo tempore Petrobruſianos, Henricianos, Waldenſes, & Albigenſes defendere, & diſſeminare fuiſſe conatos. Jamvero contra novam impietatem, pientiſſimam, ac religioſiſſimam novitatem providus Eccleſiæ Paſtor invenit; ut notavit Suarez *de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 2. cap. 7. num. 4. fine*. Qui etiam addit, ſe exiſtimare, non ſine divina providentia factum eſſe, ut jam ex tunc præmuniretur Sancta Eccleſia contra futuros Novatores, Lutherum, Calvinum, & ſequaces. Notat inſuper eorum occaſione in dies inter Catholicos augeri devotionem, & obſervantiam feſtivitatis hujus.

24 Qu. III. Quare hęc ſolemnitas celebretur in feria 5.?

℞. Quia in feria 5. SS. Euchariſtiæ Sacramentum fuit inſtitutum. Nam Chriſtus Dominus illud inſtituit -- *Pridie quam pateretur*; paſſus eſt autem in Paraſceve, ſeu in feria ſexta. Ergo ec.

25 Qu. IV. Cur potius non celebretur in feria 5. Cœnæ? cum Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in ultima Cœna Paſchali, *pridie quam pateretur*.

℞. Rationem aſſignat ipſe Pontifex Urbanus IV. in laudata ſua Conſtit. *Tranſiturus*. §. *Licet*, ubi ſic: *In die namque Cœnæ Domini, quo die ipſe Chriſtus hoc inſtituit Sacramentum, univerſalis Eccleſia, pro*

Pœ.

Digitized by Google

Pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione Chriſmatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimum occupata, plane vacare non poteſt celebrationi hujus maximi Sacramenti. Hæc Pontifex. Adde, Eccleſiam tunc occupari maxime in recolenda memoria Paſſionis ipſius Chriſti, & ex morte ipſius eſſe mœrore confectam. Quæ ratio eſt Divi Thomæ *de Sacr. Altaris opuſc.* 11 (alias 57.) *tom.* 20. *oper. ejus edit. Pariſ. an.* 1660., ubi animadvertit, quod *Etſi in die Cœnæ, quando Sacramentum prædictum noſcitur inſtitutum, inter Miſſarum ſolemnia de inſtitutione ipſius ſpecialis mentio habeatur: totum tamen reſiduum ejuſdem diei officium ad Chriſti Paſſionem pertinet, circa cujus venerationem Eccleſia illo tempore occupatur. Ut autem integro Celebritatis Officio inſtitutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus Pontifex Urbanus quartus bujus Sacramenti devotione affectus, pie ſtatuit præſatæ inſtitutionis memoriam prima quinta feria poſt Octavam Pentecoſtes a cunctis fidelibus celebrari*. Ita Angelicus Doctor; Quam rationem laudat etiam Raynaudus *tom.* 7. *tr. de Oct. Paraſcev.* in Argumento n. 3., & Benedictus XIV. loc. cit. initio. Immo vero illam probavit Eccleſia; laudata enim verba leguntur in 1. & 2. lect. 2. noctur. feriæ ſextæ infra Octav. Corporis Chriſti.

26 Qu. V. Quare hoc feſtum translatum fuerit in hanc feriam 5. poſt Octavam Pentecoſtes?

℞ Ex ratione, quam aſſignat laudatus S. Thomas *cit. opuſc. de Sacram. Altar.* ubi lect. 5. docet, non alia de cauſa eſſe factum, quod hoc feſtum fuerit translatum in hanc feriam 5. poſt Octavam Pentecoſtes; quam *ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda diſcipulorum edocuit ad plane cognoſcenda hujus Myſteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari*. Hæc Divus Thomas; quæ in officio Eccleſiaſtico de Corpore Chriſti uſurpantur ab Eccleſia, nimirum lect. 2. 2. Nocturni feriæ ſextæ infra Octav. & proinde, non ut verba Divi Thomæ (quamvis eo ſolo etiam nomine maximi eſſent momenti): ſed ut ipſius Eccleſiæ ſenſum continentia, poſſunt admitti. Porro Auctor officii Corporis Chriſti fuit D. Thomas juſſu Urbani IV. (nonnullis deinde mutatis ex Decreto Pii V.) Vid. Benedict. XIV. loc. cit. fine. Merat. *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 4. Caval. *Comm. in Decr. S. C. R. tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. atque adeo ut obſervat Raynaudus *tom.* 6. *tr. de prima Miſſa. Sect.* 1. *cap.* 4. Conſiliorum Urbani in hoc negotio particeps. Dicit etiam Caval. loc. cit. n. 1. hoc feſtum celebrari poſt tempus Paſchale, ne lætitia Dominicæ Reſurrectionis per alteram hujuſmodi lætitiam veluti minuatur. In prima autem feria quinta, ne diutius tanti Sacramenti celebratio differatur.

SUBSECTIO II.

De Horis Canonicis.

SOLEMNITAS SS. Corporis Chriſti dupl. 1. cl. cum Octava; quodcumque feſtum hodie occurat, transfertur, ut explicabitur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 1. *num.* 1., & *tit.* 7. *n.* 3., 27

& *tit.*

tit. 9. num. 5., & tit. 10. num. 1. & in duab. tabell. excerp. ex rubr. gen. & in not. poſt tabellam occurſus in Brev. Officium ut in propr. Ad Primam in ℟. Br. *Qui natus es*. Rub. gen. Brev. tit. 28. num. 3. Hymni ad horas diurn., & Completorium terminantur. *Jeſu tibi ſit gloria*. *Qui natus es de Virgine*. Quamvis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Reſponſoriis brevibus addatur *Alleluja*, ad pleniorem lætitiam indicandam. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 5. cap. 14. num. 5.* non tamen adduntur ad Primam, & Completorium. *Rubr. gen. Brev. tit. 28. num. 5.* ob rationes aſſignatas 6. Januar. num. 27. Secundæ Veſp. de eodem feſto, ut in 1. Veſp. & prop.

28 Si hodie occurrat feſtum ſimplex, nihil fit de eo. *Rubr. Brev. hic*.

Si hodie occurrat Vigilia Nativit. S. Joannis Baptiſtæ, nihil fit de ea, ut notavimus 22. Junii n. 2.

Si Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, ſive aliud ex ſolemnioribus venerit in die Corporis Chriſti, officium S. Joannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque officio duodecim lectionum (nempe juxta ritum Romanum, novem lectionum) etiam impeditam, cum commemoratione Octavæ, ſed in ſecundis Veſperis ſit commemoratio tantum Sancti Joannis; cætera vero feſta ſolemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra Octavam in primam diem non impeditam. S. R. C. 23. Junii 1736. in *Einſidlen.* apud Caval. tom. 2. cap. 13. dec. 17. Itaque ſi aliquod feſtum ex ſolemnioribus videlicet 1. & 2. cl. (ut explicatur in Decreto 30. Maji 1699. vide dicenda Sect. 2. Subſ. 1. num. 58.) venerit in die Corporis Chriſti, transfertur infra ipſam Octavam, in primam diem non impeditam; Vid. Caval. *tom. 2. cap. 16. in dec. 6. num. 3., & 4.* Feſtum vero S. Joannis Baptiſtæ occurrens in die Corporis Chiſti transfertur, ſpeciali privilegio, in diem immediate ſequentem quolibet officio (inferioris dignitatis) impeditam. Vid. dicta 24. Junii num. 9. & Caval. loc. cit., ac Merat. *tom. 2. Sect. 6. cap. 20. num. 1.*

SUBSECTIO III.

De Miſſa.

IN Solemnitate SS. Corporis Chriſti dupl. 1. cl. Miſſa propria; dic. Sequentia. *Credo*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 11., & Præfatio tantum Nativit. Color. parament. alb. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 18. num. 2.* An ubi nominatur *Sacramentum*, inclinandum ſit caput? vide in Appendice ad calcem Diarii cap. 3. num. 25. Si occurrat feſtum ſimplex, nulla commemoratio de eo habetur. Si occurrat Vigilia Nativitat. Sancti Joannis Baptiſtæ, nil fit de ea, uti notavimus 22. Junii num. 2. 29

Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*, apud Merat. ind. Decret. Miſſ. n. 80. 30

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet; poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto; excipitur tamen dies SS. Corporis Chriſti. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 6.* Et nonnulli alii dies ſuis locis notati.

An & quale peccatum ſit, omittere Sequentiam, aut non dicere Præfationem propriam? Rurſus: an qui omiſit ex oblivione, debeat deinde ſupplere? examinavimus in Dominica Reſurrectionis artic. 3. de Miſſa qu. 1., & 2., vide ibi dicta, & eodem articulo 3. n. 19. nonnihil notavimus de Sequentia.

SUBSECTIO IV.

Not. pro adminiſtratione Communionis.

31 IN Feſto Corporis Chriſti, & infra Octav. quando miniſtratur Communio extra Miſſam, tum Antiphonæ: *O ſacrum Convivium*: tum ℣. *Panem de Cœlo:* Et ℟. *Omne Delect.* additur *Allel.*: quemadmodum tempore Paſchali addendum eſſe notavimus lib. 1. par. 1. cap. 1. num. 1. ut docet Meratus *tom.* 1. *par.* 2. *cit. tit.* 10. *num.* 33., & Caval. *tom.* 4. *cap.* 4. *in dec.* 13. *num.* 30., *&* *tom.* 5. *cap.* 24. *num.* 36. Id quidem Rituale Rom. Pauli V. non habet; ibi enim tit. de ordine adminiſtran. ſacram commun. ſermo tantummodo eſt de tempore Paſchali. Sed plane id eruitur ex Inſtructione Clementina pro Expoſitione, & repoſitione SS. Sacram. in qua §. 31. præſcribitur, ad ℣. *Panem de Cœlo:* addendum eſſe *Alleluja* tempore Paſchali, *&* *infra Octavam Corporis Chriſti*. Porro feſtum hoc SS. Corporis Chriſti, ſeu SS. Sacramenti Euchariſtiæ fere imitatur ſolemnitatem Paſchalem quoad multiplicandum *Alleluja*; fortaſſe quia Cœna Paſchalis eſt: cujus nunc recolitur prima inſtitutio; & ad indicium ſolemnitatis maximæ, ingentiſque gaudii exultantis Eccleſiæ; ut obſervat Caval. *tom.* 4. *cap.* 9. *comment. in Decr.* 2.

SUBSECTIO V.

De Exequiis Defunctorum.

SI quis moriatur in feſto Corporis Chriſti, nullæ ſunt Exequiæ publicæ celebrandæ de mane, nec conſuetum ære campano emortuale ſignum edendum; ſed officium, & preces recitentur ſub Veſperum, vel Cadaver in craſtinum reſervetur, ob excellentiam feſti, ſolemnitatemque diei. Vid. dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 8. art. 6. 32

SUBSECTIO VI.

De Indulgentiis.

IN feſto Corporis Chriſti, & per Octavam poſſunt acquiri Indulgentiæ quamplurium dierum, quas ab antiquo Summi Pontifices conceſſerunt, ut innuunt Azorius *Inſtit. Moral. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 14., & Suar. *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7. & notat Plazza *de Purgator. part.* 2. *art.* 5. §. 19. *num.* 79. & Caval. *Comment. in Decr. S. C. R. tom.* 2. *cap.* 16. *in dec.* 3. Et quidem Urbanus IV. qui, ut initio diximus, hoc feſtum per univerſam præcepit Eccleſiam, conceſſit plures Indulgentias, quæ explicantur in ſuperius laudata Conſtitutione *Tranſiturus*. §. 4. ubi hæc habet Pontifex: ***Nos*** *enim Chriſti fideles ad colendum tantum feſtum, & celebrandum, donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, inter-* 33

Digitized by Google

interſuerint, centum; qui vero Miſſæ, totidem; qui autem in primis ipſius feſti Veſperis interſuerint, ſimiliter centum; qui vero in ſecundis, totidem; Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii officiis interſuerint, pro qualibet Horarum ipſarum, quadraginta. Illis autem qui per octavas illius feſti, Matutinalib., Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum officiis interſuerint, centum dies, ſingulis Octavarum ipſarum diebus, in Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. De indulgentiis hujuſmodi ab Urbano IV. conceſſis meminit S. Thomas opuſc. 17. (alias 57.) ſuperius laudato, dicens lect. 6. *Ut autem prædicta quinta feria, & per octavas ſequentes; ejus ſalutaris inſtitutionis honorificentius agatur memoria, & ſolemnitas de hoc celebrius habeatur; loco diſtributionum materialium, quæ in Eccleſiis Cathedralibus largiuntur aſſiſtentibus horis Canonicis nocturnis, pariterque diurnis, præfatus Romanus Pontifex Urbanus IV. eis, qui hujuſmodi horis in hac ſolemnitate perſonaliter in Eccleſiis interfuerint, ſtipendia ſpiritualia, Apoſtolica largitate, conceſſit, quatenus per hæc fideles ad tanti feſti celebritatem avidius, & copioſius convenirent. Omnibus igitur vere pœnitentibus ec.*

Has indulgentias confirmavit in Concilio Viennenſi Clemens V. *Clement. unic. de Reliqu. & venerat. Sanctor.* & deinde Martinus V. 26. Maji 1429. Conſtitut. 12. *Ineffabile Sacramentum*. §. 2. illas duplicavit, & ſimul addidit centum alios dies Indulgentiæ pro jejunantibus, aut facientibus aliud opus pium in Vigilia hujus feſtivitatis, ut notavimus heri Sect. 3. Item centum dies devote communicantibus in ipſo feſto; item continuo comitantibus Proceſſionem SS. Sacramenti, & Presbyteris devote celebrantibus Miſſam in feſto & per ſingulos dies octavæ pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ. Atque has omnes a Martino conceſſas Indulgentias duplicavit, & auxit Eugenius IV. Conſtit. 6. *Excellentiſſimum* tom. 1. Bullar. Cherub.

Animadvertit Plazza n. 79. Indulgentias prædictas, etſi non plenarias, debere tamen magni fieri, tum ob reſpectum Concilii Viennenſis, & tot veterum Summorum Pontificum, qui illas conceſſerunt vel approbarunt; tum etiam quia ſunt ex iis quæ ſecurius valeant obtineri, ſpectata ſuamet ipſarum moderatione, & finis ſublimitate, ad quem aſſequendum impertitæ fuerunt: nimirum ad augendam in Chriſtiano populo debitam venerationem erga tantum, ac tale Sacramentum.

Indulgentias pro feſto Corporis Chriſti conceſſas acquiri etiam, dum infra eamdem Octavam officium de feſtis agitur, declaraſſe Joann. XXII. teſtatur Gavantus, & Bauldry allegati a Cavaler. ſupracit. numer. 1. qui obſervat merito id elargitum, quia adhuc in augmentum ſolemnitatis deſerviunt: & aliter fideles iiſdem non ſemel defraudati venirent, & eorumdem concurſus propterea frigeſceret. Item laudatus Martinus V. eadem Conſtit. cit. conceſſit, Indulgentiarum pro ſolemnitate Corporis Chriſti elargitarum eſſe quoque participes Epiſcopos, alioſque Prælatos Superiores, qui libenter ſupradictis officiis intereſſent, ſed quominus eis poſſint in ipſis Eccleſiis

intereſſe, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, & alias tunc legitime ſint impediti.

34 Præter explicatas autem Indulgentiarum conceſſiones antiquas univerſales; ſunt & aliæ, quæ deinde acceſſerunt, ſed particulares locorum, ſeu Eccleſiarum particularium, vel perſonarum. Teſtatur La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *qu.* 191. *num.* 1374. *fine*: quibuſdam locis eſſe conceſſum, ut qui interſunt officiis Divinis in feſto, & per octavam Venerabilis Sacramenti, tum in feſto, tum ſingulis diebus Octavæ indulgentias conſequantur. Loquitur autem proculdubio de Indulgentiis plenariis, aut de conceſſis ab Epiſcopis in ſuis ipſorum Diœceſibus; etenim non plenarias Pontificias, jam conſtat ex ſuperius dictis, quamplures fuiſſe conceſſas etiam univerſaliter, ſingulis quoque diebus octavæ feſtivitatis hujus omnibus, & ſingulis, qui horis Canonicis, ſeu divinis officiis intereſſent, ſive alia præſtarent opera pia ſuperius indicata.

35 Nota hic ex Gloſſa in ſuperius cit. Clement. in fine litt. b. verb. *in Eccleſia*. Indulgentiam ſupradictam conceſſam iis, qui interſuerint horis Canonicis, non lucrari eos, qui extra Eccleſiam ſtant, & inde audiant. Quod admittit Bardi *in Bullam Cruc. part.* 2. *tr.* 4. *cap.* 4. *Sect.* 4. *num.* 5. & rationem dat, quia ibi Pontifex exigit præſentiam, ſeu aſſiſtentiam; hæc autem ſtricte ſumitur, ubi ſermo eſt de Horis Canonicis.

Sed quid dicendum de Monialibus, ſi recitent, aut aſſiſtant horis Canonicis in loco poſt Altare, ſeu ad latus illius, quem in ſuis Clauſtris habere ſolent, ut ibi conciones audiant, vel etiam aliquando divinum perſolvant officium? Et ſimiliter de extraneis, qui in Monialium templo præſentes audiant illas recitantes officium loco prædicto? Ratio dubitandi eſt, quia locus hujuſmodi non videtur ad Eccleſiam pertinere, cum ſit ſolum, ut Tamburinus dicit loco ſtatim allegando, ad majorem ipſarum Monialium commoditatem. Reſpondeo, Moniales exiſtentes in hujuſmodi loco eſſe moraliter preſentes in Templo, concedit Th. Tamburinus *in decal. lib.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 13. Qui inde infert: Moniales a loco prædicto poſſe viſitare Altare Templi, quandocumque Altaris viſitatio, ad lucrandam indulgentiam aliquam, requiratur. Id autem dicit ex ſuppoſitione quod, ubi ad Indulgentiam aliquam exigitur Viſitatio Templi, ſufficiat præſentia ſola moralis in Templo. Quç tamen non ſufficit in præſenti caſu, in quo opus injunctum eſt aſſiſtentia horis Canonicis recitatis in Templo, ad quam requiritur præſentia phyſica, ut dictum eſt; atque adeo ſi Moniales in prædicto loco Monaſterii exiſtentes, non ſint in Templo, niſi ſolum moraliter, neque ipſæ, quæ ibi officium recitant, neque alii, qui etiam exiſtant in Templo, audiantque Moniales in loco illo perſolventes officium, prædictas indulgentias conſequentur, quæ conceduntur aſſiſtentibus *phyſice* horis Canonicis publice perſolutis a Clericis, vel Regularibus exiſtentibus *phyſice* in Templo.

Verum videtur, prædictum locum etiam phyſice pertinere ad Eccleſiam, atque adeo eos, qui in Templo phyſice exiſtentes audiant Moniales perſolventes officium Canoni-

cum

eum in loco prædicto, prædictas indulgentias lucrari, & Moniales ipſas ſimiliter eaſdem conſequi in eodem loco prædicto canentes, ſive aſſiſtentes officio.

Probatur ex eo, quia etiam Regulares, atque adeo Moniales, quæ ſive ex conſuetudine, ſive etiam ex præcepto Regulæ teneantur divinum officium in Choro, ſeu in communi perſolvere; tenentur illud perſolvere *in Eccleſia*, in qua phyſice exiſtant: ut ex conſuetudine, & ex jure, & ratione probant paſſim Theologi Morales, ubi de loco, in quo publice ſit divinum perſolvendum officium. Atqui Moniales etiam illæ, quæ ex præcepto regulæ, ſive ex conſuetudine tenentur, divinum officium publice recitare, ſeu in Communi, & in Choro perſolvere, ſatisfaciunt hujuſmodi obligationi, etiam illud perſolvendo in loco prædicto: ut fatetur Tamburinus loc. cit. Ergo locus prædictus reputatur phyſice ad Eccleſiam pertinere. Ergo tum Moniales ibi recitantes officium, tum alii extranei tali aſſiſtentes officio, dum phyſice manent in Templo, prædictas indulgentias conſequuntur; quemadmodum ſi Moniales idem officium perſolverent in loco illo, qui communiter, & vulgo dicitur Chorus.

Quod autem prædictus locus dicatur concedi, haberique a Monialibus ad majorem commoditatem earumdem: non eſt, cur illud obſtet, quominus idem locus ad Eccleſiam Monaſterii phyſice pertinere dicatur.

SUBSECTIO VII.

De Expoſitione Euchariſtiæ, & Proceſſione in feſto Corporis Chriſti. Agitur §§. VI.

§. I. *Quod jus faciendæ hodie Proceſſionis ſpectat privative ad Cathedralem, ſeu Eccleſiam digniorem.*

§. II. *Quod hodie non poſſit exponi publice SS. Sacramentum, niſi in Cathedrali, ſeu Eccleſia digniori.*

§. III. *De Ritu Expoſitionis, & depoſitionis SS. Sacramenti in ſolemnitate Corpor. Chriſti.*

§. IV. *Ad quem ſpectet Euchariſtiam deferre in Proceſſione Corporis Chriſti?*

§. V. *De Ritu, & cæremoniis in Proceſſione ſervandis.*

§. VI. *De transferenda Proceſſione ſolemni in caſu impedimenti.*

§. I.

Quod jus faciendæ hodie Proceſſionis ſpectat privative ad Cathedralem, ſeu Eccleſiam digniorem.

SIGNIFICAVIMUS Subſ. 1. quæſt. 1. 36
in hac ſolemnitate SS. Corporis Chriſti principem locum habere Supplicationem ſolemnem, ſeu Proceſſionem præ cæteris omnibus ſolemniorem, in qua circumgeſtatur SS. Euchariſtia. Jam vero hic animadvertimus, quod *Proceſſiones in feſto Corporis Chriſti facere non licet aliis Eccleſiis, ſed ſoli Epiſcopo, ſeu Eccleſiæ Cathedrali*. S. R. C. 22. Maji 1515. *in Piſana*, apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 19. *num.* 1. *dec.* 1. Extra locum vero, in quo eſt Cathedralis, hodier-

dierna Proceſſio SS. Sacramenti ſpectat ad Eccleſiam Matricem, ſeu digniorem; porro *Inter præeminentias Eccleſiæ Matricis connumeratur Proceſſio SS. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti*. S. R. C. 6. Septembr. 1636. *in Syracuſana*, apud Caval. *cit. cap.* 19. *num.* 2. *dec.* 8. vide in opere Merat. *in* 2. *append. indic. decret. Miſſ. num.* 769. *Et non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſias in feria* 5. *in Cœna Domini, nec in feſto Corporis Chriſti extra eorum juriſdictionem, ac per Parochiam alienam.* S. R. C. 11. Decemb. 1613. *in Aretina*; apud Caval. cit. c. 19. n. 1. d. 2. *Et non eſt revocandum Decretum Epiſcopi, in quo demandatur Proceſſionem fieri in feſto Corporis Chriſti in Eccleſia Archipresbyterali, non obſtante conſuetudine in favorem Eccleſiæ Regularis*. S. R. C. 3. Junii 1651. *Hipporegien.* apud Caval. loc. cit. num. 2. dec. 3. Item *Proceſſio in ſolemnitate SS. Corporis Chriſti incipere debet a Cathedrali, ſeu Matrice; & ad eamdem terminare, non vero a Parochiali*. S. R. C. 1. Septemb. 1708. *in Nolana*, & 9. Junii 1718. vid. Caval. cit. cap. 19. num. 2. & confer infra dicenda num. 42. *Proceſſio SS. Corporis Chriſti inchoari non debet ab Eccleſia inferiori, non attenta immemorabili conſuetudine*. S. C. Concil. 1. Auguſti 1683. apud Caval. l. c. cit. dec. 6. Cum in Oppido Summæ ex negligentia prædeceſſorum Canonicorum Collegiatæ, Proceſſio hodiernæ ſolemnitatis inciperet in Eccleſia Parochiali & terminaret ad prædictam Collegiatam; ad abolendum hujuſmodi abuſum, propoſitum fuit dubium: *An Proceſſio SS. Corporis Chriſti incipere, & terminare debeat in Eccleſia Collegiata, ſeu potius in Eccleſia Parochiali? S. R. C. reſpondit, affirmative, quoad primam partem; negative quoad ſecundam*. Die 1. Septemb. 1718. *in Nolana*, apud Caval. loc. cit. dec. 4. S. C. Concil. in una *Lunen.* interrogata: 1. *An poſt erectam Eccleſiam S. Mariæ de Populo in Collegiatam, competat Archipresbytero Sanctorum Hippolyti, & Caſſiani de Saliceto jus canendi Miſſam in dicta Eccleſia Collegiata die feſto SS. Corporis Chriſti*. 11. *An Proceſſio dicta facienda cum Venerabili competat dicto Archipresbytero, illam inchoando a dicta Eccleſia Collegiata, vel ab alia Eccleſia intus Oppidum Pontremoli privative ad dictum Præpoſitum, & Capitulum dictæ Collegiatæ; ſive potius jus faciendi dictam Proceſſionem prælative pertineat ad dictum Præpoſitum, & Capitulum reſpectu dicti Archipresbyteri, & aliorum Parochorum dicti Oppidi? S. C. Concilii die* 9. *Junii* 1725. *reſpondit ad* 1. *negative, & ad* 11. *negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam*: apud Lucium Ferrari in ſua Biblioth. tom. 8. edit. 3. Bonon in prima append. pag. 186. col. 2., & apud Caval. loc. cit. dec. 7. Itaque in die feſto SS. Corporis Chriſti Proceſſio ſolemnis ſpectat ad Cathedralem; & extra locum, in quo eſt Cathedralis, ad Eccleſiam digniorem, a qua incipere debet, ac terminare ad eamdem.

Quamvis autem hæc ita ſe habeant, nihilominus Panormi Proceſſio Venerabilis Sacramenti non inchoat ab Eccleſia Cathedrali, ſed ab Eccleſia, quæ nuncupatur Manſio SS. Trinitatis, quam vulgo dicimus *l' Ammaciuni*; terminat autem in Cathedrali, ubi ſolemniter exponitur infra Octavam, & in die Octava ſole-

mnis

Digitized by Google

mnis Proceſſio terminatur. Rationem vero hujus privilegii Eccleſiæ prædictæ, una cum ſui ipſius origine exponit Chiavetta *Conſult.* 187. n. 7. & 8.

Cum Sacra Rituum Congregatio in Decreto ſupra priori loco deſcripto de die 22. Maji ann. 1615. in *Piſana* pronunciaverit in plurali, & indefinite *Proceſſiones* non licere facere in feſto Corporis Chriſti extra Cathedralem, ſeu Eccleſiam digniorem: hinc exiſtimat Cavalerius, non ſolum Proceſſionem SS. Sacramenti, ſed quaſcumque alias eſſe interdictas eadem die extra Eccleſiam Cathedralem, ſeu digniorem; & affert congruam rationem, nimirum, quod in mane minueretur alias concurſus populi proceſſioni Cathedralis; & pomeridiano tempore expoſitioni ejuſdem Sacramenti, quæ de Cæremonialis conſilio fieri ſolet: præterquamquod per Proceſſiones Sanctorum, ſi quæ fierent, Populus diſtraheretur inſuper a meditatione, & veneratione Sacramentorum maximi, cui dies hæc ſpecialibus privilegiis per Eccleſiaſticas Sanctiones conſecrata totaliter reperitur. Ad rem faciunt pariter, inquit, quod privilegia, quæ ſuper Proceſſione Corporis Chriſti Gregorius XIII. utrique Clero feciſſe perhibetur, unice ſiſtant circa Proceſſionem in die Dominico, aut diebus aliis infra Octavam: (ut ſuis locis videbimus;) non ſpernendum utique argumentum inhibitionis pro die feſto. Ita Caval. ſupra cit. c. 19. n. 1. Quod tamen ad Regulares attinet, prædicta limitationem ſubire concedit in Proceſſionibus, quæ ab iiſdem fierent intus Eccleſiam, aut Monaſterium, vel ad loca alienæ juriſdictionis minime diverterent; quemadmodum indirecte indulgere videtur Decretum S. C. R. de die 11. Decemb. 1613. in *Aretina*, quod ſupra dedimus, hujus tenoris: *Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini, nec in feſto Corporis Chriſti extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam*. Idque etiam ſi extendere placeat, ad Eccleſias Sæculares, non admodum ſe refragari, ait Caval. dummodo Proceſſio fiat intus Eccleſiam, aut circa ejus ſubgrundia, itaut neque extendatur, licet Eccleſia foret Parochialis, intra proprios Parochiales limites; non ultra quippe Regularibus allegata concedit Sanctio, dum extra eorum juriſdictionem Proceſſiones ab iiſdem fieri prohibet.

In nonnullis autem locis fieri ſolet Proceſſio SS. Sacramenti hac ipſa die, tempore Veſpertino, ſeu pomeridiano ab aliqua Parochia; celebrata jam tempore matutino Proceſſione ſolemni a Cathedrali, ſeu Eccleſia digniori.

Proceſſio generalis in ſolemnitate 38
Corporis Chriſti, Sede Apoſtolica vacante, de more celebrari jubetur, Benedicti XIV. Conſtitutione 122. incip. *Paſtoralis ſolicitudinis* tom. 1. Bullar. ejus; & in eadem Conſtitut. §. 3. præſcribitur, celebratio apud Baſilicam Vaticanam.

§. II.

Quod hodie non poſſit exponi SS. Sacramentum niſi in Cathedrali, ſeu Eccleſia digniori.

IN Cathedrali dumtaxat SS. Sacra- 39
mentum publice adorandum exponi hodie poteſt, ex variis deciſionibus,

Digitized by Google

nibus, & decretis S. R. C. vide Barboſam *de Jur. Eccl. lib. 1. c. 43. n. 123.* Lezan. *in ſum. quæſt. Regular. vol. 2.* V. *Proceſſio quoad Regul. n.* 11. Chiavet. *Conſult.* 187. *n.* 2. Ferrar. V. *Proceſſio n.* 44. Ubi non eſt Eccleſia Cathedralis, habet Eccleſia Matrix prædictum jus exponendi; & ubi non eſt niſi una Parochialis Eccleſia, hæc habet poſſe exponere. Reliquæ autem Eccleſiæ non poſſunt hoc die feſto SS. Corporis Chriſti, ejus publicam expoſitionem facere, quia eſſet talis expoſitio præjudicialis Eccleſiæ Matrici, vel Parochiali, dum ex ea tolleretur populi concurſus ad illam; Ita Pignatelli *to.* 9. *Conſult.* 79. *n.* 3. & 6. ubi affert Litteras Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. in quibus id ipſum inſinuatur. Deinde decens eſt, ut in ea tantum Eccleſia proponatur publice SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ex qua tantum duci debet hodie proceſſionaliter per vias, ut populus non alio confluat; quod autem hodie Proceſſio ſolemnis unice ſpectet ad Cathedralem, ſeu ad Eccleſiam digniorem, dictum eſt §. præced. Quænam vero ſit expoſitio publica, & ſolemnis, explicabimus in Appendice ad calcem Diarii c. 3. n. 2. His tamen non obſtantibus, primo dicuntur, Regulares, & Moniales in ſuis Eccleſiis poſſe hac die Corporis Chriſti exponere Venerabile Sacramentum ex Decreto S. R. C. in *Aretina* 11. Decemb. 1613. ac in aliis relatis a Novar. in Lucerna Regular. V. *Proceſſiones n.* 20. vid. Pignatell. *to.* 4. *conſult.* 84. *n.* 1. *fine*, & Chiavett. l. cit. n. 4. Dedimus res ſupra Decretum in *Aretina* 11. Decemb. 1613. in quo tamen, ut ex Caval. notavimus, nonniſi indirecte conceditur Regularibus, Proceſſiones facere intra Eccleſiam propriam, dum ipſis prohibetur ſolum, eas facere extra Eccleſiam, ſeu extra locum propriæ juriſdictionis, & per Parochiam alienam. Deinde generaliter loquendo, non poſſe ſine expreſſa facultate, & conſenſu Ordinarii loci, ſeu Epiſcopi exponi publice Sacramentum, etiam a Regularibus: dicemus cit. c. 3. n. 1.

Secundo, ubi habetur conſuetudo, ut aliæ Eccleſiæ Sacramentales in die Corporis Chriſti exponant Venerabile Sacramentum, licite hanc expoſitionem facere poſſe, exiſtimantur; vid. Chiavett. loc. cit. Qui etiam refert, Panormi haberi hujuſmodi conſuetudinem in Eccleſiis Parochialibus, & conciliari, putat, hujuſmodi conſuetudinem cum ſupra ſignificatis decretis S. C. & jure Eccleſiæ Cathedralis, Matricis, ſeu dignioris; ſi dicatur: quod ubi Proceſſio ſolemnis fit tempore Matutino, non poſſit eo tempore exponi Venerabile, niſi in Eccleſia Cathedrali aut Matrice, ſeu digniori, in illa videlicet Eccleſia, ex qua inchoabit Proceſſio. Adeoque ſic ſalvatur, inquit, ſupradicta ratio, cur in ſola Matrice, ſeu Cathedrali concedatur expoſitio; & ſalvatur conſuetudo Panormitana, & aliarum Eccleſiarum in locis, in quibus, ſicut Panormi, de ſero fit ſolemnis Proceſſio. Sed rurſus animadvertendum eſt: non poſſe ſine expreſſa facultate, & conſenſu Ordinarii loci, ſeu Epiſcopi publice Sacramentum exponi in Eccleſiis, etiam ubi continuo aſſervatur Euchariſtia: quemadmodum docebimus cit. c. 3. n. 1. & hic ſpecialiter notamus, quod, cum a S. C. Concilii declaratum fuiſſet, quod *Parochis, & Vicariis Abbatialibus non licet abſ-*

que licentia Epiſcopi., publicæ venerationi exponere SS. Euchariſtiam. 30. Maji 1699., & 4. Febr. 1702. apud Caval. to. 4. c. 7. d. 12. & propoſitum fuiſſet dubium: *An decretum Sacræ Congreg. emanatum die* 30. *Maji* 1699. *& confirmatum die* 4. *Febr.* 1702., *ſit etiam ſervandum ſingulis tertiis Dominicis, & per totam Octavam feſtivitatis Corporis Chriſti? Reſp. affirmative eadem Congreg.* 4. *Febr.* 1719. Apud Caval. l. cit. d. 13. Multo magis igitur opus erit Epiſcopi facultate pro ipſo die feſto Corporis Chriſti.

§. III.

De Ritu Expoſitionis, & depoſitionis SS. Sacramenti in ſolemnitate Corporis Chriſti.

41 NOTANDA pro Altari, ubi fit expoſitio SS. Sacramenti, dabimus in Appendice ad Calcem Diarii c. 3. art. 2. & videri etiam poteſt Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *a n.*6. Expoſitio SS. Sacramenti poteſt fieri ſine pluviali a non habentibus uſum pluvialis, ut conſtat ex decretis §. ſequenti allegandis.

Ad ℣. *Panem de Cœlo:* additur *Alleluja*: hodie & infra Octavam. vid. dicenda cit. c. 3. n. 41. Faciendum eſſe ſimiliter hodie, & per Octavam poſt adminiſtratam populo communionem extra Miſſam, addendum, videlicet, *Alleluja*, ad Antiph. *O Sacrum Convivium*, & ad ℣. & ℟. docuimus hic ſubſ. 4. *In feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cæremonialis Epiſcop. lib.* 2. *c.* 33. *in reponendo SS. Sacramento; ubi nulla fit mentio de* ℣. Dominus vobiſcum: *non vero Rituale Romanum, ubi dicitur, addi* Dominus vobiſcum, *& ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervetur ab omnibus*. S. R. C. 16. Junii 1663. in *Granaten.*, & 28. Septemb. 1675. in *Salernitana*; apud Caval. tom. 4. c. 9. d. 3. vid. dicenda cit. c. 3. n. 42.

Orationi de SS. Sacramento non addatur alia; vid. dicenda cit. c. 3. n. 43. Porro de ritu ſervando in Expoſitione SS. Sacramenti agemus cit. c. 3. a n. 8. & eodem cap. §. 19. Inſtruct. Clement. De ritu autem Repoſitionis a n. 40. & cit. Inſtruct. Clement. §. 30. & 31.

§. IV.

Ad quem ſpectet Euchariſtiam deferre in Proceſſione Corporis Chriſti?

DELATIO SS. Sacramenti in feſto, 42
& infra Octavam SS. Corporis Chriſti ſpectat ad eum, qui præcedentem reſpective celebravit Miſſam, aut Veſperas; eo quod Proceſſio hujuſmodi reputatur veluti unus, & idem actus cum præcedenti celebratione Miſſæ, aut recitatione Veſperarum. Et licet in Cathedrali abſente, vel impedito Epiſcopo; ſpectet ad primam Dignitatem, & ea impedita, ad ſecundam; nihilominus non ita illi competit, ut etiamſi alter Miſſam faceret, adhuc poſſet ipſa circumferre Sacramentum; ſed ideo primæ Dignitati, & ſic cæteris adjudicatur prædicta delatio, quatenus ad ipſam ſpectat celebrare Miſſam; quam ſi minime faciat, ejus erit deferre Sacramentum, qui præcedentem celebravit Miſſam: ab hac lege dumtaxat abſoluto Epiſcopo, cui ratione dignitatis Epiſcopalis per Cæremoniale Epiſcoporum indulgetur, ut ipſe Sacramentum deferre valeat, tametſi

etſi præcedentem Miſſam minime fecerit. Prædicta autem conſtant ex ſequentibus Decretis: *Delatio SS. Sacramenti in ejus die feſto, abſente Epiſcopo ad Dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis ſpectat, atque ab eadem Cathedrali Proceſſio debet inchoare, & ibi finire*. S. R. C. 19. Maji 1616. in *Tuſcan.* apud Caval. to. 4. c. 19. n. 3. d. 9. (19. *Auguſti 1616. in una Tuſculanæ*: habet Meratus ind. decret. Miſſ. 156.). *Functiones ſolemnes, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt feſtum Nativitatis Domini &c.* (alios dies in Decreto ſignatos ſuis locis expreſſimus:) *& dies ſolemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione*. S. R. C. 3. Decembr. 1672. in *Andrien.* apud Caval. to. 4. c. 19. n. 3. d. 10. *Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet, juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum: abſente, vel impedito Epiſcopo ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinent*. S. R. C. 25. Junii 1611. in *Civitaten.* apud Caval. to. 4. c. 12. d. 5. *Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus Dignitatibus impeditis, vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur*. S. R. C. 26. Novembr. 1670. in *Senen.* ejuſd. Caval. to. 4. c. 19. n. 3. d. 11. *Celebratio Miſſæ ſolemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die feſto Corporis Chriſti ſpectat privative ad primam Dignitatem, ſeu primum de Capitulo; eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in ſui locum, ad libitum, ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab alio, qui immediate ſuccedit, non vero ab hebdomadario* S. R. C. 23. Martii 1709. in *Compſana*, apud Caval. cit. d. 12. *In feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a Celebrante; in Veſperis autem diei Octavæ (ſi fiat proceſſio,) deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modo ſit Dignitas, vel Canonicus*. S. R. C. 12. Junii 1627. in *Brundiſina*; & 23. Martii 1709. *Non convenit, quod prima Dignitas celebret Miſſam ante proceſſionem SS. Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor deferat illud in Proceſſione*. S. R. C. 31. Julii 1632. in *Genuen.* confirmante Innocentio XI. 4. Junii 1689. Conſtit. 21. incip. *Alias emanarunt*. *Geſtare Sacramentum in Proceſſione Corpus Chriſti ſpectat ad eum, qui Miſſam celebravit*. S. R. C. 5. Junii 1634. in *Aquilana*. *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in feſto Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in Proceſſione, quæ fit in die Dominica infra Octavam; non vero deferendum eſt a primo de Capitulo, qui non celebravit*. S. R. C. 23. Martii 1709. in *Compſana*. *Delatio SS. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti ſpectat ad Præpoſitum Eccleſiæ Matricis, ordine ſucceſſivo, dummodo illo die ſolemniter celebraverit*. S. R. C. 6. Septembr. 1636. in *Syracuſana*, apud Caval. cit. c. 19. n. 4. Vide in opere Merati in 2. *Append. ind. decret. Miſſ. n.* 769. & confer ipſum Meratum *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *n.* 11. *fine*. Ad quem digniorem, qui celebravit, ita privative pertinet delatio Sacramenti, ut ipſemet illud deferre debeat, etiam per Pa-

ro-

Digitized by Google

rochias alienas, per quas Proceſſio tranſiret, ut in ſequenti declaratione: *Delatio SS. Sacramenti, quæ fit per digniorem de Capitulo, abſente, vel impedito Epiſcopo, in die Solemnitatis Corporis Chriſti ſpectat ad eumdem digniorem per totam viam, etiamſi contingat Proceſſionem tranſire limites alterius Parochiæ*; S.R.C. 21. April. 1630. in *Lucana*, apud Caval. cit. c. 19. n. 5. d. 18.

Nota hic: quod Proceſſio generalis in ſolemnitate Corporis Chriſti de more celebrari jubetur, Sede Apoſtolica vacante, Benedicti XIV. Conſt. 122. incip. *Paſtoralis ſolicitudinis* to. 1. Bullar. ejus; ubi §. 5. Electio Antiſtitis, qui deferat SS. Sacramentum, tribuitur Collegio Cardinalium.

43. Denique animadvertendum eſt, quod *Miſſa in die ſolemnitatis Corporis Chriſti non debet cantari poſt abſolutam Proceſſionem; & hujuſmodi conſuetudo, (ubi inveniatur) ut a Cæremonialis diſpoſitione aliena, omnino abroganda eſt*. S. R. C. 3. Junii 1662. in *Albiganen.* apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 395. & Caval. *cit. c.* 19. *n.* 7. *d.* 21. Cum autem hodierna Proceſſio Sacramenti longior eſſe ſoleat, concedit Caval. hanc ſufficientem cauſam eſſe poſſe, ad anticipandam horam Tertiam; poſt quam præfata Miſſa diei celebrari debet; *ut* enim, inquit, teſte Alcozer, tardius recitari poteſt hora Tertia, ubi ob terræ frigiditatem tarde populus venit ad Eccleſiam pro ſolemni Miſſa; ita ad evitandum æſtum, in noſtro caſu eadem hora tertia anticipari poterit; quare ex Cæremoniali Epiſcoporum eos, qui Proceſſioni intereſſe debent, *ſummo mane* ad Eccleſiam Cathedralem convenire mandat, & Epiſcopum ipſum, *quantocitius poterit*: quinimo quando idem Epiſcopus celebrare velit Miſſam, hæc tenet verba, quæ ad rem noſtram faciunt admodum: *Poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die, propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem; Miſſa ſolemni*. Conſonat Meratus par. 4. tit. 12. n. 7. ubi ait quod *Hac die, dicta Tertia, celebratur ſolemnis Miſſa de more; Tertia tamen citius cantari poteſt, ut habet Cæremoniale Epiſcopor. lib.* 2. *cap.* 33. §. 15. *& eſt caſus ſingularis ob longam Proceſſionem, & calorem*. Non ſolum autem eſt caſus ſingularis quoad anticipandam Tertiam, ſed etiam quoad omittendam Miſſam ſolemnem, ſi Epiſcopus ipſe Miſſam planam legat, ut dicitur in Cæremoniali prædicto verbis modo laudatis; confer dicta tr. 1. l. 1. c. 2. n. 12. quo ad hanc Miſſam ſolemnem celebrandam pro expoſitione, & proceſſione videantur dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. in Inſtruct. Clement. pro expoſitione Euchariſtiæ §. 15. & 19. nec non Merat. cit. n. 7. & dub. ſequ.

§. V.

De Ritu, & Cæremoniis in Proceſſione ſervandis.

Qui Crucem proceſſionalem geſtat, 44
congruum eſſe, ut veſte Subdiaconali ſit indutus, mediuſque procedat inter Acolythes portantes Candelabra cum cereis accenſis, vult Gavantus *par.* 4. *tit.* 12. *n.* 5. conſentitque Meratus ibi nu. 14. ſed contradicit Caval. *to.* 4. *c.* 19. *n.* 9. animadvertens ex quodam decreto S. R. C. *in Camaldul. Montis Coronæ*, quod dabimus infra, haberi; Crucem in hac Pro-

Digitized by Google

ceſſione deferendam a ſimplici Clerico induto Cotta; vide infra dicenda n. ſequ.

In Feſto SS. Corporis Chriſti Eucharistia non eſt deferenda Sacerdotum humeris, ſed Celebrantis manibus, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C. 2. Junii 1618. in Syracuſana. Apud Caval. *to.* 4. *c.* 19. *n.* 5. *d.* 19. qui tamen ait, id limitandum eſſe, nimirum quoties conſuetudo per Sedem Apoſtolicam approbata foret, aut Apoſtolicum haberetur Indultum, ſicuti, inquit, firmavit Rota in *Hiſpalen. Proceſſionis* 28. *Julii* 1700. *coram Anſaldo, apud Scarfantonum ad Ceccoperium to.* 1. *in fine dec.* 41. & 42. Confer Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 12. *n.* 11. qui tradit: etiam in Urbe veteri in hac ſolemnitate, vel ex aliqua conceſſione, vel ex antiqua conſuetudine (Pontificia, ut ſupra, auctoritate firmata,) adhuc ferri Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter in ea Machina argentea, ubi aſſervatur ſacrum Corporale, in quo accidit celebre Miraculum Sanctiſſimi Sanguinis Chriſti, bajulantibus Sacerdotibus ornatis veſtibus ſacris, haſtaſque Baldachini ferentibus aliis Presbyteris Pluvialibus coopertis.

45 *Abſque pluviali non licet non habentibus uſum illius, in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habentibus uſum, ſtatuit S. R. C.* 22. *Januar* 1701. in una Camaldulen. Montis Coronæ apud Caval. to. 4. c. 7. d. 52. Porro id conforme eſt Cæremoniali Epiſcop. l. 2. c. 33. atque Rit. Rom. tit. 80. & commune eſt cuicumque Proceſſioni ſolemni SS. Sacramenti, ut ex Inſtruct. Clement. pro XL. hor. arguit Caval. l. cit. & iterum c. 19. n. 8. Hoc decretum renovatum fuit anno 1742. in altera ejuſdem Ordinis Eremit. Montis Coronæ, & iterum confirmatum anno 1756. in una Ordin. Min. Excalceat. S. Franciſci, tenoris ſequentis: *Pater Provincialis Ordinis Minorum Excalceatorum Sancti Franciſci, Provinciæ S. Didaci Hiſpalen. Sac. Rituum Congregationi expoſuit, prohiberi ſuis Religioſis a quibuſdam peculiaribus Conſtitutionibus uſum Pluvialis in Proceſſionibus SS. Corporis Chriſti; quæ leges cum adverſentur decretis hujus Sacræ Congregationis, humillime eidem ſupplicavit, ut præcipere dignaretur ab omnibus ſuis Religioſis præfatæ Provinciæ eadem decreta Sacræ Congregationis eſſe obſervanda. Et Sacra Congregatio ad relationem mei Secretarii, reſcripſit, quod eidem Oratori darentur Decreta alias in hoc dubio emanata, videlicet = Congregationis Montis Coronæ = Supplicante humiliter Sacræ Rituum Congregationi Patre Juvenale Viſitatore Generali Congregationis Camaldulenſium Montis Coronæ infraſcriptum dubium declarari = An liceat non habentibus uſum Pluvialis in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento, & illud ſine Pluviali exponere; illi ſacra eadem Congregatio cenſuit reſpondendum = Negative quoad primam partem, & quoad ſecundam, non poſſe cogi, ideſt in expoſitione SS. Sacramenti. Et ita reſpondit, & declaravit die* 22. *Januarii* 1701. *Quod Decretum eadem Sacra Congregatio a Religioſis Excalceatis S. Franciſci dictæ Provinciæ S. Didaci ſervari mandavit die* 15. *Maji* 1756. Apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recentior. Decretor.* Decretum autem illud de

anno

anno 1742. in altera Ordin. Eremit. Montis Coronæ refert. Caval. *tom. 4. c. 19. n. 9.* cui breves interſerit explicationes, quarum potiores nos quoque tali decreto, quod hic etiam deſcribere juvat, interjiciemus. *D. Mattia Eremita Camaldoleſe di Monte Corona, al preſente Priore dell'Eremo di Santa Maria degli Angeli di Nola in Regno, reverentemente eſpone: come in tutta la ſua Congregazione vi è l'abuſo, che nella Proceſſione del* Corpus Domini *ſi porta il Venerabile dal Celebrante col ſolo umerale, e ſenza altra aſſiſtenza di Miniſtri con indumenti ſacri, che di un ſolo Chierico, che porta il Turibolo, ed un altro che ſoſtiene l'ombrella appreſſo, lo che pare ſia contro le Rubriche, e l'uſo univerſale di Santa Chieſa, ed anche di poca venerazione, decoro, e riſpetto verſo Gesù Sacramentato, che però ſupplica l'EE. VV. volerſi compiacere d'iſtruire tanto l'Oratore, che tutta la detta ſua Congregazione della maniera propria, colla quale ſi deve ſare non ſolo detta Proceſſione del Corpus Domini, ma anche quelle del Giovedì, e Venerdì Santo, per potere in avvenire correggere gli abuſi, ed errori ſin al preſente commeſſi. Che ec.* Reſponſum fuit: *Præcedet Crux baſtata* (ideſt poſita ſuper haſtam) *a Religioſo Cotta induto delata* (Subdiaconali habitu, Gavantus loc. ſupr. cit. illum induit, & concordat Merat. loc. item ſupra cit. ſed expreſſa nimis eſt diſpoſitio decreti, inquit Caval. hic, ut nos iiſdem adhærere poſſimus; & præſertim quia in caſu fere conſimili, ſcilicet Proceſſionis occaſione quadraginta horarum, inſtructio Romana deferentem Crucem in Cotta per hæc verba diſerte exigit: *Il Crocifero in queſta funzione non ſarà parato con abito ſoddiaconale, ma veſtito con Cotta*. Quidquid poſtea ſit de Proceſſione Feriæ V. & VI. majoris hebdomadæ, aliiſque, in quibus Crucifero Subdiaconalem habitum Rubricæ aſſignant: quibus, cum inſtructio teneat: *in queſta funzione*: nequaquam derogat): *Inter Ceroferarios Cotta pariter indutos. Sequentur Viri Religioſi bini incedentes, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti*, (Idipſum eſt de diebus infra ejuſdem Octavam) *Monaſteriis cappis depoſitis poſt Communionem Celebrantis*, (Sermo eſt de Proceſſione, quæ fit poſt Miſſam:) *Sument non in Choro, ſed in alio convenienti loco ſuperpelliceum, Cereoſque accenſos geſtabunt. In Proceſſionibus vero quæ fiunt Feria quinta in Cœna Domini, & Feria ſexta in Paraſceve, quia hæ intra Eccleſiam peraguntur, cum cappis monaſticis procedent. Poſt digniores Religioſos Viros ſuccedent duo Thuriferarii itidem cum Cottis, qui thuribula cum incenſo fumigantia lente ducent ante Celebrantem; facie, non dorſo ad Sacramentum ſemiverſa in inceſſu. Tandem adveniet Celebrans Pluviali, ac velo humerali amictus, deferens Sacramentum inter Miniſtros ſacris veſtibus, ſed ſine Manipulo, indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem Celebrante Pſalmos ſubmiſſa voce recitabunt; ſupra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino Baldachinum quaternis ſaltem haſtis inſtructum, quæ a totidem Religioſis ſuperpelliceo indutis in feſto Corporis Chriſti eleventur. Feria autem ſexta in Paraſceve deferri poterit Baldachinum a Religioſis ſine Cotta; qua die Celebrans non ſumet Pluviale,* (ſed remanebit in planeta:) *Miniſtri autem Celebrantis, cum non utantur planetis plicatis,* (aſſi-

(aſſiſtent vero in planetis plicatis in Eccleſiis , quæ iiſdem uti ſolent :) *tum ſolemni illius diei officio , tum proceſſioni cum ſuperpelliceo aſſiſtant* ; *Cærei extinguuntur poſtquam reconditum fuerit Sacramentum* (clauſum nempe fuerit intra Tabernaculum in feſto , ſeu Octava Corporis Chriſti :) *Et Feria ſexta in Paraſceve poſtquam fuerit a Celebrante conſumptum, nec ceſſabit Campanarum ſonitus, ubi ab Eccleſia non prohibetur* (uti prohibitus eſt in Paraſceve , & Cœna Domini :) *niſi poſt ſacram actionem abſolutam . Quod ſi ad hujusmodi ſupplicationes convocentur Confratres alicujus Sodalitii , hi ſacco induti deſignari poterunt ad deferendum Baldachinum, ſupplendo vices Religioſorum alia munia obeuntium . In his autem Cœnobiis , ſeu Religioſis familiis , in quibus parva Monachorum manus ſit , Aſſiſtentes Celebranti poterunt incedere cum ſuperpelliceo* (ſine ſacris veſtibus;) *ſed numquam fas ſit , ut omittatur Baldachinum , ſemper deferendum ut ſupra , ſive a Monachis , ſive a Confratribus* . S. R. C. 15. Septembr. 1742. in una Ordin. Erem. Montis Coronæ.

46 In Proceſſione SS. Sacramenti Diacono , & Subdiacono Miniſtris Celebrantis dari poſſe ſupra Cottam Stolam Sacerdotalem, ſcripſit quidam , teſte Gavanto, qui merito contradicit *in Rubr. Miſſ. tit. 19. n. 5. lit. P.* Ordini Eremitarum Montis Coronæ vidimus quidem ſupra conceſſum Miniſtris Celebrantis Cottas , ubi modicus fuerit Monachorum numerus verbis illis : *In his autem Cœnobiis , ſeu Religioſis Familiis , in quibus parva Monachorum manus ſit, Aſſiſtentes Celebranti poterunt incedere cum ſuperpelliceo*. Non fit autem mentio de Stola; ſed & Cavalerius ad prædicta Decreti verba ſubdit : *ſine ſacris veſtibus* : ut jam nos ſupra ex ipſo notavimus; Stola autem eſt ſpecies veſtis ſacræ.

47 Canonicos Eccleſiæ Cathedralis præ cæteris cunctis, (Collegiatarum Canonicis,) Cæremoniale Epiſcop. lib. 2. cap. 33. diſerte præcipit, quod in Proceſſione SS. Sacramenti incedant parati paramentis albis ſibi competentibus , ſcilicet Subdiaconi , & Diaconi cum Dalmaticis , & Tunicellis , Presbyteri cum Planetis , & Dignitates cum pluvialibus . *Primicerius , licet dubitetur , an ſit Dignitas, debet in proceſſionibus capere pluviale, ſicut Dignitas , & non planetam, ſicut Canonici*. S. R. C. 28. April. 1607. *in Capuana*, apud Caval. tom. 4. cap. 19. num. 10. dec. 25. *Si Epiſcopus in Proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam , vel non interveniat , Canonici tamen Cathedralium induant ſacras veſtes* . S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana*, apud Caval. loc. cit. dec. 26. At vero *Canonici Eccleſiæ Collegiatæ non debent in Proceſſionibus incedere parati, ſicut Canonici Cathedralis*. S. R. C. 19. Maii 1607. *in Placentina* ; apud Caval. loc. cit. dec. 27. Qui obſervat , laudatum Cæremoniale Clericos Seminarii, & Curatos Eccleſiarum Parochialium cum Cottis , Collegiatas cum ſuis inſignibus incedere facere ; ſolos vero Canonicos Eccleſiæ Cathedralis cum paramentis ſuo Ordini congruentibus . Nihilominus Merat part. 4. tit. 12. num. 6. ait, quod hoc de Canonicis Cathedralium diſpoſitum, *videtur obſervandum in aliis etiam Eccleſiis non Cathedralib.* (*præſertim ſi ſit conſuetudo, quæ admodum laudabilis eſt* :) *quod Eccleſiaſtici in ſacris veſtibus convenientibus ſuo Ordini*

in

in tali proceſſione incedant: Omnes tamen ſine ſtolis, & manipulis. Merat. num. 14. Ubi hujuſmodi conſuetudo eſt, aut particularis Ritualis lex; non refragatur Cavalerius, etenim Sacra Rit. Congreg. interrogata: *An Patres Carmelitæ induere poſſint ſacras veſtes ad formam eorum Ritualis in proceſſione facienda extra Clauſtra, & ambitum Eccleſiæ infra Octavam SS. Corporis Chriſti? Reſp. Affirmative, exceptis Fratribus Laicis.* S. R. C. 16. Maji 1744. *in Imolen*; Camaldulenſibus, Decretum quod ſuperius produximus; depoſitis cappis, Cottarum uſum aſſignat, quem laudatum Cæremoniale attribuit ſoli Clero Sæculari. Hæc admodum apparere varia, obſervat Caval. loc. cit. ſed facile ad concordiam revocari, docet hoc pacto; ita nimirum ut, quoties ultra Clerum aliarum Eccleſiarum, proceſſioni intereſt Clerus Cathedralis, hic ſolum ſacras induat veſtes: quo de caſu, inquit, Cæremonialis diſpoſitio procedit; quoties vero Chathedralis Clerus minime intereſt, id honoris debeatur Clero Eccleſiæ dignioris: quemadmodum Cæremoniale illud tribuit Eccleſiæ Cathedrali tamquam digniori ex Eccleſiis intereſſentibus. Quod ſi Clerus unius dumtaxat Eccleſiæ interſit quicumque ille ſit, ſacras poterit induere veſtes, cum tunc ceſſet producta diſtinctionis ratio, & aſſiſtant apprime Decreta pro Carmelitis, & Camaldulenſibus, ut ſupra edita; licet loco ſacrarum veſtium, quarum uſus apud Camaldulenſes vix eſt extra Miſſam, pro iſtis Cottæ fuerint ſubrogatæ. Pro Carmelitis ſoli excipiuntur Fratres Laici; & Camalduleuſes Religioſi indiſtinuim admittuntur ad uſum Cottæ, quare hinc videtur erui, quod Clerici Minorum Ordinum in hac Proceſſione cum habitu Subdiaconali ſine manipulo valeant tolerari, uti & Fratres Laici cum cottis, nunquam vero cum ſacris veſtibus. Ita Caval. Confer dicta fer. 5. Cœnæ num. 15.

S. R. C. interrogata: *An Dignitates, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Urbinatenſis in Proceſſione Corporis Chriſti incedere poſſint capite Mitra cooperto? Reſp. Negative, & amplius.* Die 29. Januarii 1752. *in una Urbinaten.* ad trigeſimum, & ultim. dub. confirmante Benedicto XIV. 28. Februar. ejuſdem anni, Conſtit. quæ incipit: *In Throno Juſtitiæ*; apud Luc. Ferrar. in ſua Biblioth. *tom.* 8. *in poſter. append. pag.* 217. *col.* 2. *edit.* 3. Bonon., & in opere Merati, *in* 2. *append. Decr. Miſſ. num.* 943. Videri poteſt Merat. *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 12. S. R. C. interrogata: *An* (in Cathedrali Conimbric.) *ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut duo medii Canonici, ſeu Tertienarii Tunicella, ſeu Dalmatica induti in Proceſſione Corporis Chriſti Thuribula deferant, & SS. Sacramentum incenſent? Reſp. Affirmative, & amplius.* 14. April. 1753. *in Conimbr.* ad 13. dub. apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recentior. Decretor.*

Regulares, ubi vocati fuerint, teneri accedere ad Proceſſionem Corporis Chriſti, dummodo eorum Monaſteria a Civitate ultra medium Milliare non diſtent, aut niſi exhibeant Privilegia Apoſtolica poſteriora publicatione Sacroſancti Concilii Tridentini, & quatenus accedere noluerint, compellendos eſſe per cenſuras, vel alias pœnas Epiſcopo beneviſas: cautum eſſe Decretis pluribus, teſtatur Caval. *tom.* 4. *cap.* 19. *num.* 48

num. 14. qui tamen ſubdit: quod cum eorum diſpoſitio limitata maneat ad diem ipſam SS. Corporis Chriſti, rite Auctores inferant, haudquaquam teneri accedere ad proceſſionem, quæ infra Octavam, vel in die ipſa Octavæ ab Eccleſia Cathedrali fieret, etiamſi Epiſcopus Sacramentum deferat in ea. Confer Merat. *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 5. *fine*.

49 Ex Clericis Sæcularibus quinam debeant intervenire? Per hæc verba enumerat Cæremoniale Epiſcoporum. *Si aderunt, ſuccedant Regularibus Clerici Seminarii, & poſt eos Curati, tum Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimo loco Clerus Eccleſiæ Cathedralis*. An vero item Clerici, vel Sacerdotes ſimplices? Nicolius *Lucubr.* lib. 1. Can. tit. 31. num. 22. non teneri aſſerit, nec compelli poſſe eorumdem illos, qui nullum officium, vel beneficium habent, niſi adſit conſuetudo, quam ſervandam eſſe S. C. Concilii definit: apud eumdem Nicolium, die 5. Martii 1647. & apud Urſayam die 6. Julii 1647. Videantur, quæ ad rem hanc tradit Barboſa in Summ. Apoſt. deciſ. collect. 609., & videri etiam potet Bened. XIV. Inſtitut. Eccleſ. 31. Interim notamus, quod laudata S. C. Concilii in una Aſculana interrogata: 1. *An Parochi Rurales Villæ Aſpeluncæ, & Villæ Collis valeant proceſſiones peragere in propria cujuſque Parochia, tam die feſtivitatis Corporis Chriſti, quam diebus S. Marci, & Rogationum in caſu?* 11. *An iidem Parochi teneantur, & cogi poſſint ad interveniendum iiſdem Proceſſionibus, quæ in dictis diebus celebrantur in Terra Arquatæ in caſu?* 111. *An ſimplices Clerici, & Sacerdotes, Villarum Aſpeluncæ, & Collis teneantur ipſi quoque intervenire dictis Proceſſionibus Terræ Arquatæ in caſu? S. C. C. die* 3. *Febr.* 1753: *reſpondit ad* 1. *Affirmative; ad* 11., & 111. *negative*. Apud Luc. Ferrar. loc. cit. pag. 367. col. 2. Eadem Sac. Congr. *in Foroſempronien.* apud Paſcuccium relatum a Merato tom. 1. part. 4. tit. 12. num. 14. antea declaraverat: non poſſe Epiſcopum cogere Clerum totius Diœceſis ad interveniendum proceſſioni in die ſolemnitatis SS. Corporis Chriſti.

50 Proceſſio generalis in ſolemnitate Corporis Chriſti, Sede Apoſtolica vacante, de more celebrare jubetur cum præſcriptione ritus, & perſonarum, quæ intereſſe debent; Benedicti XIV. Conſtitut. 22. incip. *Paſtoralis Sollicitudinis* tom. 1. Bullar. ejus.

51 *Cæremonialis liber nec Laicis, nec Clericis prohibet quominus in Proceſſione SS. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas*. S. R. C. 12. April. 1603. *in Andrien.*, apud Caval. tom. 4. cap. 5. dec. 7. (*Omnes enim tam Religioſi, quam Laici deberent, ſi fieri poſſet, in hac proceſſione, ſi non funalia, ſaltem candelas ceræ albæ accenſas manibus portare*. Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 33. de Proceſſ. SS. Sacramenti in feſto Corpor. Chr. Vid. Caval. loc. cit. n. 2.

In ſolemnit. SS. Sacramenti Proceſſionibus præter conſueta lumina, quatuor ſaltem cum ſuis haſtis laternæ præ aliis nobiliores cum intus ſemper accenſis candelis circa Celebrantem deferantur, ex Conc. Rom. ſub Benedicto XIII. 1725. tit. 15. cap. 7.

52 *Confraternitates Laicorum in Proceſſionibus, procedant ante Regulares, quas iidem Regulares ſequuntur, poſtremo digniorem locum habeat Clerus Sæcularis*. S. R. C. 3. Auguſti 1621.

apud

apud Franc. Ant. Zach. in ſuo ind. Decret. num. 211. Confer. Merat. part. 4. tit. 12. num. 13., & 14.

Ubi adeſt Sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia ſuper alias Confraternitates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 19. Junii 1655. *in Mediolan.* & 12. Juli 1628. *in Lauden.* ac 20. Septemb. 1687. *in Vercellen.*, apud Merat. ind. Decret. Miſſ. num. 314. in quibus tamen poſtremis Decretis, teſte eodem Merato loc. cit. num. 89. conceditur dicta præcedentia Confraternitati præfatæ, dummodo eadem accedat ad alias Proceſſiones juxta ordinem Antianitatis; quod ſi quavis ratione, aut prætextu recuſaverit, ad alias Proceſſiones accedere, etiam proprio die feſto Solemnitatis, & in Proceſſionibus SS. Sacramenti nullo modo præcedere debeat.

Confraternitati SS. Sacramenti, ſi ſumptus ceræ facit, indulgetur, ut in Proceſſione ejuſdem SS. Sacramenti aliqui ex Confratribus, ſaccis induti, cum fanalibus accenſis incedant hinc inde ante, & apud idem SS. Sacramentum; dummodo pars Confraternitatis cum ſua Cruce, & inſignibus incedat ante in loco ſuo juxta Bullam Gregorii XIII. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Nepeſina*, apud Merat. ind. Decret. Miſſ. num. 89.

Priores Confraternitatis SS. Sacramenti non ante Baldachinum poſt Capitulum, ſed a latere Baldachini in Proceſſione SS. Sacramenti debent incedere. S. R. C. 30. Januar. 1616. *in Nicien.* apud Merat. ind. Decr. Miſſ. num. 152.

53 In Proceſſione Corporis Chriſti nullam Reliquiam geſtandam eſſe, monet Sa V. *Proceſſio* num. 1.

In feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Abulen.* apud Cavaler. *tom.* 4. *cap.* 9. *decr.* 11., & Merat. *ind. decret. Miſſ. num.* 95.

Euchariſtia in feſto Corporis Chriſti non eſt deferenda per vias Hebræorum. S. R. C. 22. Febr. 1593. apud La-Croix *ind. decret. num.* 7. Monet inſuper Rituale Pauli V. tit. de Proceſſ. in feſt. SS. Corporis Chriſti, ut *decenter ornentur Eccleſiæ, & parietes viarum, per quas eſt tranſeundum tapetibus, & aulæis, & ſacris Imaginibus, non autem profanis, aut vanis figuris, ſeu indignis ornamentis.* Porro ſolemnitatis hodiernæ Proceſſio ſolet eſſe longior, & cum in ea Sacerdos in manibus Euchariſtiam deferat, ne defatigetur plurimum, concedit Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. cap. 33., ut Sacramentum deponere valeat ſuper Altare alicujus Eccleſiæ per viam ſitæ, aut ſuper Altaria, quæ per eamdem viam hac de cauſa conſtrui ſolent, & aliquantulum quieſcere. At vero *In proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quando proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus non debent ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus, etiamſi deferantur ad ornatum tantum.* S. R. C. 21. Januar. 1690. *in Hiſpalen.* apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 19. *num.* 6. *decr.* 20. Sellam geſtatoriam, tamquam pertinentem ad dignitatem Epiſcopalem juxta cap. *Epiſcopus in Eccleſia.* 95. *diſt. ex Concil. Carthag* in hac etiam proceſſione Epiſcopum poſt ſe deferre poſſe, declaratum fuiſſe a S. R. C. *in Granaten.* 15. Septembr. 1657. ſcribit Caval. loc. cit. Declaratio autem illa, quæ proceſſit quoad Archiepiſcopum Granatenſem, eſt apud Merat.

rat. indic. decret. Miſſ. num. 324. tenoris ſequentis : *Poteſt Archiepiſcopus Granatenſis, ex immemorabili conſuetudine, in Proceſſionibus ſolemnibus poſt ſe deferre Sellam gelatoriam mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum :* S. R. C. 10. Maji 1603., *& etiam in Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti* 15. *Septemb.* 1657. in Granaten. Hujuſmodi declarationem, præter Cavalerium alii, inter quos Paſcucius relatus a Merato *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 14. opinantur, atque contendunt, eſſe favorabilem quibuslibet Epiſcopis, & non uni Archiepiſcopo Granatenſi; ſed contradicit Meratus loc. cit. qui videri poteſt. In dicto igitur caſu, quo Sacramentum per viam deponitur aliquantulum ſuper Altare, deponatur per Diaconum eo ritu, quem deſcribemus in Appendice ad Calcem Diarii cap. 3. num. 114. Depoſito ſuper Altare Sacramento, genuflectit Celebrans cum Sacris Miniſtris ſuper infimum Altaris gradum, & mox de more impoſito incenſo in thuribulo, triplici ductu incenſabit Sacramentum, Orationem cantans poſtmodum de eodem Sacramento, cui orationi præmitti poteſt una, vel altera ſtropha alicujus hymni de SS. Sacramento cum ℣. *Panem de Cœlo ;* reſervata ſtropha : *Tantum ergo :* ad Proceſſionis finem, quando videlicet Sacramentum repoſitum eſt ſuper Altare Eccleſiæ Matricis. Ita cum Pittono Caval. loc. cit. ubi ex Cærem. Epiſcop. monet : id non eſſe paſſim faciendum *in ſingulis* Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, ſed ſemel tantum, aut iterum arbitrio Epiſcopi, ſeu Celebrantis. Confer Merat. cit. tit. 12. num. 16. Super prædicta Altaria non eſt neceſſe, quod adſit petra ſacra ; cum non ſit in iis celebranda Miſſa ; ſed ſufficit, quod adſit Sacrum Corporale, ſuper quod deponatur Sacramentum, dum Proceſſio ſiſtit. Merat. loc. cit. n. 26.

Denique pro hac Proceſſione videri etiam poſſunt dicenda in cit. Appendice ad Calcem Diarii cap. 3. art. 7. ſect. 5. in Inſtruct. Clement. pro Proceſſ. in expoſit., & depoſit. SS. Sacrament. occaſione oration. ſolemnit. quadraginta horarum, a paragraph. 19.

§. VI.

De transferenda Proceſſione ſolemni in caſu Impedimenti.

UBI *Proceſſio SS. Sacramenti in ejus* 57
feſto die, vel per octavam, ea, qua decet, ſolemni pompa nequiverit haberi, deſignabit Epiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia, unicuique Eccleſiæ aliquam ex ſequentibus Dominicis, in qua celebrata Miſſa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta Rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius proceſſio peragi poſſit. S. R. C. 8. Martii 1749. *in Liſbonen.* apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 19. *num.* 16. *decr.* 40. Cum non raro eveniat, quod ob pluviam, turbines, ventorum flatus, aliaſve ſimiles cauſas, prædicta Proceſſio nedum cum conſueta, ac præſcripta in Rituali, & Cæremoniali, & a Concil. Tridentino laudata, ut ſubſ. 1. vidimus, aut ſaltem convenienti pompa fieri non valeat, ſed neque extra Eccleſiam per vias, & loca publica elongari : S. Congregatio, per tumultuariam proceſſionem, aut ſine debita ſolemnitate intra Eccleſiæ ambitum illam ſupplendam non eſſe, credidit, ſed facien-

ciendam eſſe infra Octavam ejuſdem feſti, ad quam hoc ipſo translata intelligitur, & præcipue ad diem Dominicam, aut Octavam diem, ut cum ſolemni pompa, ſicuti par eſt, valeat celebrari.

Quid ſi neque infra Octavam fieri poſſit: *Deſignabit Epiſcopus*: ait Sacra Congregatio: & cum hoc verbum magis imperativum ſit, quam facultativum: ut obſervat Cavaler. cit. cap. 19. num. 18. abunde deſignat, quod Eccleſiæ ſe diſpenſare non poſſint ab eadem Proceſſione facienda, ſed quod magis eam facere teneantur in die, quam Epiſcopus deſignabit. Quod ſi in die deſignata iterum impedimentum concurreret, poſſet Epiſcopus iterum aliam deſignare; Caval. loc. cit. fin. *Unicuique Eccleſiæ*: adeoque non tantum Cathedrali, ſed Eccleſiis quibuslibet ſuæ juriſdictionis, quæ in feſto Corporis Chriſti proceſſionem facere ſoleant aut teneantur. Quod ſi id extendere lubeat ad proceſſionem SS. Sacramenti, quæ infra ejuſdem Octavam ab Eccleſiis aliis fieri ſolent, quæ ſimiliter fuerint impeditæ: ſe non admodum refragari, ait Caval. dummodo non inde cenſeantur in præcepto conſtitutæ, ſed in mero arbitrio: quemadmodum ſunt etiam in diebus ipſis infra præfatam Octavam.

Deſignabit aliquam ex ſequentibus Dominicis: Dies Dominica utpote feſtiva, aptior eſt, atque commodior; ideo ea præſcribitur deſignari; non limitatur autem ad primam, vel ſecundam Dominicam poſt Octavam, ſed committitur arbitrio, & prudentiæ Epiſcopi Diœceſani Dominica deſignanda, *pro ſuo arbitrio, & prudentia*: quam ſcilicet melius expedire putaverit, habito reſpectu ſolemnioris Proceſſionis, & commodi populi, & Cleri, ſeu Eccleſiæ, quæ transferat Proceſſionem; & ideo ſi alia dies feſtiva ad intentum magis expedire videatur, eam ab Epiſcopo etiam deſignari poſſe, non reluctatur Caval. licet, inquit, nonniſi conſultius eſſe poſſit textus verbis adhærere.

In qua celebrata Miſſa ſolemni: ut ſervetur diſpoſitio Cæremonialis Epiſcop. atque Decretor. quæ poſt Miſſam, Proceſſionem prædictam indicunt, inſtituendam eſſe in die feſto, in Eccleſia digniori, ad quam ſpectat illam habere. Recole dicta §. 4. fine.

Cum commemoratione SS. Sacramenti: ergo Miſſa celebranda eſt, non de SS. Sacramento, ſed de Officio quod ea die occurrit; videri poſſunt dicenda in Appendice ad Calcem Diarii cap. 3. art. 5. num. 20. Commemoratio autem Sanctiſſimi Sacramenti, ſeu oratio recitanda eſt poſt omnes a Rubricis ea die præſcriptas; vid. dicenda cit. art. 5. n. 22.

SUBSECTIO VIII.

Not. tempore Interdicti localis generalis.

TEMPORE Interdicti localis generalis ſuſpenditur Interdictum in feſto, & per Octavam Corporis Chriſti ex conceſſione Martini V. ann. 1429. 26. Maji Conſtit. incip. *Ineffabile Sacramentum* §. 3. t. 1. Bullar. Cher. b. Vid. Avil. *de Cenſur. part.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dubit.* 9., & *dubit.* 11. *concl.* 2. Sylveſt. V. *Interdictum*. 3. *in addit.*, & V. *Interdict.* 5. *qu.* 2. *num.* 2. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 18., & 55

 8. *de*

8. *de Cenſur. cap.* 4. *qu.* 8. *num.* 108. Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. qu.* 4. *num.* 13. Lezan. V. *Interdict. Regul.* num. 27. Chiavett. *Conſult.* 143. *num.* 10. & *Conſult.* 151. *num.* 4. 5., & 10., & *Inſtit. Juris Canon. lib.* 3. *part.* 2. *in fine voluminis in addit. ad cap.* 9. *num.* 57. Sa V. *Interd.* num. 28. Tolet. *Inſtruct. ſacerd. cap.* 53. *num.* 6. Tambur. *de Cenſur. tract.* 3. de Interd. *cap.* 1. §. 3. *num.* 7., & *Method. commun. cap.* 6. §. 7. *fine.* Buſemb. *lib.* 7. *de cenſur. c.* 4. *de Interd. dub.* 2. Et pro nonnullis dubiis, quæ occurrere poſſint in hac re, videantur dicta in Domin. Reſurrect. artic. 7.

SUBSECTIO IX.

De Reſidentia Epiſcoporum.

56 TRIDENTINUM Seſſ. 23. cap. 1. de Reformat. indulget Epiſcopis, ex juſta cauſa abeſſe a propriis Diœceſibus per trimeſtre ſive continue, ſive interrupte intra annum; eoſque ſimul admonet, ne per illius temporis ſpatium Pentecoſtes, Corporis Chriſti ec. diebus ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abſint, niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſium ſuarum locis eos detineant. Vid. dicenda in Appendice ad Calcem Diarii cap. 11.

SECTIO II.

Not. infra Octavam SS. Corpor. Chr. in genere.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS IV.

Subſ. I. *De Horis Canonicis.*
Subſ. II. *De Miſſa.*
Subſ. III. *De Expoſitione, & Proceſſione SS. Sacram.*
Subſ. IV. *De Indulgentiis.*

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis.

FESTUM SS. Corporis Chriſti celebratur cum Octava, ut notavimus num. 27. Infra Octavam SS. Corporis Chriſti fit quidem de duplici occurrente. *Rubr. Brev. hic.* & *in Rubr. gen. loc. cit.* De ſimplici fit tantum commemoratio ſine nona lectione. Rubr. Brev. hic. quando videlicet fit officium de die infra Octavam: *In officio de die infra Octavam Corporis Chriſti non legitur nona lectio de feſto ſimplici.* S.R.C. 8. Junii 1669., & 4. Aprilis 1705. apud Caval. *tom.* 2. *cap.* 16. *decr.* 1. & 4. Si autem fiat officium duplex, quod non ſit primæ claſſis, tunc de ſimplici legi utique debet nona lectio, ſi propriam habeat, ex Decretis S.R.C. 12. Septemb. 1671, & 10. Januar. 1693., & 4. Apr. 1705. apud Caval. loc. cit. d.d. 2. 3., & 4. Cur autem in Officio de die infra Octavam SS. Corporis Chriſti lectio ſimplicis taceatur? dicit Cavalerius, eſſe, quia *Homiliæ*, *quæ per Octavam leguntur apte de tanto cunctæ profantur myſterio; quare conveniens haud erat ejuſdem laudes, & præconia taceri,* 57

Digitized by Google

ceri, ut Simplicis legeretur hiſtoria. Hujus itaque commemoratione permiſſa, quæ nullum officio Octavæ afferebat incommodum, vetita fuit nona lectio, quæ lectionem perimebat Octavæ. Ita Caval. in ſupra cit. decr. 1. n. 4.

Si vero infra Octavam Corporis Chriſti occurrat Vigilia, in officio de Octava legendam eſſe nonam lectionem de Homilia Vigiliæ, tenere communem ſententiam Auctorum, & habere praxim Eccleſiarum, teſtatur Caval. in cit. decr. 1. num. 6. & 7. Porro, ut idem obſervat, cum Vigilia habeat lectionem ſuper Evangelium, cui multum honoris ſemper detulit Eccleſia, ideo non mirum, ſi in occurſu ſimplicis nona lectio taceatur; non item in occurſu Vigiliæ. Neque hic obeſt, quod de Octava ſupprimat lectionem, ſimul enim invenit expoſitionem ſuper alteram doctrinam Chriſti, de qua multo magis nos convenit inſtrui, & ideo cum aliquali Octavæ incommodo, nona lectio Vigiliæ rite præſcripta eſſe cenſetur, ſecus Simplicis. Ita Caval. Cæterum ex eodem num. 7. & 8. nona lectio Officii Corporis Chriſti in dicto caſu poſſet, imo, & congrueret Octavæ lectioni conjungi. Num autem legenda ſit nona lectio Simplicis in officio Dominicæ infra hanc Octavam? ibi videbimus.

Occurrentibus eadem die duobus feſtis
58 *duplicibus infra Octavam SS. Corporis Chriſti, non eſt de tranſlato agendum die immediate ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam Octavam.* S. R. C. 7. Decembr. 1686. *in una Canonic. Regular.* apud Caval. *tom. 2. cap. 16. decr. 5.* Porro infra Octavam SS. Corporis Chriſti non fit de duplici tranſlato ſive minori, ſive majori. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. num. 3.* Caval. *cit. cap. 16. decr. 6. num. 12.*

Poteſt autem infra Octavam Corporis Chriſti recitari officium de du- 59
plici primæ, vel ſecundæ claſſis, etiam translato, ex D. S. C. R. 3. Maji 1669. apud Caval. cit. dec. 6.

Ubi Octava Corporis Chriſti ex Indulto Sacræ Rit. Congregationis eſt ita privilegiata, ut de nullo feſto infra 59
eamdem fieri poſſit, niſi fuerit primæ claſſis, in quo æquiparetur Octavæ Epiphaniæ Domini: ſi aliqua alia octava inchoata ſit ante feſtum Corporis Chriſti, ea adveniente ceſſat Octava jam inchoata. Quod ſi infra Octavam Corporis Chriſti, occurrat feſtum primæ claſſis habens Octavam, de eo celebrabitur officium cum commemoratione Octavæ Corporis Chriſti; ſequentibus autem diebus fiet officium de ipſa Octava Corporis Chriſti cum commemoratione octavæ occurrentis. S. R. C. 22. April. 1741. *in Vilnen.* apud Zachar. indic. decret. n. 935. ut in opere Merati in 2. append. ind. decr.
Brev. num. 417. 60

Ubi feſtum SS. Trinitatis celebratur cum octava, adveniente Octava Corp. Chr., recitandum eſt officium de Octava SS. Corp. Chr. cum Commemorat. Octavæ SS. Trinitat. *Vide dicta in Dom. I. Pentec. num. 10.*

Si Octava S. Joannis Bapt. & Corporis Chriſti ſimul occurant, fit Officium de die infra Octavam Corporis Chriſti cum commemoratione diei infra Octavam S. Joannis. *Rubr. gen. Brev. tit. 7. num. 3., & tit. 10. n. 1.*

Quando fit de die infra Octav. Offic. Semidupl. lect. 1. noctur. de Script. 2. & 3. noctur. quotid. prop. reliqua ut in feſto. Si occurret Feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio ſine lectione de eodem, etiamſi pro-

propriam habeat in Brev. ſecundum ſupra dicta.

Quotidie ad Primam in ℟. brev. *Qui natus es*, & hymni terminanantur: *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es &c.* qui ſint ejuſdem metri, & non habeant ultim. ſtropham propriam, ut e. g. habet hymnus de Communi plur. Martyrum ad Laudes; etiamſi de die infra Octavam ſola fiat commemoratio. *Rubr. gen. Breviar. tit.* 20. *num.* 4., *& tit.* 28. *num.* 3.

Quodcumque feſtum occurrat infra Octavam Corporis Chriſti, ſemper fit ſaltem commemoratio de die infra Octavam Corporis Chriſti. *Rub. gen. Brev. tit.* 7. *num.* 3., *& tit.* 9. *num.* 6. *fine*.

SUBSECTIO II.

De Miſſa.

61. MISSA, quando dicenda eſt de die infra Octavam, ut in feſto; 2. Orat. *Concede*. 3. *Eccleſiæ*, vel pro Papa, niſi occurrat commemoratio feſti Simplicis: Sequentia: *Credo*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 11. Præfatio tantum Nativit., niſi infra hanc Octavam occurrat feſtum, quod propriam habeat Præfationem, puta B. Virginis, vel alicujus Apoſtoli, ut S. Barnabæ, vel SS. Apoſtol. Petri, & Pauli. Color Param. albus.

62. Et ſi in Vigiliis infra Octavam, ſi officium eſt de Octava, Miſſa fit de Vigilia cum commem. Octavæ; excipitur tamen Vigilia SS. Apoſtol. Petri, & Pauli, & S. Joannis Baptiſtæ reſpectu Octavæ Corporis Chriſti; ſi enim prædicta Vigilia venerit infra Octavam Corporis Chriſti, & Officium ſit de die infra Octavam, Miſſa quoque erit de die infra Octavam Corporis Chriſti cum commemoratione Vigiliæ. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 3. *num.* 2., & ejuſdem Evangelium in fine, cohærenter ad dicta ſubſ. præced. num. 57. Præfatio erit propria Octavæ. In Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una de Octava poſt Tertiam, alia de Vigilia poſt Nonam: Rubr. cit. Cujus diſpoſitionis rationem aſſignat Caval. *tom.* 2. *cap.* 15. *decr.* 3. *num.* 7. & rurſus *tom.* 5. *cap.* 14. *num.* 62. dicens, id eſſe, quia Octava Corporis Chriſti, cum id habeat privilegii, ut expellat feſtum ſemiduplex quodlibet occurrens; quinimo & duplex minus, aut majus tranſlatum, adeoque inſtar ſe habeat feſti duplicis, aut ſaltem ſemiduplicis; conſequenter, uti Vigilia incidens in feſtum ſemiduplex huic privatas cedit Miſſas, duæque ſunt Miſſæ cantandæ: utique non diſſimiliter fieri debebit infra Octavam hanc. Ita Caval. qui num. 8. ſubdit, ipſum debere eſſe judicium de Octava qualibet, quæ habeat privilegium excludendi feſtum ſaltem ſemiduplex occurens, tametſi infra eam occurrat Vigilia, aut feria quælibet major, aut Dominica anticipata. In Miſſa Conventuali de Vigilia non fit commemoratio Octavæ, & dicitur Præfatio communis. Caval. *tom.* 5. *cit. n.* 62. Merat. *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 12. *num.* 7.

Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. *In Alexandrina*, apud Merat. ind. decr. Miſſ. n. 80.

Infra Octavam SS. Corporis Chriſti 63

pro-

prohibentur Miſſæ votivæ quæcumque, *vel pro Defunctis*. S. R. C. approbante Clemente X. 21. Junii 1670. apud Caval. *to.* 3. *c.* 9. *d.* 3. Miſſæ votivæ excluduntur *quæcumque*. An autem liceat votiva ſolemnis in ſolemni ejuſdem Sacramenti expoſitione ob ſpecialem cauſam vere gravem, & publicam? vid. in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 5. nu. 20. & 24. ubi hujuſce jam deſcripti decreti faciemus mentionem. Miſſæ quoque Defunctorum excluduntur ſimpliciter in decreto allegato, ſed admittuntur cantatæ Corpore præſente, ex decreto ſequenti: *Miſſæ cantatæ Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti non ſunt celebrandæ, niſi præſente corpore*. S. R. C. 12. Septemb. 1671. in *Nuſcana*: apud Caval. *to.* 3. *c.* 5. *d.* 5. quod confirmatum fuit anno 1738., cum enim quæſitum fuiſſet: *An in diebus infra Octavam Corporis Chriſti duplicia non excludentibus cantari poſſit Miſſa de Requiem de die obitus, tertio, ſeptimo, & trigeſimo in dicto Octavario incidentibus? Reſponſum fuit negative, & ſerventur decreta vulgata in Nuſcana 12. Sept. 1671. & in Collenſi 5. Julii 1698.* S. R. C. 8. Martii 1738. in *Ulixb. Occident.* apud Caval. to. 3. in Append. poſt ultimum decretum capitis 12. Decretum in *Nuſcana*, quod hic allegatur, eſt præcedens deſcriptum: Decretum vero alterum, cujus etiam fit mentio, videlicet in *Collenſi*, dabimus in Appendice ad calcem Diarii c. 9. num. 10. eſt autem tenoris ſequentis: *Infra Octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, & Officio ſolemni*, S. R. C. 5. Julii 1698. apud Caval. *to.* 3. *c.* 5. *d:* 4. Officium ſolemne appellat Officium dierum 3. 7. & 30. vel aliorum ſolemniter celebratorum, de quibus loquitur Rubrica V. n. 5. ut ex Caval. docebimus loc. cit. Verum ibidem ex eodem dicemus, Octavas privilegiatas, de quibus meminit decretum, eſſe Octavas excludentes duplex 1. vel 2. claſſis; At vero hujuſmodi non eſt Octava Corporis Chriſti: quid ergo allegatur item Decretum in *Collenſi* pro Octava Corporis Chriſti, ad excludendum ab ea Miſſam Defunctorum de die obitus corpore non præſente, & diebus 3. 7. & 30. in ea incidentibus? Proculdubio quia licet Octava Corporis Chriſti non habeat privilegium excludendi duplicia 1. vel 2. cl. habet autem privilegium, ne ipſius ſaltem commemoratio excludatur etiam a duplici 1. vel 2. cl. Profecto Cavalerius comment. in ſupra allegatum decretum in *Nuſcana*, hæc habet nu. 2. *Octava Corporis Chriſti privilegiata dumtaxat eſt contra ſemiduplicia, etiam occurrentia, & duplicia per annum tranſlata, non contra duplicia occurrentia: quomodo itaque Anniverſariorum Miſſas, aliaſque occurrentes, quibus cedunt duplicia ipſa majora, reſpuere valeat? facile non eſt, edocere. Verum præ cæteris id privilegii hæc aſſequitur Octava, ut numquam, occurrente etiam duplici primæ claſſis, ſui commemorationem deperdat; hinc quia in Defunctorum Miſſis præfata commemoratio locum non habet, jure intra eamdem Octavam vetitæ ſunt quæcumque Miſſæ de Requiem privatæ, cantatæ, & ſolemnes, excepta dumtaxat Miſſa præſente corpore &c.* Hæc Caval. qui n. ſeq. idem privilegium docet, tribuendum eſſe Octavæ Nativitatis, utpote quæ ſimiliter non amittit ſui commemorationem, quolibet feſto occurrente etiam 1. cl. ut ſuo loco nota-

tavimus. Prædictum privilegium Octavæ Corporis Chriſti conceſſum excludendi Miſſas Votivas, & defunctorum, confirmatum fuit anno 1714. in quo decreto ſimul aſſignatur alia ratio diſpoſitionis hujuſmodi præter illam prædictam ex Cavalerio aſſignatam pro excluſione Miſſarum de Requiem; eſt autem Decretum tenoris ſequentis: *Ad augendam Fidelium venerationem erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibuit celebrari Miſſas votivas, vel pro Defunctis infra Octavam Corporis Chriſti S. R. C. 15. Septembr. 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem*, apud Caval. *to.* 3. *c.* 9. *d.* 4. in quod decretum hæc ſcribit Caval. *En facti privilegii cauſam*: Ad augendam &c. *Pro Miſſis Defunctorum etiam ea ratio relevat, quod deperiret alias commemoratio, qua nunquam Rubricæ privari volunt Octavam Corporis Chriſti, quodcumque feſtum occurrat; Miſſæ enim Defunctorum haud validæ ſunt ſuſcipere quamlibet commemorationem vivorum. Verum reapſe nec hujuſce privilegii alia profecto eſt cauſa, quam illa, cujus decretum meminit, nempe incrementum cultus erga Auguſtiſſimum Sacramentum, quod eſt potiſſimum ex iis, quibus nos dignavit Dominus.* Hæc Caval.

Sacra Rituum Congreg. interrogata: utrum in Cathedrali Vilnenſi cum multæ adeſſent fundatæ Miſſæ votivæ quotidianæ in cantu, hæ eſſent prohibitæ, quando per Rubricas Miſſalis, ac decreta Sacræ Congregationis prohibentur Miſſæ votivæ privatæ, videlicet per Octavas Pentecoſtes, & SS. Corporis Chriſti &c.? reſpondit affirmative, & pro votivis ſubſtituendas eſſe Miſſas de feſto in cantu, vel ex rationabili cauſa ab Ordinario dignoſcenda, & approbanda, ſubſtituendas eſſe Miſſas de feſto lectas, & ſic ſatisfieri poſſe fundationi 22. Decemb. 1753. *in Vilnen.* ad 6. 7. & 8. dub. apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recentior. decret.*

Si infra Octavam dicenda ſit Miſſa pro ejuſdem Proceſſione facienda, (hæc enim ſi fiat de mane, fieri debet poſt Miſſam, quemadmodum in die feſto fieri debere, notavimus Sect. 1. ſubſ. 7. §. 4. fine:) & occurrat Officium de aliquo feſto duplici, vel de Dominica infra Octavam, Miſſa eſt de Officio occurrenti cum commemoratione SS. Sacramenti. Caval. *to.* 4. *c.* 19. *nu.* 7. vide dicta Sect. 1. ſubs 7. §. 6. fine, & dicta locis ibi indicatis.

SUBSECTIO III.

De Expoſitione, & Proceſſione SS. Sacramenti.

Quamvis Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. c. 33. expoſitionem publicam SS. Sacramenti fieri infra Octavam Corporis Chriſti, ſignificet eſſe laudabile, attamen ea non eſt facienda ſine facultate Epiſcopi, ex Decr. S. C. Concil. 4. Februar. 1719. apud Caval. *to.* 4. *c.* 7. *d.* 13. recole dicta Sect. 1. ſubſ. 7. §. 2. & videri poſſunt dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 1. n. 1. ubi notabimus, eadem facultate opus habere Regulares.

Etſi autem Chiavetta *Conſult.* 187. *n.* 5. ſcripſerit quod, *quoad proceſſionem ejuſdem Venerabilis conceſſum eſt Regularibus, ut infra Octavam Corporis Chriſti eam facere poſſint intra Clauſtra, & ambitus Eccleſiæ, exeundo ab illius januа,* 56

mua, *& per eamdem redeundo*, *non tamen intra limites Parochiæ*, *ſine licentia Parochi*; *quia ipſi Regulares non habent Territorium*, *& ideo neque juriſdictionem*; *ita idem Pignatelli referens varias deciſiones S. R. C. to. 4. Conſult.* 85. *n.* 1. eiſi inquam, hæc ſcripſerit Chiavetta; at vero Cavalerius in hiſce materiis verſatiſſimus docet *to.* 4. *c.* 19. *n.* 12. Regulares non indigere prædicta facultate Parochorum: cum eam habeant ex conceſſione Pontificia. Porro cum S. C. Epiſcop. & Regul. declaraſſet, quod *Licet Patribus Carmelitis abſque licentia Parochi facere Proceſſionem*; *& amplius cauſa non proponatur* 15. Januar. 1722. Ejuſmodi Decreto deſcripto, hæc ſubdit Cavalerius: *Solebant Faventiæ Patres Carmelitæ in die Dominico infra Octavam Corporis Chriſti Proceſſionem facere cum SS. Sacramento abſque licentia Parochi Sanctæ Margaritæ*, *per cujus fines Proceſſio ſolita erat tranſire*. *Contendens Parochus dictam licentiam aliquando fuiſſe petitam*; *ut Proceſſionem impediret*, *recurſum habuit ad ſuum Epiſcopum Faventinum*, *a quo tamen in executionem Conſtitutionis Gregorianæ* (hoc eſt Gregorii XIII. Conſtitut. *Cum Interdum* 11. Martii 1573. vide dicenda in Dom. infra hanc Octav. ſect. 3. n. 76.) *quæ dum Regularibus extra Clauſtra Proceſſionem concedit facere*, *inſimul indulget ſuper tranſitum per Parochiales limites*; *permiſſum fuit iiſdem Carmelitis prædictam Proceſſionem agere abſque ulla licentia dicti Parochi*. *His non attentis*, *prædictus Parochus auſus fuit*, *eamdem Proceſſionem jam inceptam impedire*, *obſtans violenter itineri Proceſſionis*. *Hinc deducta fuit cauſa ad Congregationem Epiſc. & Regul. quæ cum*, *ut ſupra*, *eandem definiverit*, *liquido conſtat*, *quod Regulares quique*, *ad peragendam Proceſſionem SS. Sacramenti in die qualibet infra Octavam Corporis Chriſti*, *haudquaquam egent licentia Parochorum*, *per quorum limites Proceſſio tranſit*, *cum ad id ſuffulti maneant Apoſtolico Indulto per Gregorianam Conſtitutionem iiſdem facto*. Hæc Caval. qui tamen fatetur, non poſſe Regulares abſque Parochorum, vel Epiſcoporum licentia mutare viam ſemel electam: ſicut, inquit, videtur, innuere decretum quoddam editum pro Fratribus Prædicatoribus, ſic ſe habens: *Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis Proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra Octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam*. S. R. C. 14. Novemb. 1615. in *Piſauren.* apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 150.

Prædicto autem privilegio non gaudent Confraternitatum Eccleſiæ, etſi enim: *Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt Proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis inſtitutum*, *abſque interventu*, *& licentia Parochi*. S. R. C. 10. Decemb. 1703. apud Caval. *cit c.* 19. *n.* 13. At vero *Proceſſiones juxta inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum abſque licentia illorum Parochorum per quorum Territorium tranſeundum eſt*, *niſi adeſſet licentia Epiſcopi*. Eadem Congreg. in eodem decreto, apud Caval. l. cit. 66
Hæc fortaſſe cauſa eſt, ob quam Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ die 15. Septembr. 1695. definiviſſe refertur apud eumdem Caval. l. cit. *Miniſtris Conſolationis Almæ Urbis non licere facere Proceſſionem per Parochiam intra Octavam SS. Corporis Chriſti*, *& præſertim eo die*, *quo fit per Eccleſiam Parochialem*, *præterquam intra* Ec-

Eccleſiam dumtaxat. Hæc igitur fortaſſe cauſa eſt, inquit ipſe Caval. ob quam Congregatio laudata Proceſſionem prædictam SS. Sacramenti intra Eccleſiarum ambitum ſine Parochorum venia (quod in decreto ſubintelligendum eſt :) declaravit licitam; illicitam vero extra earumdem Eccleſiarum ambitum , & præſertim , quia Gregoriana Conſtitutio Confraternitatibus, quarum nullam mentionem habet, ſuffragari non poſſe videtur. Ita Caval. qui tamen animadvertit, notatu dignum eſſe, quod S. R. C. ad præfatas Proceſſiones extra Eccleſiarum ambitum licentiam Parochorum exigit, non interventum , ut inde ediſcas, inquit , quod non ſpectat ad Parochos, ſed ad Confraternitatum Capellanos eaſdem Proceſſiones agere, dummodo interſit licentia Epiſcopi in defectu veniæ Parochorum. Subditque, ad rem facere admodum deciſionem quamdam Congregationis Concilii, quæ, propoſito dubio in una *Fulginaten. An delatio Venerabilis, quæ ſingulis annis fieri ſolet die ultima Aprilis per Civitatem poſt expoſitionem XL. Horarum , ſit facienda a Capellano Confraternitatis, vel potius a Parocho ? Reſpondit : delationem eſſe faciendam a Capellano Confraternitatis de licentia Epiſcopi* Congregat. Concil. 18. Maji 1726. & quidem cum ex decr. S. R. C. Confraternitatum Capellani in Proceſſionibus, quæ fiunt extra ambitum , non debeant deferre ſtolam , dubium eſſe non poteſt , ait Caval. quin ad eoſdem Capellanos prædictæ Proceſſiones attineant , & non ad Parochos; licet poſtea in hac Proceſſione, in qua defertur SS. Sacramentum, ab iiſdem ſtola deferri indubie debeat, cum demandata ſit a Rubricis , & quibuſcumque Rituum regulis . Ita Caval. Quæ tamen intelligenda eſſe monet , dummodo in Parochorum favorem non militent conſuetudo immemorabilis, vel centenaria, aut Conſtitutiones Synodorum Provincialium, vel Diœceſanarum, Conventiones &c. quibus cum ſubjaceant Decreta S. R. C. de die 10. Decembr. 1703. ſupra notata , ſe non dubitare, inquit , etiam illud Concilii modo allegatum ſubeſſe, utpote laudatis Decretis innixum.

Cum a Patribus Carmelitis fieri 67
Imolæ ſoleat infra Octavam Corporis Chriſti Proceſſio SS. Sacramenti, requiſita fuit S. R. C. *An liceat Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium , & ibidem benedictionem impertiri eiſdem Monialibus , & deinde populo , nec non in propria Eccleſia ſub triplici ſigno ad formam ejuſdem Ritualis in caſu &c. Respond. licere Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium , accedente conſenſu Epiſcopi , ibique impertiendum eſſe unicam benedictionem Monialibus , & in propria Eccleſia cum triplici ſigno* . S. R. C. 16. Maji 1744. in *Imolen.* apud Caval. to. 4. c. 9. d. 7. qui videri poteſt pro explicatione ejuſdem.

Eadem Sacr. Congreg. in eadem *Imolen.* interrogata. *An Patres Carmelitæ induere poſſint ſacras veſtes ad formam eorum Ritualis in Proceſſione facienda extra Clauſtra , & ambitum Eccleſiæ infra Octavam SS. Corporis Chriſti ? Reſpond. Affirmative , exceptis Fratribus Laicis* . Apud Caval. *eod. to.* 4. *c.* 19. *n.* 10. *d.* 28., vid. dicta ſect. 1. ſubſ. 7. § 5. n. 47. ubi hujuſce Decreti fecimus mentionem.

Abſque Pluviali non licet , non 68
habentibus uſum illius , in die , & infra Octavam Corporis Chriſti pe-

ra-

ragere Proceſſionem cum SS. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum Pluviali ab ipſis non habentibus uſum, ſtatuit S. R. C. 1701. & 1742. & 1756. vid. dicta cit. §. 5. n. 45.

An Regulares teneantur accedere ad Proceſſionem quæ infra Oct. Corp. Chr. fiat in Cathedrali, ſeu Eccleſia digniori? vide cit. §. 5. n. 48.

SUBSECTIO IV.

De Indulgentiis.

69 QUÆNAM Indulgentiæ acquiri poſſunt infra Octavam Corporis Chriſti, cognoſci poteſt ex dictis ſect. 1. ſubſ. 6.

ARTICULUS V.

Not. Fer. VI. infra Oct. Corp. Chriſti.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

70 UBI ſit Octava Sanctiſſimæ Trinitatis, fiat hodie ſola commemoratio ejus; & in Miſſa Præfatio de Nativ. ac ſimiliter die proxime ſequenti. Vide dicta in Dom. 1. Pent. ſect. 4.

ARTICULUS VI.

Not. in Sabbato infra Oct. Corporis Chriſti.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

71 SI factum ſit de die infra Octavam, in 2. Veſp. a Cap. de Dominica infra Octav. Corporis Chriſti, ſi cras fiet de ea, & commemoratio Octavæ Corpor. Chriſti, ut in Brev.

CAPUT II.

Not. in Hebdom. II. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. II. poſt Pentec. quæ eſt infra Oct. Corporis Chriſti.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Art. I. *De Hor. Canon.*
Art. II. *De Miſſa.*
Art. III. *De Proceſſionibus SS. Sacramenti.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

DOM. infra Octav. Corpor. Chriſti 72
2. poſt Pentecoſt. De ea, ſemid. Rubr. gen. Brev. tit. 2. nu. 1. Officium ut infra Octavam, præter lectiones, octavum Reſponſorium, Capitula ℣. & ℟. poſt hymn. ad Laud. & Veſp. item præter Antiphonas ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, & præter Orationem, quæ habentur propria, ut in Brev. in Dom. infra Oct. Corpor. Chriſti. Commemoratio Octavæ Corporis Chriſti in Laudibus, & 2. Veſperis, ob rationem indicatam in Dom. 2. poſt Epiphan. ſect. 1. n. 2. Non dicuntur preces, nec fiunt Suffragia Sanctorum, nec ad Primam recitatur Symbolum S. Athanaſii: *Quicumque*. Rubr. gen. Brev. tit. 4. n. 2. & tit. 33. n. 2. ubi autem fit de die Octava SS. Trinitatis, hodie

Digitized by Google

die ad Primam recitetur Symbolum prædictum S. Athanaſii; vide dicta in Dom. præc. ſect. 4. n. 9.

Si occurrat feſtum ſimplex, utrum in Officio hujus diei legenda ſit nona lectio Simplicis? Quidam negant, ſed melius affirmat cum aliis Caval. to. 2. c. 16. d. 4. eo quod non ſit Officium de die infra Octavam Corporis Chriſti, cujus tantum Officio ex Rubr. & Decret. conceſſum eſt privilegium excludendi lectionem ſimplicis; ut notavimus ubi de infra Octav. in genere n. 57.

Hæc Dominica ſi concurrat cum ſequenti feſto duplici 1. vel 2. claſ. commemorationem deperdit: cum non gaudeat privilegio Octavæ Corporis Chriſti. Caval. in cit. d. 4. n. 2. & Pittonus apud ipſum.

Si autem in hac Dominica occurrat feſtum ſemiduplex, non transfertur in diem immediate ſequentem, ſed poſt Octavam; vid. dicta infra Oct. in gen. & Caval. cit. c. 16. in d. 5. n. 3.

Dictum eſt ſupra: Officium hujus Dominicæ non eſſe de die infra Octavam Corporis Chriſti: quid ergo in Officio hujus Dominicæ dicuntur Pſalmi non de Dominica, ſed de feſto Corporis Chriſti, & ſolemnitatem ejuſdem ſapit totum fere Officium? Ratio eſt, ut Officium inſtanti celebritati concordat, ne Clerus aliud quam Populus in Eccleſiaſticis hujuſmodi ſolemnitatibus obſervet: ut in ſimili diximus ex Micrologo in Dom. infra Oct. Aſcenſionis nu. 2. Videri etiam poteſt Caval. in cit. d. 4. n. 4.

SUBSECTIO II.

De Miſſa.

73 MISSA propria, Commem. Oct. ſine 3. Orat. niſi occurrat commem. Simplicis: *Credo*, *Præf.* de Nativit. color param. alb. ubi autem hodie fit de die Octava SS. Trinitatis, Præfat. de Trinit. Vid. dicta in Dominica præced. ſect. 4. n. 11.

74 Celebratio Miſſæ in Dom. infra Oct. Corporis Chriſti ſpectat ad ſecundum de Capitulo ex decr. S. C. R. 23. Martii 1709. in *Compſana*. apud Merat. *ind. decret. Miſſ.* 611.

Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*, apud Merat. *indic. decret. Miſſ. n.* 80.

SUBSECTIO III.

De Proceſſionibus SS. Sacramenti.

75 SANCTISSIMUM *Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in feſto SS. Corporis Chriſti deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in Proceſſione, quæ fit in die Dominica infra ejus Octavam; non vero deferendum eſt a primo de Capitulo, qui non celebravit.* S. R. C. 23. Martii 1709. in *Compſana*, apud Caval. *to.* 4. *c.* 19. *n.* 4. Deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, ſi Proceſſio fiat de mane, ſi autem fiat poſt prandium, deferendum eſt ab eo, qui celebravit Veſperas. Vid. dicta in die feſto Corporis Chriſti ſect. 1. ſubſ. 7. §. 4.

Sacra Concilii Congregatio interroga-

rogata : *An in Proceſſione peragenda in die Dominico infra Octavam Corporis Chriſti in Eccleſia S. Margaritæ Terræ Caſtellucci ſuperioris, delatio SS. Sacramenti privative ſpectet ad Archipresbyterum S. Nicolai Terræ Caſtellucci inferioris, in caſu ? R. negative ; & amplius*. S.R.C. 3. Apr. 1756. apud Ferrar. in ſua bibl. *t.* 10. *edit.* 3. *Bonon.* in *poſteriori Append.* p.370. *col.* 2.

Pius V. ſua Conſtitut. 21. Junii
76 1571. Ordini Prædicatorum ampliſſimum conceſſerat privilegium, faciendi videlicet Proceſſionem cum SS. Sacramento in die Dominica infra Octavam Corporis Chriſti, itaut a nemine impediri poſſet, & inſuper quod nullus alter poſſet eodem tempore, vel die eamdem proceſſionem facere. Sed Gregorius XIII. qui eidem Pio V. immediate ſucceſſit, ſua Conſtit. *Cum Interdum* 11. Martii 1573. prædictum Indultum moderatus eſt quoad privativam, & univerſis Clericis ſæcularibus, & Regularibus conceſſit, ut Litteris Pii V. non obſtantibus, liceret ipſis tam die Dominica, quam aliis diebus totius Octavæ proceſſionem celebrare, abſque eo quod ab Ordine Prædicatorum, aut a quocumque alio poſſent moleſtari, vel impediri. Deinde vero Clemens VIII ſua Conſtit. *Dum felicis*. 8. Martii 1592. confirmavit Indult. Pii V. non planet amen quoad privativ., ſed ubi Pius V. aliis Clericis inhibuit *eodem tempore, & die* proceſs. facere : Clem. VIII. ſublato *die*, ejuſdem vice poſuit *hora*, & dixit : *Ne dicto tempore, & hora, in dicta die Dominica* ec. Quapropter Dominicanis quidem competit optio in electione horæ, ſed non propterea derogata manent jura competentia aliis Clericis vigore Gregorianæ Conſtitutionis ſuper proceſſionem etiam in hac die Dominica faciendam, dummodo eam peragant diverſa hora ab ea, quæ a Patribus Dominicanis electa fuerit ; unde a S. R. C. Decretum fuit, quod *Licet Patribus Reformatis Oppidi Montis Murri facere proceſſionem die Dominica infra Octavam Santiſs. Corporis Chriſti, dummodo fiat diſtincta hora ab ea, in qua fit a Patribus Dominicanis*. S. R. C. 18. Aprilis 1714. *in Tricaren.* apud Caval. *tom.* 4. *c.* 19. *n.* 11. *d.* 29. Et licet cauſa fuiſſet iterum propoſita ; nihilominus eadem S.C. ſub die 4. Martii 1717. *Stetit in deciſis, juxta modum præſcribendum ab Eminentiſſimo Ponente* : Qui ſub die 12. Martii 1718. illum præſcripſit ſequentibus verbis, videlicet *Proceſſionem faciendam eſſe per Clerum Sacularem in die Sanctiſs. Corpor. Chriſti. Per Patres Dominicanos in die Dominica infra Octavam de mane, & per Patres Reformatos in eadem die Dominica infra Octavam de ſero* : apud Caval. loc. cit. dec. 30. Ubi itaque in hac Dominica duplex fit proceſſio, convenit quidem, ut una fiat de mane, altera poſt prandium ; neceſſe tamen non eſt, ſed utraque fieri poteſt tempore matutino, vel pomeridiano, quemadmodum obſervat Caval. loc. cit. dummodo fiant diſtinctis horis, & inſuper detur Dominicanis prælatio circa electionem horæ ; qui tamen quam ſemel elegerint, non poſſunt amplius variare, ut in ſequenti Decreto : *Licet Patribus Franciſcanis facere proceſſionem extra clauſtra per loca ſolita, etiam de mane, in die Dominica infra Octavam Sanctiſs. Corporis Chriſti, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horæ Patribus Dominicanis, a*

qua

Digitized by Google

qua ſemel electa , non liceat amplius recedere. Innocent. XII. Conſt. *Sua nobis* . 25. Febr. 1696. apud Caval. loc. cit. decr. 31. Qui teſtatur , hoc pacto quoſque Auctores putare intelligendum eſſe ſequens decretum : *Licet Patribus Dominicanis prohibere aliis Regularibus , ne in die Dominica infra Octavam Sanctiſs. Corporis Chriſti peragant proceſſionem* . S. R. C. 30. Aprilis 1671. *in Placentina*. Ita ut exponendum ſit de facultate prohibendi talem proceſſionem in eadem hora hujus Dominicæ , non item in diverſa . Quamlibet adimere , notat idem Cavalerius, dubitandi rationem ſequens Decretum : *Patres Dominicani non valent prohibere Patribus Conventualibus proceſſionem S. Antonii Patavini , quatenus dicta die Dominica occurreret , dummodo fiat diverſa hora , & data prælatione temporis Patribus Dominicanis de mane , vel de Veſpere* . S. R. C. 18. Martii 1702. *in Aliphana*.

Laudati Patres Dominicani , non ſolum non poſſunt mutare horam ſemel electam ad hanc proceſſionem faciendam in hac Dominica , ſed nec viam item ſemel electam , per quam illam ducant , ut in ſequenti decreto : *Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti Dominica infra Octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam* . S. R. C. 14. Novembr. 1615 *in Piſauren.* apud Caval. *cit. cap.* 19. *num.* 12. *decr.* 35. Verum hujuſmodi prohibitionem eſſe communem cæteris Regularibus ſimilem proceſſionem SS. Sacramenti celebrantibus infra Octavam Corporis Chriſti : docere Cavalerium , & hoc ipſo confirmare Decreto : diximus ubi de infra Oct. in genere n. 65. fine.

ARTICULUS II.

Not. Fer. IV. poſt Dom. II. Pentecoſt. quæ eſt infra Octav. Corpor. Chr.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

MARTYROLOGIUM in ſerie feſtorum mobilium non recenſet elogium diei Octav. SS. Corporis Chriſti , nihilominus ea ſolet annunciari ex uſu communi ; annuncietur autem ſimpliciter, puta : *Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti*. Annuncietur primo loco , ſi de ea cras habendum ſit officium; quod ſi ſola commemoratio ; annuncietur ſecundo loco . Vid. Caval. *tom.* 2. *part.* 2. *cap.* 37. *decr.* 2. *num.* 9. & 11. 77

Veſperæ de ſequenti die Oct. SS. Corporis Chriſti dupl. omnia ut in primis Veſperis Feſti ; quod ſi hac die fuerit feſtum duplex , in his Veſperis fit de eo tantum commemoratio , niſi fuerit ex ſolemnioribus , ut dicitur in Rubric. de commemorat. *Rub. Brev. hic* . In primis Veſperis itaque Octavæ Corporis Chriſti totum officium fit de octava ſub ritu duplici , cum commemorat. præcedentis feſti duplicis, niſi fuerit feſtum ſolemne principale vel primæ , vel ſecundæ claſſis : quia tunc de feſto 1. vel 2. cl. fieret officium , & commemoratio Octavæ Corporis Chriſti , ut in primis Veſperis feſti . *Rubr. Brev. deſcript. poſt tabell. de concur. officii*, & eruitur a fortiori ex *Rubr. gen. Brev. tit.* 11. *num.* 7.

Si dies Octava S. Joannis Baptiſtæ occurat in die octava Corporis Chriſti fit commemoratio de Octava S. Joannis in utriſque Veſperis , & Lau-

Laudibus diei octavæ Corporis Chriſti. *Rubr. gen. Brev. tit.* 10. *num.* 1. & *tit.* 11. *num.* 7.

ARTICULUS III.

Not. Fer. V. poſt Dom. II. Pentecoſt. quæ eſt Octava Corporis Chriſti.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *Not. pro Proceſſione Sanctiſs. Sacramenti.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

78 OCTAVA Corporis Chriſti dupl. (Vid. dicta tr. 1. 13. Januarii num. 2.) Lect. 2. & 3. noctur. propr. reliqua ut in feſto. In ſecundis Veſperis, de ſequenti duplici fit tantum commemoratio, niſi illud fuerit primæ, vel ſecundæ claſſis, ſeu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Eccleſiæ; quia tunc de feſto fieret officium, & de octava commemoratio. Rubr. gen. Brev. tit. 11. num. 7., & in not. poſt tabell. de cuncur. Ubi vero in ſequenti fer. 6. recitabitur de SS. Corde Jeſu Chriſti, videantur ibi dicenda Sect. I.

79 Si feſtum duplex occurrat in die Octava Corporis Chriſti; transfertur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 10. *num.* 1. In die Octava Corporis Chriſti, nec de duplici ſecundæ claſſis occurrenti fieri poteſt officium, ex Decr. S. R. C. ſtatim allegando: etſi dies Octava Corporis Chriſti in concurſu cedat Veſperas ſequenti duplici ſecundæ cl. at in occurſu non cedit officium; Vide Cavaler. *tom.* 2. *cap.* 18. *Comment. in Decr.* 10. *num.* 16. Cum dies octava quælibet communis, & non privilegiata, feſtum duplex minus, & majus depellat: dies octava privilegiata ſaltem duplex ſecundæ claſſis, quod eſt infimum ex duplicibus altioris ordinis, conveniens erat depelleret: ſicut ejuſdem dies infra Octavam feſtum ſemiduplex explodit, quod a diebus infra octavas non privilegiatas minime excluditur; ut ſcite obſervat Caval. *tom.* 2. *cap.* 16. *Comment. in Decr.* 6. *num.* 12.

Poteſt tamen fieri de duplici primæ claſſis occurenti; & quamvis Rubrica Miſſalis Romani poſt Miſſam SS. Corporis Chriſti, tantum dicat: *In die Octava* (Corporis Chriſti) *non fit niſi de feſto S. Jo: Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſi occurrant, cum Commemoratione Octavæ*: hoc tamen intelligendum eſt ita; ut occurrente alicubi in die Octava Corporis Chriſti feſto æqualis ritus, ac eſt illud prædictorum Sanctorum, videlicet primæ claſſis, poſſit ſimiliter, debeatque fieri de eo cum commemoratione Octavæ Corporis Chriſti, uti habetur ex Decretis, & Rubricis. Et primo quidem ex Decreto Joannis XXII. in Brev. M. S. Biblioth. S. Iſidori de Urbe, in quo Pontifex meminit non modo feſti S. Joannis, ſed etiam alterius ex majoribus; quemadmodum teſtatur Gavantus *in Rubr. Brev. Sect.* 3. *c.* 8. *de Oct. n.* 12. Quodnam autem majus feſtum, quam duplex primæ cl.? Deinde ex Decreto S. R. C. hujus tenoris: *Infra Octav. SS. Corporis Chriſti poteſt recitari officium de duplici primæ, & ſecundæ claſſis, etiam translato, non autem in die Octavæ; in qua nec etiam poteſt recitari de dupli-*

ci

ci ſecundæ claſſis occurente . S. R. C. 30. Maji 1699. *in Viliſſipon.* apud Caval. tom. 2. cap. 16. decr. 6. Commune eſt cuilibet diei octavæ non cedere officium feſto tranſlato etiam 1. claſſis: rurſus, quemadmodum ſupra dicebamus, commune eſt cuilibet diei Octavæ excludere feſtum occurrens duplex minus, aut majus. Sed dies Octava Corporis Chriſti donatur privilegio excludendi feſtum occurens *etiam ſecundæ claſſis*; Dum autem in exceptióne ponitur ritus ſecundæ claſſis, datur intelligi, quod non excipiatur ritus altior, videlicet 1. cl. Profecto exceptio firmat regulam in non exceptis: uti Juriſtæ dicunt, ac deſumunt ex variis textibus juris civilis, & canonici. Verum hoc clarius patet ex ipſis Breviarii Romani Rubricis, enim vero in Rubr. gen. tit. 10. de tranſlat. feſt. num. 1. ſic legitur: *Si aliquod feſtum duplex ..... occurrat in feſto Corporis Chriſti, & ejus die Octav. .... transferatur in primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam; exceptis tamen feſtis Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ in die Octav. Corporis Chriſti celebrantur; excepto quoque feſto quocumque ſolemni alicujus loci, quod in propria tantum Eccleſia ..... celebratur*. Ubi nimirm eſt dupl. 1. cl. Deinde Rubrica particularis præfixa officio Corpor. Chriſti ita ſe habet: *In die Octava* (Corporis Chriſti) *non fit niſi de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, & de feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vel de alio ex ſolemnioribus, ſi occurrant, cum commemoratione Octavæ*. Quod autem feſtu ſolemnius, quum dupl. 1. cl.? Itaque, ut dicebamus, in die Octava SS. Corporis Chriſti poteſt fieri de feſto primæ claſſis occurrenti, cum commemorat. Octav.

80 Etſi hæc dies Octava excludat feſtum ſecundæ claſſis, fit nihilominus commemor. de Simplici, ſi occurrat ſine Lectione tamen de eo, ſecundum dicta ubi de infra Oct. in genere num. 57. Et ſimiliter fit hodie commemoratio de die infra aliquam Octavam, ſi occurrat.

81 Si hæc dies octava in 2. Veſperis concurrat cum die octava S. Joannis Baptiſtæ, Veſperæ erunt de Octava Corporis Chriſti cum commemorat. Octavæ S. Joannis. *Rubr. gen. Brev. tit. 11. num.* 8. Si autem dies octava S. Joannis occurrat in hac die Octava Corporis Chriſti, fit ut heri dictum eſt num. 77. fine.

SECTIO II.

De Miſſa.

82 Miſſa, ut in feſto cum unica oratione, fit tamen commemoratio de Simplici, aut de die infra aliquam Octavam, ſi occurat. Col. param. alb.

83 *Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt, ubi eſt conſuetudo cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die octava*. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina*, apud Merat. *ind. decret. Miſſ. num.* 80.

SECTIO III.

Not. pro Proceſſione SS. Sacramenti.

84 In die Octava Corporis Chriſti conſuevit inſtitui Proceſſio SS. Sacramenti, minus vero ſolemnis, quam in die feſto, ad reponendum illud,

& quaſi

& quaſi ad clauſulam congruentem tantæ feſtivitati . Fit autem Proceſſio in Veſperis , ſeu poſt finem Completorii ; vid. Merat. part. 4. tit. 12. num. 33.

In feſto Sanctiſs. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a Celebrante ; in Veſperis autem diei Octavæ (ſi fiat proceſſio :) deferatur ab eo , qui cantavit Veſperas , modo ſit Dignitas vel Canonicus . S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina* , & 23. Martii 1709. apud Caval. *tom. 4. cap. 19. num.* 4. Vid. dicta in die feſto ſect. 1. ſub. 7. tom. 4. An Regulares teneantur accedere ad proceſſionem SS. Sacramenti , quæ in die octava fiat in Cathedrali , ſeu Eccleſia digniori ? Vid. cit. ſubſ. 7. §. 5. num. 48.

ARTICULUS IV.

Not. Fer. VI. poſt Dom. II. Pentecoſtes poſt Octavam Corporis Chriſti.

Explicantur Subsectionibus II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *Not. pro lect. Bullar.* , & *Decretor. Pontiſ.*

SECTIO I.

De Hor. Canon.

85 PLuribus in locis conceſſum eſt hodie recitare Officium proprium , & celebrare Miſſam propriam Sanctiſſimi Cordis Jeſu ſub ritu duplici majori.

86 Nota hic 1. quod etſi dies Octava SS. Corporis Chriſti ſit ita privilegiata , ut , concurrente cum feſto duplici majori , habeat nihilominus Veſperas integras ; (confer dicta tr. 1. 13. Januar. art. 1. num. 2.) at vero ex Caval. *tom. 2. c. 25. comment. in decr.* 8. *num.* 4. id verum eſt , ubi concurſus ſit cum feſtis dignitatis inferioris , puta Deiparæ , aut Sanctorum : ſecus ſi fuerit cum feſto duplici majori ejuſdem Chriſti Domini , atque adeo dignitatis ejuſdem : quia tunc , cum , ex una parte , dignitas feſti ſit eadem , cum eadem ſit perſona , in cujus celebratur honorem ; & ex alia parte dies Octava Corporis Chriſti plus quam duplicis majoris privilegiata cenſeri non poſſit , non eſt unde adhuc retineat privilegium habendi ſecundas Veſperas integras in concurſu duplicis majoris.

Nota 2. ex eodem Caval. *tom.* 2. 87
cap. 18. *comment. in decr.* 12. *num.* 6. *cap.* 28. *in decr.* 2. *num.* 8. ſi concurſus ſit inter diem octavam , & feſtum ejuſdem ritus , ac dignitatis , Veſperæ dandæ ſunt feſto , cum ſolemnius eſſe ſoleat , & inſuper ejuſdem Officium die circumſcribatur uno : ubi de Octava per dies agitur octo . Porro concurrentibus duobus feſtis æqualis ritus , & dignitatis , Veſperæ poſſunt eſſe integræ de feſto ſolemniori , ad ſenſum Rubricæ XI. Brev. Rom. n. 2. , & juxta Declarationes S. C. R. Videantur dicta tr. 1. 14. Januar. n. 19. , & 20.

Nota 3. quod licet , eodem Caval. teſte *tom.* 2. *cap.* 32. *in decr.* 1. *num.* 1. generalis regula communiter recepta præſcribat , de uno , & eodem in eadem parte Officii non fieri ſimul officium , & commemorationem : unde videatur ſequi , recitatis Veſperis de uno feſto Domini , non eſſe faciendam commemorationem alterius feſti ejuſdem Domini : quemadmodum in feſto SS. Nomi- 88

nis B. M. quod celebratur in Dominica infra Oct. Nat. ejuſdem non fit commemoratio Octavæ; & in feſto Annunciationis B. Virg. concurrente cum feſto ſeptem dolorum ejuſdem non fit commemoratio ſequentis feſti ſeptem dolorum; Nihilominus, ut obſervat idem Caval. in cit. dec. 1. num. 3. regula allegata limitanda eſt in feſtis Dei, & Chriſti Domini, ex uſu communi, ex quo in omnibus Chriſti feſtis agitur alterius commemoratio, (ubi ritus permittat): ut in feſto SS. Nominis Jeſu de præcedenti Octava Epiphaniæ, quoties hæc cum illo concurrat; ſimiliter & in Dominicis quæ utique reputantur eſſe feſta Domini: (confer dicta tr. 1. lib. 2. in Dominica, art. 2. num. 20.) in Dominicis, inquam, occurrentibus infra Octavas feſtivitatum Domini, puta Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, in officio de Dominica infra Octavam fit commemoratio Octavæ feſti Domini: & quidem etſi fere totum officium Dominicæ deſumptum ſit ex eodem feſto Domini: ut patet in adductis exemplis. Exceptionis autem hujuſmodi rationem hanc aſſignat laudatus Auctor loc. cit. Eo nimirum quia, cum a Deo, & Chriſto Domino reſpective ut Auctore, & interceſſore bona noſtra cuncta procedant: de iiſdem numquam ſatis agitur. Et rurſus c. 33. comment. in decr. 2. ait, feſta Chriſti, ad differentiam illorum de Sanctis, non reſpuere commemorationem aliorum Chriſti feſtorum: niſi quoties feſta forent de Chriſto juxta eumdem reſpectum, & rationem. Confer Gavantum in Rubr. Breviar. ſect. 7. cap. 7. ad diem 3. Maji, verſu; *Si concurr. feſt. Aſcenſ.*

89 Nota 4. quod quantumvis hæc ita ſe habeant, nihilominus quo ad officium SS. Cordis Jeſu diſpoſitionem Eccleſiarum vidimus variam. In libello de hoc officio recitando in hac feria ſexta ſub ritu dupl. maj. Panormi impreſſo ann. 1765. deſcriptæ erant primæ Veſperæ integræ de hoc feſto; & non aſſignabatur commemoratio de Oct. SS. Corporis Chriſt. Contra vero nonnulli Directoria ad recitandas horas etiam pro Urbe Romana, in die Octava SS. Corporis Chriſti ſignant ſecundas Veſperas integras de Octava ſine commemoratione feſti SS. Cordis Jeſu. In quodam Directorio ad recitandas horas in Eremitana Religione Fratrum, & Monialium S. Auguſtini pro Italia, edito Cremonæ ann. 1775. dicebatur: ita declaratum fuiſſe a S. C. R. 17. Aug. 1771. In officio etiam recentiori SS. Cordis pro nonnullis locis impreſſo, & approbato ſub ritu dupl. maj. recitando aſſignantur 2. Veſp. integræ de Oct. SS. Corporis Chriſti ſine commemoratione SS. Cordis Jeſu. Attamen in quibuſdam aliis etiam noviſſimis Directoriis præſcriptam vidi commemorationem SS. Cordis in 2. Veſperis integris de Octava SS. Corporis Chriſti.

90 Quo ad omittendam commemorationem feſti SS. Cordis Chriſti in 2. Veſp. Octavæ SS. Corporis ejuſdem, nonnulli mihi aſſignarunt hanc rationem: quod incongruum eſſet, in Officio de toto Corpore Chriſti facere commemorationem partis ejuſdem; SS. videlicet Cordis. Nos autem rationem hujuſmodi judicavimus innixam falſæ ſuppoſitioni, ex non recta intelligentia rationis feſti Sanctiſſimi Cordis Jeſu. Sed hoc omiſſo, (pro quo Lectorem remit-

ti-

Digitized by Google

ſimus ad ea, quæ frater noſter Benedictus Tetamus ſcripſit in ſuo Apologetico *de vero cultu, & feſto SS. Cordis Jeſu*: ex quo luculentiſſime patet, feſtum eſſe Myſterii ad totum, integrum, & cultu indiviſibilem Dominum Noſtrum J. C. pertinentis, quamvis Myſterium hoc ipſum in aliqua ſingulari ejus corporis parte eluceſcat. V. Bened. Tetamum, *Apolog. de vero Culto, & feſto SS. Cordis Jeſu, lib.* 2. potiſſimum cap. 7. 11. 23. & 29.) etiam inhærendo rationi ſingulæ partis in eo feſto peculiariter indicatæ adhuc nos allegatam incongruentiam non videmus. Et vero incongruum non eſt, in Officio totius Corporis myſtici Eccleſiæ triumphantis in Cœlo Sanctorum omnium facere commemorationem unius, vel alterius Sancti, qui eſt pars laudati Corporis; unde in Breviario Romano die octava omnium Sanctorum fit commemoratio Sanctorum Mm. quatuor Coronatorum. Cohærenter Sacra Congregatio Rituum declaravit: quod *in ſecundis Veſperis S. Æmiliani Abbatis, (quod eſt duplex majus apud Benedictinos): quæ coincidunt cum primis Veſperis de feſto omnium Sanctorum Monachorum ejuſdem Ordinis, eſt facienda commemoratio de S. Æmiliano, ſi Ritus id permittat: nulla habita ratione, quod ſit etiam ipſe unus ex iiſdem Sanctis Monachis; quorum feſtus dies celebrari incipit in dictis Veſperis*. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einſidlen. apud Merat. *ind. decret. Brev. num.* 329., & apud Cavaler. *tom.* 2. *caput* 32. *decr.* 3. Qui comment. in hujuſmodi decretum hæc habet: *Æmilianus unus eſt ex Sanctis Monachis, qui cum in feſto omnium Sanctorum Ordinis Benedictini, quem profeſſus fuit, ſit comprehenſus, in concurrentia cum eodem non poſſe commemorationem, videbatur, habere: ne ſimul cum officio commemorationem aſſequeretur. Stetit tamen Congregatio pro prædicta habenda commemoratione; edocta quippe a feſto, & octava omnium Sanctorum univerſalis Eccleſiæ; quæ in Breviario ipſo Romano nihilominus particularium Sanctorum commemorationem non reſpuunt: adjudicavit cum Gavanto ſect. 5. cap. 18. num. 9. pro generalibus ſpecialia non eſſe omittenda; regulæque generalis illius; de his non ſimul agendo de eodem: ſenſum manere reſtrictum; ad his ſpecialiter, & aperte: non vero una vice ſpecialiter, & aperte: altera generaliter, & latenter*. Ita Cavalerius poſt Gavantum; confer dicta tract. 1. 31. Octob. n. 5.

Igitur, ut dicebamus, non eſt incongruum, in Officio totius Corporis myſtici triumphantis Eccleſiæ facere commemorationem partis ejuſdem, unius videlicet, vel alterius Sancti, qui eſt pars laudati Corporis. Ergo etiamſi daretur, Officium SS. Cordis Jeſu eſſe Officium partis, reſpectu Officii Sanctiſſimi Corporis ejus, adhuc non eſſet, cur videretur incongruum in 2. Veſperis Octavæ feſti SS. Corporis Chriſti facere commemorationem ſequentis feſti SS. Cordis ejuſdem; & multominus erit incongruum in primis Veſperis integris de SS. Corde, facere commemorationem præcedentis Octavæ SS. Corporis Chriſti licet enim utrumque feſtum ſit unius ejuſdemque Domini Noſtri Jeſu Chriſti; diverſa tamen ſunt Myſteria in utroque celebrata: primum nempe reſpicit Veritatem realis præſentiæ Corporis Chriſti in Sacramento Altaris; alterum vero reſpicit Myſterium A-

Digitized by Google

moris D. N. J. C. ſymbolice in ipſo Materiali Corde demonſtrati: de quibus ſi non incongruum viſum eſt Eccleſiæ, diverſas inſtitui feſtivitates; cur incongruum ſit, diverſas fieri commemorationes? Hæc ut minus ſapientes, cohærenter tamen ad ea, quæ in ſimilibus cummuniter tradunt Liturgici, ſepoſito partium ſtudio, cauſa integra, cum de nullo Sacræ Congreg. Decreto in contrarium nobis conſtet, putavimus Sapientiorum judicio ſubjici poſſe; ſi quid ipſi habeant quod probabilius nobis ediſſerant, expectamus.

SECTIO II.

Not. pro Lectione Bullarum, & Decretorum Pontific. de Celebratione Miſſarum.

In publica menſa Regularium perlegantur hodie Decreta Urbani VIII., & Innocentii XII. *de Celebratione Miſſarum*, incip. *Nuper a Congregatione*. Videri poſſunt apud La-Croix *lib. 6. part. 2. qu. 8. num. 63.* Cavaler. *Comment. in Decr. S. C. R. tom. 5. cap. 28.*, & paſſim preferuntur a Moraliſtis. Hæc autem Decreta poſſe legi alibi, quam in menſa, docuimus tract. 1. lib. 1. cap. 7. fine.

CAPUT III.

Not. in Hebdom. III. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS UNICUS.

Not. in Dom. III. poſt Pentecoſt.

SECTIO UNICA.

De Hor. Canon., & Miſſa.

Sect. 1. noct. de lib. 1. Reg. ut 1
in hac Domin. (de quo lib. 1 adhuc erunt lection. primi noct. in ſequenti hebdomada IV. quam hic prætermittemus, quoniam nil ſpeciale notandum occurrit in ea): Ad Matut. hymn. *Nocte ſurgentes*: Ad Laudes hymn. *Ecce jam noctis*: in officio Dominicali uſque ad Dominicam proximiorem Calendis Octobris.

In Miſſa Præfatio de Trinitate, 2
& ſic in ſequentib. Dominicis, quando non occurret alia propria. Vid. dicta tr. 1. l. 2. in Dominica num. 55., & 56.

CAPUT IV.

Not. in Hebdom. V. poſt Pentecoſt.

ART. UNIC.

Not. in Dom. V. poſt Pentecoſtes.

SECT. UNIC.

De Horis Canonicis.

Sect. 1. Noct. initium lib. 2. Reg. & de eodem libro legetur uſque ad Sabbatum ante Dominicam ſeptimam poſt Pentecoſt.

CA-

CAPUT V.

Not. in Hebdom. VI. poſt Pentecoſt.

ART. UNIC.

Not. in Sabb. poſt Dom. VI. Pentec.

SECT. UNIC.

De Horis Canonicis.

1 IN Veſperis Antiphona ad Magnificat: *Unxerunt*. Si autem ſequens Dominica ſeptima poſt Pentecoſt. fuerit prima Auguſti, tunc omiſſis Antiphonis de libris Regum, ponuntur aliæ deſumptæ ex libris Salomonis, ſeu Sapientialibus. Quod etiam ſervatur in ſequentibus hebdomadis. Incipiunt autem deſcribi prædictæ Antiphonæ in Breviario poſt hebdomadam undecimam Pentecoſt., & optime quidem, quia Dominica I. Auguſti non cadit ſerius, quam in Dominicam duodecim. poſt Pentecoſtem: ſicut nec maturius, quam in Dominicam ſeptimam poſt Pentecoſtem, & ideo etiam in Sabbato iſto præcedente Dominic. ſeptimam præfatam fit prædicta monitio, ſi forte hoc Sabbatum eſſet ante Dominicam I. Auguſti.

2 Ea vero dicitur Domin. I. Menſis, quæ eſt in Calendis, vel proximior Calendis illius Menſis. Porro Calendæ ſunt prima die menſis; itaut ſi Calendæ occurrerint in 2. 3. 4. feria, ſeu prima dies menſis fuerit dies Lunæ, vel Martis, vel Mercurii: tunc prima Dominica menſis, in cujus Sabbato præcedenti ponitur Antiphona inchoanda, et deſumpta ex libris Scripturæ diſtributis per aliquos menſes: prima, inquam Dominica menſis eſt ea Dominica, quæ præcedit Calendas, ſeu primam diem menſis. Sin autem Calendæ occurrerint in 5. vel 6. feria, aut in Sabbato, ſeu prima dies menſis fuerit dies Jovis, vel Veneris, vel Sabbati: tunc prima Dominica menſis in cujus Sabbato præcedenti ec, eſt ea, quæ ſequitur.

3 Si ergo præſens Sabbatum modo explicato erit ante Dominicam primam Auguſti, Antiphona ad Magnificat ponitur: *Sapientia*: ut in Breviario poſt hebdomadam XI. Pentec. Vide Rubr. gen. Brev. tit. 4. n. 7. & tit. 21. n. 3.

CAPUT VI.

Not. in Hebdom. VII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. VII. poſt Pentecoſt.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis; & Miſſa.

1 LECT. I. noct. initium lib. III. Reg. & de eodem libro legitur uſque ad Sabbatum ante Dominicam nonam poſt Pentec. niſi ponendum ſit initium libri Parabolar. Salom. Enimvero ſi Dominica ſeptima poſt Pentecoſt. fuerit prima Auguſti (juxta regulam datam, in Sabb. præced.) incipiunt hodie legi libri Salomonis, ſeu Sapientiales, & proſequuntur uſque ad Dominicam primam Septembris: & in Sabbato præcedenti ad *Magnificat* ponitur Antiphona illius libri, omiſſa alia, quæ forte occurreret, ut heri diximus. *Rubr. Brev. poſt hebdom. XI. Pentec.* Hodie itaque lectio-

lectiones 1. noct. erunt in dicto caſu initium Parabolarum Salomonis. Similiter in ſequentibus Dominicis, ſi aliqua ex illis fuerit prima Auguſti. Vid. dicta tract. 1. in Auguſt. par. 1. §. 3.

2 In Miſſa hujus Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſt. in oratione ſecreta habentur hæc verba notatu digna: *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti &c.* Quæ explicat Cardinalis de Lugo *De Euchar. diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.*75. ubi ait . . . *ut appareat, quam ingenioſa divina Sapientia in hoc uno Sacrificio* (novæ legis) *complexa fuerit antiquorum Sacrificiorum differentias; & quam vere Eccleſia dicat in oratione Dominicæ ſextæ* (dicendum ſeptimæ) *poſt Pentecoſten:* Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti &c. *Nam hic invenimus Sacrificium ſimile illis, quæ de Agnis, & Ovibus offerebantur, cum offeratur Chriſtus ipſe verus Dei Agnus; invenimus etiam Sacrificium libamenti, & immolationis ſimile iis, quæ in pane, & vino fiebant; invenimus holocauſtum, cum tota hoſtia tandem in Dei honorem conſumatur;* (docet autem cum Dicaſtillo, La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 1. quod in rigore non eſt holocauſtum, nec hoſtia pro peccato vel pacifica: quia nihil illius comburitur; eſt tamen perfectius, quam illa, & excellentius habet eorum virtutem, ac effectum, poteſtque dici: myſticum holocauſtum, in quantum per ſumptionem totum conſumitur; ita La-Croix; ſequitur autem laudatus de Lugo:) *Invenimus denique Sacrificium pacificum, de quo non ſolum Sacerdos, ſed alii etiam participare poſſint; nec mirum cum illis omnibus Sacrificiis hoc unum noſtrum ſucceſſerit, illorum differentias excellentiſſimo gradu ſuperaturum.* Hæc laudatus De Lugo. Prædictorum etiam verborum Eccleſiæ meminit Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 74. *ſect.* 4. poſt initium; ac teſtatur, Patres quidem aſſerere: Chriſtum Dominum multitudinem veterum Sacrificiorum commutaſſe. Porro S. Leo Papa *ferm.* 8. *de Paſſ.* ſic ait: *Nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis, & ſanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te univerſa perficis myſteria; ut ſicut unum eſt pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum.* Quæ item verba ab Eccleſia recitantur in lectione tertia 3. nocturni feſti Exaltationis SS. Crucis 14. Septembr.

Hinc habemus congruentiam, ut in Eccleſia Chriſti eſſet unicum Miſſæ Sacrificium: nam continebat in ſe omnem dignitatem, ſufficiebat ad omnes fines, & effectus, erat tamquam omnium perfectio, & abſolutio, complebat differentiam omnium hoſtiarum: ut jam explicavimus, & obſervat etiam La-Croix *l. cit.* §. 9. *n.* 11. ex Trident. Cathech. Rom. & SS. Patribus.

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. VII. Pentecoſt.

SECTIO UN.

De Hor. Canonicis.

Si ſequens Domin. VIII. poſt Pentec. fuerit prima Auguſti, hodie in Veſperis Antiphona ad Magnificat 3

erit

erit *Sapientia*; vid. dicta in Sabb. poſt Dominic. VI. Pentec.

C A P U T VII.

Not. in Hebdom. VIII. poſt Pentec.

A R T I C U L U S I.

Not. in Dom. VIII. poſt Pentec.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

1 LECT. 1. noct. de lib. III. Reg. ſi autem hæc Dominica fuerit prima Auguſti, ponitur in ea initium libri Parabolarum Salomonis, & deinceps in reliquis hebdomadibus Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales. Vide dicta in Domin. præc. & tr. 1. in Aug. par. 1. §. 3.

A R T I C U L U S II.

Not. in Sabb. poſt Dom. VIII. Pentec.

S E C T I O U N I C A.

De Horis Canonicis.

2 SI ſequens Dom. IX. Pentec. fuerit prima Auguſti, hodie in Veſperis Antiphona ad Magnificat erit *Sapientia*; vide dicta in Sabb. poſt Dom. VI. Pentec.

C A P U T VIII.

Not. in Hebdom. IX. poſt Pentecoſt.

A R T I C U L U S I.

Not. in Dom. IX. poſt Pentec.

S E C T I O U N.

De Horis Canonicis.

LECT. 1. noct. initium libri IV. Regum, & de eodem libro legitur uſque ad Domin. I. Auguſti. Dominicæ autem poſt Pentec. non poſſunt eſſe plures, quam undecim, antequam veniat Domin. I. Auguſti, ita ut de lib. IV. Reg. legi poſſit ad ſummum ab hac Dominica IX. uſque ad Sabbatum poſt Dominicam XI. Pentec. 1

Adveniente vero Dominica I. Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales. Si itaque hæc Dominica fuerit prima Auguſti, ponitur in ea initium libri Parabolarum Salomonis, & deinceps in reliquis hebdomadibus Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales. Vid. dicta in Dom. VII. poſt Pentec. & tr. 1. in Aug. par. 1. §. 3. 2

A R T I C U L U S II.

Not. in Sabb. poſt Dom. IX. Pentec.

S E C T I O U N.

De Horis Canonicis.

SI ſequens Dom. X. poſt Pentec. fuerit prima Auguſti, hodie in Veſperis Antiphona ad Magnificat, erit *Sapientia*; vide dicta in Sab. poſt Dom. VI. poſt Pentec. 3

Digitized by Google

CAPUT IX.

Not. in Hebdom. X. poſt Pentec.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. X. poſt Pentec.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

1 LECT. 1. nocturni de lib. IV. Reg. Si autem hæc Dominica fuerit prima Auguſti ponitur in ea initium libri Parabolarum Salomonis, & deinceps in reliquis hebdomadibus Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales; vide dicta in Dominica VII. Pentec. & tr. 1. in Auguſt. par. 1. §. 3.

ARTICULUS II.

Not. in Sabbato poſt Dom. X. Pentec.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

2 SI ſequens Dom. XI. poſt Pentec. fuerit prima Aug. hodie in Veſp. Antiphona ad Magnificat erit *Sapientia*. Vide dicta in Sabb. poſt Dom. VI. Pentec.

CAPUT X.

Not. in Hebdom. XI. poſt Pentec.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XI. poſt Pentec.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

LECT. 1. noct. de lib. IV. Reg. Si 1 autem hæc Dom. ſit prima Auguſti, in ea ponitur initium Parabolarum Salomonis, & deinceps in reliquis hebdomadibus Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales; vide dicta in Dom. VII. poſt Pentec. & tr. 1. in Aug. par. 1. §. 3.

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. XI. Pentec.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

SI ſequens Dominica XII. poſt 2 Pentec. fuerit prima Auguſti, hodie in Veſperis Antiphona ad Magnificat erit *Sapientia*; vide dicta in Sab. poſt Dom. VI. Pentec.

CAPUT XI.

Not. in Hebdom. XII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XII. poſt Pentecoſt.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis,

SI hæc Dom. XII. poſt Pentec. fue- 1 rit prima Auguſti, ponitur in ea initium libri Parabolarum Salomonis, & deinceps in reliquis hebdomadibus Auguſti leguntur libri Salomonis, ſeu Sapientiales; vide dicta in Dom.

Digitized by Google

Dom. VII. poſt Pentec. & tr. 1. in Aug. par. 1. §. 3.

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. XII. Pentec.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

2 IN Veſperis, ſi hoc Sabbatum fuerit ante Dom. 2. Auguſti, Antiphona ad Magnificat: *Ego in altiſſimis.*

CAPUT XII.

Not. in Hebdom. XIII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS UN.

Not. in Dom. XIII. poſt Pentecoſt.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis.

SI hæc Dominica fuerit 2. Auguſti lect. 1. noct. initium libri Eccleſiaſtæ. In ſequentibus hebdomad. 14. 15. & 16. poſt Pentec. nil ſpeciale notandum occurrit.

CAPUT XIII.

Not. in Hebd. XVII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS UN.

Not. pro Feriis Quatuor Temporum Autumnalium.

IN Miſſali Romano poſt Domin. XVII. Pentecoſt. Fer. 4. 6. & Sabb. ejuſdem Hebd. ponuntur Miſſæ Quatuor Temporum Autumnalium; non ſemper autem hæ feriæ Quatuor Temporum occurrunt in Hebdomad. XVII. Pentec.; occurrunt autem ſemper poſt Domin. 3. menſis Septembris; & ideo earumdem feriarum officia in Brev. Rom. ponuntur in hebdomad. 3. prædicti menſis; vide dicta tr. 1. in Septemb. par. 1. ſect 5. ubi de his feriis Quatuor Temporum, & rurſus 2. par. ejuſdem menſis, die 14. art. 4. In ſequentibus hebdomad. 18. 19., 20. & 21. poſt Pent. nihil ſpeciale notandum occurrit.

CAPUT XIV.

Not. in Hebdom. XXII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXII. poſt Pentecoſt.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

IN Veſperis, ſi Dominicæ poſt Pent. fuerint tantum viginti tres quid notandum? Vide infra in Sabbato hujus Hebdomadæ. 1

SECTIO II.

De Miſſa.

SI dicatur pro tertia oratione oratio *Deus, refugium noſtrum*: de- 2

inde oratio ſecreta ne ſit ſimilis orationi ſecretæ hujus Dominicæ XXII. poſt Pentec. ideo varianda eſt ſecundum Rubr. Miſſ. Rom. in Rub. gen. tit. 7. n. 8. Jamvero poterit ſumi ea, quæ proxime ſequitur *Pro quacumque tribulatione*, ut in orationibus ad diverſa in fine Miſſalis; ſcilicet dicetur oratio ſecreta : *Suſcipe Domine* : ut docent Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 7. lit.* Q; & notavimus tr. 1. 11. Novembr. art. 3. n. 6.

Si hodie occurrat feſtum S. Martini Epiſc. & Confeſſ. variandam eſſe orationem ſecretam hujus Dominicæ: docuimus item loc. cit. n. 5.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. XXII. Pentec.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

3 Si Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum 23. quid notandum? Vide infra in Sabb. hujus Hebdomadæ. Si hodie, vel alia ex ſequentibus feriis fiat de Dominica anticipata, notandum eſt, quod *Officia Sanctorum* ad libitum *ſive duplicia, ſive ſemiduplicia occurrentia in die, quo fieri debet Officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam, vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſtem, non ſunt recitanda cum commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferenda, ſed potius omittenda.* S.R.C. 4. April. 1705. in *Licien.* Vid. dicta hoc tr. 2. lib. 2. par. 2. in ejus prima parte, c. 1. n. 5. Officia ſemel ſingulis hebdomadis, aut menſibus recitari conceſſa, prohibentur recitari in illa feria, in qua ſecundum Rubricas reponendum eſt Officium Dominicæ; ex Decr. S. C. R., vid. dicta tr. 1. lib. 2. par. 1. c. 2. n. 3.

Quonam caſu ſit anticipandum Officium Dominicæ 23. Pentec.? dicemus infra in Sab.

SECTIO II.

De Miſſa.

In Miſſa de Dom. anticipata non dicitur *Gloria*, neque *Credo*, nec Præfatio de Trinitate. Vid. dicta hoc tr. 2. lib. 2. par. 2. in ejus 1. par. cap. 2. n. *6*. 4

Etſi in Dominicis prohibitæ ſint Miſſæ Votivæ ex Rubr. gener. Miſſ. tit. 4. n. 3. & tit. 5. n. 2. nihilominus licita eſt Miſſa Votiva privata, quando die feriali recitatur Officium Dominicæ omiſſæ, vel anticipatæ. La-Croix *lib. 6. par. 2. qu. 72. §. 4. n.* 500. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 4. n. 3. litt.* O. fine, & Merat. ibi n. 11. Dixi: Votiva *privata*: quia ſecus dicendum eſt de Miſſa ſolemni, ſeu Conventuali, vid. dicta tr. 1. lib. 1. c. 2. de celebr. Miſſ. quotid. qu. 16. n. 51. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 4. cit. n. 3.* Merat. l. cit. fine. 5

A R-

ARTICULUS III.

Not. Fer. VI. poſt Dom. XXII. Pentec.

SECTIO UN.

De Hor. Canonicis.

6 In Veſperis, quando Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum 23. quid notandum? Vide in Sabb. ſequenti.

ARTICULUS IV.

Not. in Sabb. poſt Dom. XXII. Pentec.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

7 Quando Dominicæ poſt Pentecoſt. fuerint tantum viginti. tres, in hoc caſu in Dominica vigeſima tertia ponendum eſt Officium Dominicæ 24. tum pro Horis Canonicis, tum pro Miſſa. Officium vero Dominicæ 23. ponitur in hoc Sabbato præcedenti, ſi quidem non fuerit impeditum feſto novem lectionum de præcepto, alioquin ponatur Feria VI. vel alia feria præcedenti infra hanc ipſam hebdomadam, quæ prima occurrerit non ſimiliter impedita. *Rubr. Brev. hic*. Vide etiam dicta hoc tr. 2. lib. 2. par. 2. in ejus 1. par. c. 1. a n. 4. & in fer. 2. præſentis hebdomadæ.

Quod ſi omnes Feriæ hujus hebdomadæ fuerint impeditæ, tunc hodie ſaltem commemoratio hujuſmodi Dominicæ 23. eo modo, quo faciendum eſſe pro Dominica illa poſt Epiphaniam, quæ nullibi habeat locum, diximus l. 2. cit. c. 1. n. 7. ubi etiam n. 6. expoſuimus, quomodo ordinandum ſit hujuſmodi Officium Dominicæ anticipatæ. Pro Miſſa vero ejuſdem Dominicæ videantur dicta eodem cit. l. 2. c. 2. a n. 6.

CAPUT XV.

Not. in Hebdom. XXIII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXIII. poſt Pentecoſt.

SECTIO UN.

De Hor. Canon., & Miſſa.

Dominicæ poſt Pentecoſt. uſque ad Advent. non poſſunt eſſe pauciores 23. neque plures 28. ut alibi notavimus. Cum autem fuerint tantum 23. in hac Dominica ponendum eſt Officium Dom. 24. tum pro Horis Canonicis, tum pro Miſſa, ut heri notavimus. Si vero fuerint plures 23. hodie quidem fiet de Dom. 23. poſt Pentecoſtem. 1

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. XXIII. poſt Pent.

Si Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum 23., atque adeo hoc Sabbatum fuerit ante Dominicam I. Adventus, quid notandum? Vide in Sabb. poſt Domin. 28. Pentecoſt. Si autem Dominicæ poſt Pentecoſt. fuerint 24., fiet Officium Dominicæ 24. poſt Pentec. Si vero fuerint plures, fiat ſecundum Regulas dandas in Dom. ſequenti. 2

CAPUT XVI.

Not. in Hebdom. XXIV. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXIV. poſt Pentecoſt.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 SI Dominicæ poſt Penteſt. fuerint tantum viginti quatuor, hodie quidem fiet de hac Dominica vigeſima quarta.

Si autem Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum viginti tres, in Dom. 23. ponatur Officium hujus Dominicæ 24. Hodie vero in dicto caſu erit Dom. I. Adv. de qua ſuo loco.

Si vero fuerint plures viginti quatuor, tunc poſt Dominicam vigeſimam tertiam reſumuntur Dominicæ, quæ eo anno ſuperfuerunt poſt Epiphaniam; ſed reſumuntur quoad orationem, Homiliam, & Antiphonas ad *Benedictus*, & *Magnificat*; vide dicta hoc tr. 2. lib. 2. in ejus 1. par. c. 1. n. 4. Reſumuntur autem hoc ordine.

Si Domic. poſt Pentecoſt. fuerint 25., tunc Dominica 24. poſt Pentec. erit quæ eſt ſexta poſt Epiph.

Si autem fuerint 26. in hoc caſu Dom. 24. erit quæ eſt 5. poſt Epiph. & Dom. 25. erit quæ eſt 6. poſt Epiph.

Quid ſi fuerint 27? tunc Dom. 24. erit quæ eſt 4. poſt Epiphan. & 25. erit quæ eſt 5. poſt Epiph. & 26. erit quæ eſt 6. poſt Epiph.

Denique ſi fuerint 28. non enim poſſunt eſſe plures, ut alibi notavimus; ſi, inquam, fuerint 28. Dominica 24. erit, quæ eſt 3. poſt Epiph. & 25. erit, quæ eſt 4. poſt Epih. & 26. erit, quæ eſt 5. & 27. erit quæ eſt 6. poſt Epiphan. & 28. erit, quæ in Breviario, & Miſſali eſt Dom. 24. poſt Penteſt. & ſimiliter in aliis præcedentibus caſibus, ultimo loco ſemper ponitur; quæ eſt in ordine vigeſima quarta; itaut in ultima Dom. poſt Pentec. ſemper ponatur hæc Dominica, ſeu quæ in Breviario, & Miſſali eſt Dom. 24. poſt Pentec. *Rubr. Brev. hic.*

SECTIO II.

De Miſſa.

SI Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum viginti quatuor, hodie dicitur Miſſa Dominicæ XXIV. poſt Pentecoſt. 2

Si vero Dominicæ poſt Pentecoſt. fuerint viginti tres, in Dominica 23. ponitur Miſſa hujus Dominicæ 24. Si autem fuerint plures viginti quatuor, tunc poſt 23. Dominicam reſumuntur, quæ eo anno ſuperfuerunt poſt Epiphaniam. Sed reſumuntur quoad Orationem, Epiſtolam, & Evangelium dumtaxat. Introitum vero, & acceſſoria, ſcilicet Graduale, Offertorium, & Communionem mutuantur a Dominica 23. poſt Pent. ut cum ea ejuſdem fere rationi eſſe videantur. Vid. dicta hoc tr. 2. l. 2. par. 2. in ejus 1. par. c. 2. n. 1. Reſumuntur autem eo ordine, quem Sect. præcedenti explicavimus.

Prædictæ vero Dominicæ Epiphaniæ reponendæ in caſu prædicto poſt Domin. 23. Pentecoſt., deſcriptæ

Digitized by Google

ptæ ſunt in Miſſali Romano poſt Miſſam Dom. 24. poſt Penteſt.

In Dominica autem ultima poſt Pentecoſt. dicetur Miſſa, ut in Dom. XIV. quemadmodum notavimus ſect. præced. fine.

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. XXIV Pentec.

Si Dominicæ poſt Pentec. fuerint tantum viginti quatuor, conſequenter hoc Sabbatum erit ante Dom. I. Adv. Quid autem notandum in Sabb. ante Dom. I, Adv.? exponemus in Sabb. poſt Dom. 28.

CAPUT XVII.

Not. in Hebdom. XXV. poſt Pentec.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXV. poſt Pentec.

SECTIO UNICA.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

1 Reponenda eſt aliqua Dominica, quæ ſuperfuit poſt Epiphaniam quando Dominicæ poſt Pentec. ſunt plures 24. ordine, & ratione explicatis in Dom. 24. poſt Pentec. Quænam itaque Dominica hodie ſit reponenda? cognoſci poteſt ex regulis ibi datis.

Si autem hæc Dominica fuerit ultima poſt Pentecoſtem, in ea reponendum eſt officium Dominicæ 24. poſt Pentec. ut ibi monuimus. Et quæ hic diximus applica ſequentibus Dominicis.

ARTICULUS II.

Not. in Sabbat poſt Dominic. XXV. Pentecoſt.

Si Domin. 25. poſt Pentec. fuerit 2
ultima; adeoque hoc Sabbatum ſit ante Domin. I. Advent. quid notandum? Vid. in Sabbat. poſt Domin. 28. Pentec.

CAPUT XVIII.

Not. in Hebdom. XXVI. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXVI. poſt Pentecoſt.

Applica huic Dominicæ, quæ in 1
Dominica præced. diximus.

ARTICULUS II.

Not. in Sabbat. poſt Dominic. XXVI. Pentecoſt.

Si Dominica 26. poſt Pentec. fuerit 2
ultima, adeoque hoc Sabbatum fuerit ante Domin. I. Advent. quid notandum? Vide in Sabbato poſt Dom. 28. Pentec.

CAPUT XIX.

Not. in Hebd. XXVII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXVII. poſt Pentecoſt.

Applica huic Dominicæ, quæ di- 1
ximus in Dominica 25. poſt Pentecoſten.

AR-

ARTICULUS II.

Not. in Sabbat. poſt Dominic. XXVII. Pentecoſt.

1 Si Dominica 27. poſt Pentec. fuerit ultima, adeoque hoc Sabbatum fuerit ante Dom. I. Adventus, quid notandum? Vide in Sabb. poſt Dom. 28. Pentec.

CAPUT XX.

Not. in Hebd. XXVIII. poſt Pentecoſt.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. XXVIII. poſt Pentec.

SECTIO UNICA.

De Hor. Canon., & Miſſa.

1 Si poſt Pentecoſt. erunt Dominicę viginti octo, hæc vigeſima octava erit ultima, ſed in ea ponendum eſt officium Dominicæ 24. poſt Pentec. ut ibi diximus.

ARTICULUS II.

Not. in Sabbat. poſt Domin. XXVIII. Pentecoſt. ſeu ultimo poſt Pentecoſt. ante Dominic. I. Adventus.

Explicantur Sectionibus III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Celebratione Nuptiarum.*
Sect. III. *De fine Anni Eccleſiaſtici.*

SECTIO I.

De Hor. Canon.

In Sabbato ante Dominicam primam Adventus in Martyrologio ad Primam moneatur primo loco: *Dominica prima Adventus.* 2

In Veſperis vel fiat ſimplex commemoratio Dominicæ primæ Advent. vel a Capit. de ea: juxta quod exigat Officium in hoc Sabbato recitatum, ſecundum Rubricas generales de concurſu; vide hoc tract. 2. lib. 1. part. 1. cap. 2. num. 1. verſu: *Nota hic.* Quod ſi cras fuerit feſtum S. Andreæ Ap. cum illud ſit transferendum, ideo in Veſp. nihil hodie fiet de eo.

A Veſperis Sabbati incluſive ante Domin. I. Advent. ceſſant Suffragia Sanctorum, & commemoratio de Cruce, uſque ad Octavam Epiphaniæ, ob rationem datam cit. cap. 2. num. 10. fine; & dicitur Antiphona finalis: *Alma Redemptoris.* ℣. *Angeli Domini.* Orat. *Gratiam tuam.* Prædicta autem Antiphona (non item ℣.) recitatur uſque ad diem ſecundam incluſive menſis Februarii, ſed ceſſat in Completorio ejuſdem diei; ita ut in fine illius Completorii non re-

recitetur, uti notavimus tr. 1. 2. Februarii num. 9.

4 Si in Sabbato præcedente Dominicam I. Adventus recitatum fuerit Officium B. M. V. ſub ritu ſemiduplici, puta Officium votivum hebdomaticum Conceptionis: cum a Capitulo faciendum ſit de Dominica ſequenti: quæres: utrum in hymno Dominicali: *Creator alme ſiderum*: in fine dicendum ſit: *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui natus es de Virgine*. An vero: *Virtus*, *honor ec.* ut habet ille hymnus?

Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ex una parte Rubr. gen. Brev. tit. 20. num. 4. præſcribit, quod quandocumque recitatur Officium B. V. in fine omnium hymnorum, præter quam in hymno: *Ave maris ſtella*: & in hymnis, qui habent ultimum verſum proprium, dicatur: *Jeſu tibi ſit gloria ec.* in hymnis ejuſdem metri, & non habent. verſum proprium in fine; videtur igitur, quod ſi hodie recitatum fuerit Officium B. V. debeat in fine hujus hymni dici: *Jeſu tibi ſit gloria ec.*

Verum ex alia parte in Officio Expectationis partus B. V. dicitur hic idem hymnus: *Creator alme ſiderum*: & tamen in fine non dicitur: *Jeſu tibi ſit gloria ec.* ſed retinetur: *Virtus*, *honor*: quemadmodum præſcribitur in Rubr. illius officii, & nos notavimus tr. 1. 18. Decembr. art. 1. num. 3. ubi etiam oſtendimus feſtum illud eſſe feſtum B. V. Unde videtur in fine hymni: *Crator alme*: non debere in caſu quoque præſenti mutari hodie ultimum verſum dicendo: *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui natus es de Virgine*: ſed dicendum. *Virtus*, *honor ec.*

At nihilominus eſt aſſerendum, quod, ſi in Sabbato præcedente Dominicam I. Adventus factum fuerit Officium B. V. ſub ritu ſemiduplici, in hymno: *Creator alme ſiderum*: ratione Dominicæ recitato, in fine dicendum ſit: *Jeſu tibi ſit gloria*, *qui natus es de Virgine*: quia ille hymnus non habet ultimum verſum proprium (confer dicta hoc trat. 2. lib. 5. part. 3. in ejus 1. part. cap. 1. num. 7.), & eſt ejuſdem metri. Idem dixeris quotieſcumque præfatus hymnus, aut alii, qui ſunt in Dominic. I. Adventus, recitandi ſint infra Octavam B. V. puta in Dom. 2. aut 3. Advent. occurrenti infra Octav. Conceptionis; uti notavimus 8. Decemb. num. 17.

Quod autem in Officio expectationis partus B. V. non varietur ultimus verſus hymni: *Creator alme ſiderum*: ſed dicatur: *Virtus honor*: ut prædictus hymnus habet: id non obſtat: quia eſt exceptio ob ſpecialem rationem, & congruentiam, quæ militat pro illo officio, quæque videri poteſt apud Cavaler. *tom. 2. cap. 30. comment. in decr. 9.*

SECTIO II.

De Celebrat. Nuptiarum.

Qu. An prohibitio ſolemnitatis Nuptiarum facta pro tempore Adventus, incipiat a Veſperis Sabbati præcedentis Domin. I. Adventus? 5

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus hoc trat. 2. lib. 1. part. 1. cap. 5. num. 3.

SECTIO III.

De fine Anni Eccleſiaſtici.

ANNUS Eccleſiaſticus, ſecundum dicta initio hujus tractatus ſecundi, incipit ad Adventu, & deſinit ante Adventum: atque adeo in hoc ultimo Sabbato poſt Pentec. quod immediate præcedit Dominicam I. Adventus, ante Veſperas Eccleſiaſticus clauditur Annus.

Finis Tomi III., & poſtremi Anni Eccleſiaſtici.

AP-

Digitized by Google

E L E N C H U S

Librorum, Partium, Capitum, Articulorum, Sectionum, Subſectionum, Paragraphorum, Quæſtionum

TOMI TERTII.

TRACTATUS SECUNDI

DIARII LITURGICO-THEOLOGICO-MORALIS.

LIBER V.

Sacri Ritus, Inſtitutiones Eccleſiaſticæ, Morumque Diſciplina not. tempore Paſchali. A Dom. Paſchæ uſq. ad Sab. poſt Pentecoſtem.

PARS I.

CAP. I. Notanda pro adminiſtratione Communionis. pag. 5

Cap. II. Not. pro aſperſione ſolemni aquæ benedictæ. pag. 6

Cap. III. De Salutatione B. V. ut moris eſt, ad pulſum campanæ; & de conſuetudine, ſeu cæremonia ſtandi ad orationem tempore Paſchali. ibid.

Qu. I. An Pſalmo *De profundis* qui quotidie recitari ſolet ad pulſum campanæ poſt noctis initium pro Defunctis, debeat adhuc tempore Paſchali recitari flexis genibus? pag. 10

Qu. II. An ſit peccatum non ſervare conſuetudinem prædictam ſtandi ad orationem tempore Paſchali, aut quando in Rubricis Officii Divini præſcribitur ſtari, ut eſt ad Antiphonam finalem *Regina Cæli?* pag. 11

Cap. IV. De Jejunio. ibid.

Qu. I. An tempore Paſchali, ſeu inter Paſcha & Pentecoſtem liceat jejunare? ibid.

Qu. II. An incidente Jubileo tempore Paſchali, poſſint conſueta jejunia commutari in alia opera pia a Confeſſario, vel Epiſcopo? pag. 17

PARS II.

LIBRI V.

Not a Dominica Reſur. ad Dom. in Albis, ſeu infra Oct. Paſchæ. pag. 18
Subdividitur in Partes duas.

PARS I.

Not. infra Oct. Paſchæ in genere. ib.

Cap. I. De Horis Canonicis. ibid.

Qu. Cur in Officio Dominicæ Reſur. per Octavam uſque ad Sab. in Albis incluſive non dicantur hymni, nec Antiphonæ ad horas minores, nec Capitula &c. Item cur unicum etiam nocturnum recitetur cum tribus lectionibus, & Pſalmis tantummodo tribus, cum tribus Antiphonis: adeoque cur Officium Paſchale ſit adeo breve? p. 20

Cap. II. De Miſſa. ibid.

Qu. An tota Paſchalis hebdomada colenda ſit in foro ex præcepto? pag. 22

Cap. III. De præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis. pag. 23

Sect. I. Quod adſit præceptum Communicandi ſaltem ſemel in anno in Paſchate. pag. 24

Sect. II. De tempore implendi præceptum Communionis paſchalis. p. 27

Qu. I. An ſatisfiat præcepto Paſchali communicando in Sabbato ante Palmas? pag. 31

Qu. II. Qui differt Communionem Paſchalem uſque ad diem ultimum præcepti Paſchalis, ſi mane caſu aquam deglutierit, aut aliter jejunium naturale ad S. Communionem requiſitum fregerit, utrum nihilominus teneatur, eo-

eodem die communicare, ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali? pag. 32

Qu. III. An, qui prævidet, fore ut non poſſit communicare in Paſchate, teneatur hoc tempus prævenire, communicando prius? pag. 34

Qu. IV. An, qui prævidet, ſe impediendum in ſecunda ſeptimana, teneatur communicare in prima? ibid.

Qu. V. An, ubi adeſt privilegium, aut conſuetudo, implendi præceptum Communionis Paſchalis per totam etiam Quadrageſimam, teneatur quis, prædicto tempore ſumere Euchariſtiam, ſi prævideat, non poſſe illam ſumere tempore, quo urget præceptum pro Eccleſia univerſali? ibid.

Qu. VI. An, qui anticipavit præceptum Communionis annuæ, quod putaverit, fore ut non poſſet communicare tempore Paſchali: teneatur iterum communicare tempore Paſchali, ſi prædicto tempore non eveniat deinde impedimentum communicandi? pag. 36

Qu. VII. An, qui tempore deſignato ad præceptum implendum Communionis Paſchalis communicavit ex Viatico, impleverit ſimul per hujuſmodi Communionem præceptum Communionis Paſchalis? ibid.

Qu. VIII. An, qui tempore Paſchali communicavit ad ſatisfaciendum præcepto communionis Paſchalis, ſi eodem prædicto tempore incidet in periculum mortis, teneatur iterum communicare pro Viatico? pag. 37

Qu. IX. Si quis in Paſchate moribundus negligeret Communionem, an duplex mortale committeret, unum (virtualiter triplex) contra præceptum communicandi in Paſchate: alterum contra præceptum ſumendi Viaticum in periculo mortis? pag. 38

Qu. X. An teneatur iterum communicare in Paſchate, qui hoſtiam revomuit? pag. 39

Qu. XI. An, qui non communicavit tempore Paſchali, teneatur poſt prædictum tempus? ibid.

Qu. XII. Cum in nonnullis locis Eccleſia permittat uſum veteris Calendarii: & ex alia parte, Calendarium vetus aliquando habeat Paſcha octo diebus ſerius, quam novum: quæres: utrum, ſi quis e loco veteris Calendarii veniat in locum novi, inveniatque abſolutum tempus præcepti Paſchalis: teneatur nihilominus communicare, ſi nondum communicarit pro Paſchate? pag. 40

Qu. XIII. An teneatur poſt Paſcha communicare, qui ante Paſcha communicavit ex Viatico, & in Paſchate non communicavit? ibid.

Qu. XIV. An, qui diu poſt Paſcha Communionem annuam differt, peccet mortaliter? pag. 41

Qu. XV. Utrum, qui non fecit Communionem annuam, teneatur anno ſequenti quam primum communicare? ibid.

Qu. XVI. Suppoſito, quod Communio Paſchalis ſumenda ſit de manu Parochi ſui, aut ipſius delegati: quæritur: utrum qui non poſſit communicare de manu prædictorum tempore præcepti Paſchalis, teneatur communicare tunc de manu alterius; vel poſſit communionem differre uſquedum valeat communicare de manu prædictorum? pag. 42

Interr. 1. Utrum aſſertio prædicta (obligans ad communicandum de manu alterius, ſi Parochus aut ejus delegatus non redeat infra tempus præcepti Paſchalis:) procedat etiam in caſu, quo non adſit niſi Sacerdos, carens juriſdictione miniſtrandi Communionem? pag. 43

Inter. 2. Quid? ſi non adſit niſi ſolus Diaconus? ibid.

Qu. XVII. An tempore Interdicti localis generalis liceat adminiſtrare Euchariſtiam pro præcepto Paſchali: atque adeo fideles, exiſtentes in loco generaliter interdicto, teneantur communicare pro Paſchate? pag. 44

Sect. III. Quis teneatur præcepto Communionis Annuæ, & Paſchalis? pag. 47

Qu. I. An teneatur & Pontifex? ibid.

Qu. II. An Summus Pontifex poſſit diſpenſare aliquem a præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis. pag. 49

Qu. III. Utrum, qui habet Conſcientiam peccati mortalis, & caret Confeſſario, teneatur præcepto Communionis Paſchalis; ita ut debeat communicare, etiam non præmiſſa Confeſſione, ſed eli-

cito tantum perfectæ Contritionis actu; an potius debeat omittere Communionem? pag. 54

Qu. IV. An teneatur præcepto Communionis Paſchalis, qui, cum non adſit niſi Confeſſarius ignarus ſuæ linguæ, & ſibi ſit conſcius mortalis, nolit confiteri per interpretem: cum ad id non teneatur? pag. 62

Qu. V. An mutus, qui nec nutibus, & ſignis poſſit confiteri, ſuaque explicare peccata, teneatur id facere per ſcripturam Confeſſario quidem præſenti manifeſtatam: ut ſatisfaciat præcepto Communionis annuæ? pag. 63

Qu. VI. An teneatur præcepto Communionis annuæ, qui, cum ſit conſcius mortalis nondum remiſſi, & non poſſit confiteri, atque adeo teneatur elicere actum perfectæ contritionis: attamen illam non valeat in ſe excitare, quantumvis cupiat, & conetur? ibid.

Qu. VII. An, qui non eſt diſpoſitus ad abſolutionem, teneatur præcepto Communionis Paſchalis? ibid.

Qu. VIII. An amentes teneantur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis? pag. 64

Qu. IX. An ſemifatui, ac ſtolidi; quales eſſe dicuntur multi Africani, ſimilesque debilem uſum rationis habentes, teneantur præcepto Communionis Paſchalis? pag. 66

Qu. X. An teneantur præcepto Communionis Paſchalis, qui a nativitate ſunt ſurdi ſimul & muti? pag. 67

Qu. XI. Utrum, qui a nativitate ſunt ſurdi ſimul & muti, atque cæci, teneantur hoc præcepto? ibid.

Qu. XII. An teneantur Communionis præcepto qui ſurdi, ſimul muti, atque cæci facti ſint poſt uſum rationis? p. 68

Qu. XIII. An teneantur præcepto Communionis Paſchalis Energumeni? ibid.

Qu. XIV. An teneantur Infirmi, qui non poſſunt Domo exire? pag. 69

Qu. XV. An Infirmi, carcere detenti, excommunicati, Interdicto ſubjecti, vel ſuſpenſi, & quicumque alii ſimiliter impediti, teneantur procurare ſanitatem, excarcerationem, abſolutionem, & remotionem impedimenti, ut poſſint communicare in Paſchate? pag. 71

Qu. XVI. An Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, teneatur communicare pro Paſchate? pag. 73

Qu. XVII. An Infirmus, qui non valeat communicare, & ſumere Euchariſtiam ſub ſpecie panis, poſſit, debeatque ſumere ſub ſpecie vini, tempore Paſchali, ad ſatisfaciendum præcepto? ibid.

Qu. XVIII. An Præcepto Communionis Paſchalis teneantur Hæretici? p. 74

Qu. XIX. An Infideles, ſeu omnes non baptizati teneantur præcepto Communionis? ibid.

Qu. XX. An adultus baptizatus tempore Paſchali, vel etiam ultima die, qua expirat præceptum Paſchale, teneatur communicare pro Paſchate? pag. 75

Qu. XXI. Quoniam fideles obligantur præcepto Communionis annuæ, & Paſchalis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint: quæres: quandonam homines ad prædictos annos perveniant? & an teneantur ſtatim, & illico, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint? ibid.

Qu. XXII. An ſit certa aliqua ætas, ad quam perveniendo fideles, excuſentur a præcepto Communionis Paſchalis? pag. 80

Qu. XXIII. An poſſis, & tenearis communicare pro Paſchate ex manu Miniſtri, quem ſcias peccaturum in adminiſtratione Euchariſtiæ? pag. 81

Qu. XXIV. An poſſit dari pecunia, aut aliquid ſimile temporale pro recipienda Communione Paſchali: ſi Miniſter nolit miniſtrare, niſi pro hujuſmodi pretio, vel potius debeat omitti prædicta Communio? pag. 84

Qu. XXV. An teneatur communicare in Paſchate, qui nullo modo poteſt communicare de manu Parochi ſui? ibid.

Qu. XXVI. An ſit ſacrilegium, omittere Communionem præcepti Paſchalis? ibid.

Sect. IV. Qualis Communio præcipiatur in Paſchate? ibid.

Qu. I. An ſatisfaciat huic præcepto per Communionem materialiter tantum ſacrilegam? pag. 85

Qu. II. An ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis, qui licet cum peccato mortali communicet, deinde tamen ex vi ipſius Sacramenti Euchariſtiæ, &

illius ejuſdem Communionis recipiat gratiam? pag. 87

Qu. III. An huic præcepto ſatisfaceret Sacerdos, qui tempore præcepti Paſchalis ſemel celebraret, & illam unicam Miſſam legeret cum conſcientia peccati mortalis uſque ad ſumptionem Hoſtiæ: adeoque formaliter ſacrilege, & cum peccato communicaret; at poſt ſumptionem Hoſtiæ eliceret actum contritionis perfectæ, & ſic vere contritus ſumeret Calicem? p. 90

Qu. IV. An, qui communicando in Paſchate, evomuit Hoſtiam, fecerit communionem fructuoſam, adeoque ſatisfecerit præcepto Paſchali? pag. 91

Sect. V. Quod Communio Paſchalis ſumenda ſit ſub gravi de manibus Parochi proprii, aut Delegati ab ipſo: & conſequenter in ſua ipſius Eccleſia, ſeu propria Parochia. pag. 92

Qu. I. An quilibet ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis in Cathedrali? p. 95

Qu. II. An ſatisfaciat præcepto Communionis Paſchalis communicando ad intentionem hujuſmodi in Eccleſiis Regularium? pag. 98

Qu. III. An omnes debeant in Paſchate communicare de manu Parochi, intra cujus Parochiæ ſpatium, ſive reſtrictum habitant? pag. 99

Qu. IV. An poſſit Communio Paſchalis fieri extra Parochiam ex licentia ſui Parochi, etiam mere interpretativa, & præſumpta? pag. 114

Qu. V. An poſſit communicare extra Parochiam, qui petiit a Parocho facultatem, & hic denegavit injuſte? pag. 120

Qu. VI. Utrum, ſi quis abſque facultate vel expreſſa, vel tacita, prudenterque præſumpta: neque ullo legitimo impedimento excuſatus, faciat ſemel, aut iterum in vita Communionem Paſchalem extra Parochiam, poſſit excuſari a mortali: adeoque detur parvitas materiæ in obligatione gravi, communicandi in Paſchate de manu Parochi? ibid.

Qu. VII. An ſatisfaciat præcepto communicandi per manus Parochi ſui, qui communicet extra Parochiam per manus ipſius Parochi quidem, ſed ita, ut Parochus non poſſit advertere, ſeu intelligere, ſe miniſtrare communionem Paſchalem Parochiano ſuo, nec intendat paſcere ovem ſuam, adeoque nec illam poſſit recognoſcere; puta, ſi aliquo dierum paſchalium celebret in aliena Eccleſia, & in Miſſa adminiſtret Communionem petentibus, ut fieri conſuevit? pag. 121

Qu. VIII. An, qui communicavit ſacrilege in ſua Parochia, teneatur iterum communicare ibidem durante tempore Paſchali? pag. 122

Qu. IX. Utrum, qui tempore præcepti Paſchalis non communicavit de manu Parochi ſui, teneatur ad id extra tempus Paſchale? ibid.

Interrog. An ſaltem teneatur communicare de manu Parochi poſt Paſcha, qui ex conſilio Confeſſarii diſtulit Communionem Paſchalem? Ut paſſim accidit male habituatis, qui probandi ſint. p. 124

Qu. X. An teneatur communicare de manu Parochi ſui in Paſchate, qui ſciat illum peccaturum in adminiſtratione Euchariſtiæ? pag. 125

Qu. XI. Si Eccleſia Parochialis ſit interdicta, an debeant Parochiani communicare in alia Eccleſia? Idem quæritur, ſi Parochus ſit perſonaliter interdictus: an ſcilicet debeat communicare de manu alterius? ibid.

Sect. VI. De pœnis tranſgreſſorum præcepti Communionis Paſchalis. ibid.

Qu. I. An pueri non communicantes in Paſchate, ſi teneantur, poſſint puniri ſupradicta Cenſura Interdicti ante pubertatem, ſeu ante annum decimumquartum maſculi; fœminæ vero ante annum duodecimum? pag. 128

Interrog. An ſaltem incurrant cenſuras alicubi *latas* contra non communicantes in Paſchate? pag. 129

Qu. II. An Pontifex, ſi omitteret Communionem annuam, incurreret Cenſuram prædictam? ibid.

Qu. III. Si quis fidelis moriatur, nec conſtet, an communicaverit in Paſchate: eſt ne ſepeliendus in loco ſacro? ibid.

Qu. IV. Si quis fidelis moriatur, certoque conſtet, omiſiſſe Communionem paſchalem ex culpa gravi: an ſit ideo eccleſiaſtica ſepultura privandus? ibid.

Qu. V. An, qui in Paſchate communicet indigne, & ſacrilege, incurrat pœnas latas contra eos, qui in Paſchate non communicant? pag. 130

Qu.

Qu. VI. An Meretrices publicæ incurrant pœnas impoſitas transgreſſoribus præcepti Paſchalis? ibid.

Sect. VII. Utrum in Dominica Reſurrectionis liceat Regularibus, aliiſque Sacerdotibus Sæcularibus, miniſtrare Euchariſtiam Fidelibus ex mera devotione volentibus communicare extra Parochias? pag. 131

Sect. VIII. De Communione Paſchali deferenda ad infirmos. pag. 141

Cap. De Jejunio. pag. 142

Qu. I. An, ſi aliquid jejunium particulare alicujus Regni, Diœceſis, aut Civitatis occurrat intra Octavam Paſchæ, ſit obligatio ſervandi illud? ibid.

Qu. II. Utrum, ſi Jejunium Jubilæi incidat in hebdomadam Paſchalem, poſſit commutari, aut transferri? pag. 143

Cap. V. De Indulgentiis. ibid.

Cap. VI. Not. in feſto S. Marci occur. in hebd. Paſchali. ibid.

PARS II.

PARTIS II. LIBRI V.

Not. in genere in Triduo Paſchæ, & poſt Triduum infra Octavam. pag. 144

Cap. I. Not. in Triduo Paſchæ in genere. ibid.

Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.

Sect. II. De Miſſa. ibid.

Sect. III. Not. tempore Interdicti. p. 145

Cap. II. Not. in genere poſt Triduum Paſchæ infra Octavam. ibid.

Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.

Sect. II. De Miſſa. ibid.

PARS III.

PARTIS II. LIBRI V.

Not. in hebdomada Paſchæ Reſurrectionis ſingulis ſigillatim diebus. pag. 146

Cap. I. Not. in Dom. Paſch. Reſur. ibid.

Art. I. De inſtitutione & obſervantia Paſchæ. ibid.

Qu. I. Quid ſit Paſcha? ibid.

Qu. II. Quis feſtum Paſchæ inſtituerit? pag. 149

Qu. III. An feſtum Paſchæ celebrandum ſit ſub gravi præcepto; & utrum unico die, vel pluribus? pag. 150

Qu. IV. An, ad celebrandum Paſcha, attendenda ſit certa, ac fixa dies hebdomadæ vel potius Menſis, ut ſit e. g. in Nativitate Domini, in Myſterio Incarnationis &c.? pag. 151

Qu. V. Qua die hebdomadæ Paſcha ſit celebrandum? ibid.

Qu. VI. In qua Dominica Paſcha ſit celebrandum? pag. 153

Interrog. 1. Quare Eccleſia in celebratione Paſchæ obſervet regulas prædictas? ibid.

Interrog. 2. Ex cujus ſtatuto prædictæ regulæ ſint ſervandæ; & an ſub gravi præcepto? pag. 156

Inter. 3. An prædictæ Conſtitutiones, & leges, celebrandi Paſcha, obligent omnes fideles, in quibuſcumque Orbis partibus degentes? ibid.

Art. II. De Horis Canonicis. pag. 157

Art. III. De Miſſa. pag. 158

Qu. I. An, & quale peccatum ſit, ſi a Celebrante in Miſſa omittatur ſequentia: item Præfatio: *Communicantes*, & *Hanc igitur*: propria quando occurrunt in Miſſa, & dicantur ordinaria, ſeu communia? pag. 160

Qu. II. Si quis oblitus ſit, dicere ſequentiam, quando dicenda eſt, aut Præfationem propriam, aut *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria, vel quid ſimile extraordinarium, an deinde, ubi adverterit, ſe omiſiſſe, debeat hæc dicere, & ſupplere? pag. 164

Qu. III. Utrum in Dom. Reſur. liceat celebrare Miſſam mox poſt mediam noctem: ſtante opinione illorum Doctorum, qui ſuſtinent, Miſſam, quæ nunc celebratur in Sabbato Sancto mane, fuiſſe olim celebratam in Dominica Reſurrectionis mox poſt mediam noctem? p. 167

Art. IV. De Communione. ibid.

Art. V. De functionibus Pontificalibus. ibid.

Art. VI. De Exequiis recenter Defunctorum. pag. 168

Art. VII. Not. tempore Interdicti localis generalis. pag. 169

Qu. I. Utrum nomine feſtivitatis Paſchalis, in qua ſuſpenditur quo ad Divina Officia Interdictum locale generale, veniat ſolus primus dies, nempe ſola Do-

Dominica Reſurrectionis? pag. 166

Qu. II. Quandonam in prædictis feſtivitatibus incipiat, deſinatque ſuſpenſio Interdicti? pag. 167

Qu. III. An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſit ingredi Eccleſiam in feſtivitate Paſchali, & aliis ſimilibus in quibus ſuſpenditur Interdictum? pag. 170

Qu. IV. An in feſtivitate Paſchali, tempore Interdicti localis generalis, poſſit, & debeat adminiſtrari Sacramentum Euchariſtæ pro præcepto Paſchali? p. 171

Qu. V. Utrum tempore Interdicti localis generalis, in illis diebus, in quibus conceduntur Divina Officia, licitum ſit, ſepelire in loco ſacro laicos, non habentes privilegium ſepulturæ ſacræ: & an publice, & cum ſolita funebri ſolemnitate celebrare Exequias liceat Defunctorum? ibid.

Art. VIII. De Indulgentiis. pag. 177

Art. IX. Not. in feſto S. Marci occurrenti in die Paſchæ. pag. 178

Art. X. De benedictione Agni in Paſcha, & Ovorum. ibid.

Qu. I. Cur in Paſchate benedicantur Agnus, & Ova? pag. 179

Qu. II. Utrum poſſit benedici Agnus, non ſolum in fruſta conciſus, ſed etiam integer? pag. 180

Qu. III. Utrum Oſſa, & carnes Agni benedicti debeant religioſe tractari; unde non liceat, dare canibus, aut projicere in loca immunda? pag. 181

Qu. IV. Utrum Ovis benedictis debeatur religioſus aliquis reſpectus, ex quo non poſſint ipſa Ovorum putamina projici in fimetum? pag. 182

Qu. V. Utrum liceat ſolemniter benedicere Ova in Paſchate, & Agnum Paſchalem tempore Interdicti? ibid.

Art. XI. De benedictione menſæ, & gratiarum actione. ibid.

Art. XII. De quadam vana obſervantia in Dominica Paſchæ. pag. 183

Cap. II. Not. Fer. II. poſt Dominicam Reſur. ibid.

Art. I. De Horis Canonicis. ibid.

Art. II. De Miſſa. ibid.

Art. III. Not. in feſto S. Marci occurrenti in feria II. Paſchæ. pag. 184

Art. IV. De functionibus Pontificalibus. ibid.

Art. V. De Exequis recenter Defunctorum. ibid.

Cap. III. Not. feria III. poſt Dominicam Reſurrectionis. ibid.

Art. I. De Horis Canonicis. ibid.

Art. II. De Miſſa. ibid.

Art. III. Not. in feſto S. Marci occurrenti in feria III. Paſchæ. pag. 185

Cap. IV. Not. fer. IV. poſt Dom. Reſurr. ibid.

Art. I. De Horis Canonicis. ibid.

Art. II. De Miſſa. ibid.

Cap. V. Not. Fer. V. poſt Dom. Reſurrectionis. pag. 186

Art. I. De Horis Canonicis. ibid.

Art. II. De Miſſa. ibid.

Cap. VI. Not. in Fer. VI. poſt Dom. Reſurrectionis. ibid.

Art. I. De Horis Canonicis. ibid.

Art. II. De Miſſa. ibid.

Cap. VII. Not. in Sab. poſt Dom. Reſur. quod eſt Sabbatum in Albis. p. 187

Art. I. De Horis Can. ubi cur, hoc Sabbatum vocetur in Albis. ibid.

Art. II. De Miſſa. pag. 189

Art. III. Not. pro benedictione menſæ, & gratiarum actione. pag. 190

Art. IV. De formis cereis, quæ vulgo vocantur *Agnus-Dei*. ibid.

Qu. I. Ad quem finem *Agnus Dei* benedicantur, & in quem uſum a fidelibus ſint adhibendi? pag. 193

Qu. II. An prædictis *Agnus Dei* honor, & veneratio debeatur? pag. 195

Qu. III. An hujuſmodi *Agnus Dei* poſſit aliquo depingi colore, aut inaurari ad ornatum, & ſpeciem? pag. 196

Interrog. 1. An prædicta excommunicatio (*lata contra depingentes &c.*) ſit in viridi obſervantia? ibid.

Interrog. 2. An prædicta excommunicatio ſit Pontifici reſervata? pag. 197

Interrog. 3. An cerei *Agnus Dei* poſſint ſaltem ornari; ita tamen ut color, inauratio, aut deargentatio non immediate afficiat ipſam ceram? ibid.

Interrog. 4. An, qui habet *Agnus-Dei* immediate depictos, poſſit eos retinere; & ſi ita offerantur, poſſint acceptari, etiamſi putentur, vel certo ſciantur, fuiſſe ſine licentia Papæ depicti? pag. 198

Qu. IV. An *Agnus-Dei* poſſit vendi p. 199

Digitized by Google

Qu. V. An aliis, præter Clericos in ſacris, liceat hos *Agnus Dei* tangere immediate, ſeu nuda manu attrectare ceram eorum? pag. 203

Qu. VI. Utrum, ſi *Agnus Dei* formam deperdat impreſſam, aut exiguas frangatur in partes, conſecrationem, & ſanctitatem amittat? pag. 204

Interrog. I. Utrum Indulgentia in quavis *Agnus-Dei* parte, ſi hic habeat Indulgentiam ſibi affixam: rumpatur autem in plures partes: atqueadeo Indulgentia multiplicetur pro numero particularum, in quas *Agnus Dei*, ſive caſu, ſive data opera, tactus fuerit? pag. 206

Interrog. II. In quanam igitur *Agnus-Dei* fracti parte maneat Indulgentia? ibid.

Qu. VII. Si quis ceram ſacri *Agnus-Dei* liquefaciat, & miſceat cum alia cera non benedicta, an tota cera fiat benedicta, & conſecrata? ibid.

Interrog. An id etiam licite fiat? Videlicet, an ceræ ſacri *Agnus-Dei* liquefactæ liceat miſcere aliam ceram non benedictam? pag. 207

Qu. VIII. Si quis ex cera ſacrorum *Agnus-Dei* conficeret candelas, vel quid ſimile, utrum peccaret? ibid.

P A R S III.

L I B R I V.

Quæſtione morales, Inſtitutiones Eccleſiaſticæ ſacrique Ritus notandi a Dominica in Albis, ſeu a Dom. I. poſt Paſcha uſque ad Dom. Pentec. pag. 209

P A R S I.

Not. in genere a Dominica in Albis incluſive uſque ad Dominicam Pentecoſtes excluſive. pag. 210

Cap. I. De Horis Canonicis. ibid.

Cap. II. De Miſſa. pag. 216

P A R S II.

Not. a Dom. in Alb. incl. uſque ad Sab. ante Dominicam Pentecoſtes ſingulis ſigillatim hebdomadis. pag. 218

Cap. I. Not. in hebdomada I. poſt Octavam Paſchæ. ibid.

Art. I. Not. in Dom. in Albis, ſeu prima poſt Paſcha. ibid.

Sect. I. Cur hæc Dominica vocetur in Albis? Ubi de recolenda quotannis ſuſcepti baptiſmi memoria. ibid.

Sect. II. De Horis Canonicis. pag. 222

Sect. III. De Miſſa. pag. 224

Sect. IV. Not. pro præcepto Paſchali. ibid.

Art. II. Not. Fer. II. poſt Dominicam in Albis. ibid.

Sect. I. De translatione Officii, & feſti Annunciationis B. M. V. ad hanc feriam. ibid.

Sect. II. Not. in caſu translationis Officii S. Marci Ev. & ſimul SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi. pag. 225

Sect. III. Not. pro præcepto Communionis Paſchalis. ibid.

Sect. IV. De celebratione Nuptiarum. ibid.

Art. III. Not. Fer. III. poſt Dominicam in Albis. ibid.

Sect. un. De translatione Officii, & feſti S. Benedicti Ab. ad hanc diem. ibid.

Art. IV. Not. Fer. VI. poſt Dominicam in Albis. pag. 226

Sect. un. De Horis canonicis. ibid.

Cap. II. Not. in hebdomada II. poſt Octavam Paſchæ. ibid.

Art. un. Not. in Dom. II. poſt Paſcha. ibid.

Sect. un. De Hor. Canon. ibid.

Cap. III. Not. in Hebdomada III. poſt Octavam Paſchæ. ibid.

Art. un. Not. in Dom. III. poſt Paſcha. ibid.

Sect. un. De Hor. Canon. ibid.

§. I. De Officio Patrocinii S. Joſeph. ibid.

§. II. De Officio S. Raphaelis Archangeli. ibid.

Cap. IV. Not. in Hebdomada IV. poſt Octavam Paſchæ. pag. 228

Art. un. Not. in Dom. IV. poſt Paſcha. ibid.

Sect. un. De Hor. Canon. ibid.

Cap. V. Not. in Hebdomada V. poſt Octavam Paſchæ. pag. 229

Art. I. Not. in Dom. V. poſt Paſcha. ibid.

Sect. un. De Hora celebrandi Miſſam. ibid.

Art. II. Not. Fer. II. poſt Dom. V. Paſchæ: hæc eſt Fer. II. in Rogationibus. pag. 230

Sect.

Digitized by Google

Sect. I. De inſtitutione, & obſervantia Rogationum. ibid.
Qu. I. Quænam ſint hujuſmodi Rogationes, & a quo, & ad quid fuerint inſtitutæ? ibid.
Qu. II. An ſit obligatio jejunandi in diebus Rogationum? pag. 232
Interrog. An, ubi adeſt conſuetudo abſtinendi a carne in Rogationibus, aut etiam jejunandi, obliget ſub gravi? pag. 234
Qu. III. An tribus diebus Rogationum ſit quotidie obligatio gravis recitandi Litanias Sanctorum? pag. 235
Qu. IV. Utrum in diebus Rogationum ſit obligatio audiendi Miſſam, & a ſervilibus abſtinendi? ibid.
Sect. II. De Horis Canonicis. p. 236
Sect. III. De Litaniis minoribus, & Proceſſione. pag. 237
Sect. IV. De Miſſa. pag. 239
Sect. V. De Indulgentiis. pag. 240
Art. III. Not. Fer. III. poſt Dom. V. Paſchæ: hæc eſt Feria III. in Rogationibus. pag. 241
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 242
Qu. An facienda ſit in Miſſa feſti duplicis primæ cl. commemoratio feriæ III. & IV. Rogationum? ibid.
Art. III. Not. Fer. IV. poſt Dom. V. Paſchæ: hæc eſt Feria IV. in Rogationibus, & Vigilia Aſcenſionis. pag. 244
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 245
Sect. III. De benedictione menſæ, & gratiarum actione. ibid.
Art. V. Not. Fer. V. poſt Dom. V. Paſchæ: in Aſcenſione Domini. pag. 246
Sect. I. Not. in Feſto Aſcenſionis Domini. ibid.
Subſ. De inſtitutione, & obſervantia Feſti Aſcenſionis. ibid.
Qu. I. Quis hoc feſtum inſtituerit? ib.
Qu. II. Quare hoc feſtum non habeat diem fixam menſis, ſed hebdomadæ? ib.
Qu. III. Quæ ſit congruentia feſtivitatis hujus? pag. 247
Sub. II. De Hor. Canon. ibid.
Subſ. III. De Miſſa. pag. 248
Subſ. IV. Not. pro Cereo Paſchali. ibid.
Subſ. V. De Functionibus Pontificalibus. pag. 149
Subſ. VI. De Exequiis Defunct. ibid.
Subſ. VII. De Indulgentiis. ibid.
Subſ. VIII. De benedictione menſæ, & gratiarum actione. pag. 250
Subſ. IX. Not. pro Jubileo Anni Sancti. ibid.
Sect. II. Not. infra Octavam Aſcenſionis, ſeu uſque ad Pent. in genere. ib.
Subſ. I. De Horis Canon. ibid.
Subſ. II. De Miſſa. pag. 251
Art. VI. Not. Fer. VI. poſt Dom. V. Paſchæ, infra Octavam Aſcenſ. p. 253
Sect. un. De Horis Canonicis & Miſſa. ibid.
Art. VII. Not. in Sabbato poſt Dom. V. Paſchæ, infra Octavam Aſcenſionis. ibid.
Cap. VI. Not. in Hebdomada VI. poſt Octavam Paſchæ. ibid.
Art. I. Not. in Dom. VII. poſt Paſcha, infra Octavam Aſcenſ. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. pag. 254
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Art. II. Not. Fer. VI. poſt Dom. V. Paſchæ, infra Oct. Aſcenſ. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. III. Not. Fer. V. poſt Dom. VI. Paſchæ, in Octava Aſcenſionis. pag. 255.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Art. IV. Not. Fer. VI. poſt Octavam Aſcenſ. ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 258
Art. V. Not. in Sabbato poſt Octavam Aſcenſ. in Vigilia Pentecoſtes. ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Officiis, ſeu functionibus Sabbati in Vigilia Pentec. pag. 259
Sect. III. De Miſſa. pag. 261
Subſ. I. De Miſſa ſolemni. ibid.
Subſ. II. De Miſſa privata. pag. 263
Sect. IV. De Reſidentia Epiſcoporum. pag. 264
Sect. V. De Indulgentiis. ibid.
Sect. VI. De Jejunio. ibid.
Qu. Utrum in hoc jejunio ob lætitiam Pentecoſtes liceat ſumere Collationem duplo majorem ut in Vigilia Nativitatis Dominicæ? pag. 267
Sect. VII. De benedictione menſæ, & gratiarum actione. ibid.

PARS

P A R S II.

PARTIS IV. LIBRI V.

Not. in genere in Triduo Pentecoſtes, poſt Triduum infra Oct. pag. 271
Cap. I. Not. in Triduo Pentecoſtes in genere. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Sect. III. Not. tempore Interdicti localis generalis. pag. 272
Cap. II. Not. poſt Triduum Pentecoſtes infra Octavam in genere. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.

P A R S III.

PARTIS IV. LIBRI V.

Not. in Hebdomada Pentecoſtes ſingulis ſigillatim diebus. pag. 273
Cap. I. Not. in Dominica Pentecoſtes. ibid.
Art. I. De inſtitutione, & obſervantia Pentecoſtes. ibid.
Qu. I. Quid ſit Pentecoſte? ibid.
Qu. II. Quodnam illud ſit Feſtum in Pentecoſte celebrandum: ſeu in hac die quinquageſima poſt Paſcha? pag. 274
Qu. III. Qua die hebdomadæ Pentecoſtes Feſtum ſit celebrandum? pag. 275
Qu. IV. Quare celebretur Feſtum Pentecoſtes? ibid.
Qu. V. Quis Pentecoſtes Feſtum inſtituerit? pag. 276
Qu. VI. An feſtum Pentecoſtes celebrandum ſit ſub præcepto: & utrum unico, vel pluribus diebus. pag. 277
Art. II. De Horis Canonicis. pag. 278
Art. III. De Miſſa. ibid.
Art IV. De functionibus Pontificalibus. pag. 279
Art. V. De Exequiis Defunctorum. ib.
Art. VI. Not. tempore Interdicti localis generalis. ibid.
Cap. II. Not. Fer. II. poſt Dom. Pentecoſt. pag. 280
Art. I. De Hor. Canon. ibid.
Art. II. De Miſſa. ibid.
Cap. III. Not. Fer. III. poſt Dom. Pentec. ibid.
Art. I. De Hor. Canon. ibid.
Art. II. De Miſſa. ibid.
Cap. IV. Not. Fer. IV. poſt Dom. Pentec. quæ eſt Feria IV. quatuor temporum Æſtivorum. ibid.
Art. I. De Horis Canon. pag. 281
Art. II. De Miſſa. ibid.
Art. III. Not. pro Collatione Ordinum pag. 282
Art. IV. De Jejunio. ibid.
Art. V. De Indulgent. ibid.
Cap. V. Not. Fer. V. poſt Dom. Pentec. ibid.
Art. I. De Horis Canon. ibid.
Art. II. De Miſſa. ibid.
Cap. VI. Not. Fer. VI. poſt Dominica Pentec. quæ eſt Fer. VI. quatuor temporum Æſtivorum. ibid.
Art. I. De Horis Canonicis. ibid.
Art. II. De Miſſa, Ord. Indulgent. Jejun. pag. 283
Cap. VII. Not. in Sabbato poſt Dom. Pentec. quod eſt Sabbatum quatuor temporum Æſtivorum. ibid.
Art. I. De Horis Canon. ibid.
Art. II. De Miſſa. ibid.
Art 3. De benedictione menſæ. p. 284
Art. IV. De Salutatione B. Virginis ad pulſum campanæ. pag. 288

L I B E R VI.

Sacri Ritus Inſtitutiones Eccleſiaſticæ Morumque Diſciplina.

Not. poſt Pentecoſtem.

Seu a Dom. I. poſt Pentec. uſque ad Sab. ante Dom. I. Adventus, in quo Eccleſiaſticus clauditur Annus. pag. 289

P A R S I.

Not. in genere a Dom. I. poſt Pentec. uſque ad Sab. ante Dominicam Advent. pag. 290
Cap. I. De Horis Canon. ibid.
Cap. II. De Miſſa. pag. 292

PARS

Digitized by Google

P A R S II.

L I B R I VI.

Not. certis hebdomadibus, atque diebus poſt Pentecoſt. pag. 293
Cap. I. Not. in Hebd. I. poſt Pentec. pag. 294
Art. I. Not. in Dom. I. poſt Pentec. ibid.
Sect. I. De inſtitutione, & obſervantia Feſti SS. Trinitatis. ibid.
Sect. II. De Horis Canon. pag. 297
Sect. III. De Miſſa. pag. 298
Sect. IV. Not. in Eccleſia ubi celebratur Octava SS. Trinitatis. ibid.
Art. II. Not. Fer. II. poſt Domin. I. Pentec. pag. 299
Sect. un. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Art. III. Not. Fer. IV. poſt Domin. I. Pentec. pag. 300
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Jejunio. ibid.
Sect. III. De Indulgent. pag. 301
Art. IV. Not. Fer. V. poſt Domin. I. Pentec. ibid.
Sect. I. Not. in Feſto SS. Corporis Chriſti. ibid.
Subſ. I. De inſtitutione, & obſervantia Feſti. ibid.
Qu. I. Quis inſtituerit ſolemnitatem hujuſmodi? pag. 302
Qu. II. Quæ congruentia inſtitutionis feſtivitatis hujus, ſolemnitatiſque prædictæ? pag. 503
Qu. III. Quare hæc ſolemnitas celebratur in feria V. ibid.
Qu. IV. Cur potius non celebretur in Feria V. Cœnæ? Cum Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in ultima Cœna paſchali *pridie quam pateretur*.
Qu. V. Quare hoc feſtum translatum fuerit in hanc feriam poſt Octavam Pentecoſtes? pag. 304
Subſ. II. De Horis Canonicis. ibid.
Subſ. III. De Miſſa. pag. 305
Subſ. IV. Not. pro adminiſtratione Communionis. pag. 306
Subſ. V. De Exequiis Defunctorum. ibid.
Subſ. VI. De Indulgentiis. ibid.
Subſ. VII. De Expoſitione Euchariſtiæ, & Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti. pag. 309
§. I. Quod jus faciendæ hodie Proceſſionis ſpectat privative ad Cathedralem, ſeu Eccleſiam digniorem. ibid.
§. II. Quod hodie non poſſit exponi publice SS. Sacramentum, niſi in Cathedrali, ſeu Eccleſia digniori. pag. 311
§. III. De ritu expoſitionis, & depoſitionis SS. Sacramenti in ſolemnitate Corporis Chriſti. pag. 313
§. IV. Ad quem ſpectet Euchariſtiam deferre in Proceſſione Corp. Chriſti? ibid.
§. V. De ritu, & cæremoniis in Proceſſione ſervandis. pag. 315
§. VI. De transferenda Proceſſione ſolemni in caſu impedimenti. pag. 322
Subſ. VIII. Not. tempore Interdicti localis generalis. pag. 323
Subſ. IX. De Reſidentia Epiſcoporum. pag. 324
Sect. II. Not. infra Octavam SS. Corporis Chriſti in genere. ibid.
Subſ. I. De Horis Canon. ibid.
Subſ. De Miſſa. pag. 326
Subſ. III. De Expoſitione, & Proceſſione SS. Sacramenti. pag. 328
Subſ. IV. De Indulgentiis. pag. 331
Art. V. Not. Fer. VI. infra Octavam Corporis Chriſti. ibid.
Sect. un. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Art. VI. Not. in Sabbato infra Octav. Corp. Chriſti. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. II. Not. in Hebd. II. poſt Pent. ibid.
Art. I. Not. in Dominica II. poſt Pentec. quæ eſt infra Octav. Corp. Chriſti. ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Subſ. II. De Miſſa. pag. 332
Subſ. III. De Proceſſionibus SS. Sacramenti. ibid.
Art. II. Not. Fer. IV. poſt Domin. II. Pentec. quæ eſt infra Octav. Corp. Chr. pag. 334
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. III. Not. Fer. V. poſt Domin. II. Pentec. quæ eſt Octava Corporis Chriſti. pag. 335
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 336

Sect.

Sect. III. Not. pro Proceſſione SS. Sacramenti. ibid.
Art. IV. Not. Fer. VI. poſt Dom. II. Pentec. poſt Octavam Corporis Chriſti. pag. 337
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. Not. pro lectione Bullarum, & Decretorum Pontific. de celebratione Miſſarum. pag. 342
Cap. III. Not. in Hebdomada III. poſt Pentec. ibid.
Art. un. Not. in Dom. III. poſt Pentecoſt. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Cap. IV. Not. in Hebdomada V. poſt Pentecoſt. ibid.
Art. un. Not. in Dom. V. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Hor. Canon. ibid.
Cap. V. Not. in Hebdomada VI. poſt Pentec. pag. 341
Art. un. Not. in Sabbato poſt Dom. VI. Pentec ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. VI. Not. in Hebdomada VII. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica VII. poſt Pentecoſt. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. VII. Pentec. pag. 342
Sect. un. De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Cap. VII. Not. in Hebdomada VIII. poſt Pentec. pag. 343
Art. I. Not. in Dominica VIII. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. VIII. Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. VIII. Not. in Hebdomada IX. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica IX. poſt Pentecoſt. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. IX. Not. in Hebdomada X. poſt Pentec. pag. 344
Art. I. Not. Not. in Dominica X. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Dom. X. Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. X. Not. in Hebdomada XI. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica XI. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Dom. XI. Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. XI. Not. in Hebdomada XII. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canonicis. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XII. Pentec. pag. 345
Sect. un. De Horis Canon. ibid.
Cap. XII. Not. in Hebdomada XIII. poſt Pentec. ibid.
Art. un. Not. in Dominica XIII. poſt Pentec ibid.
Sect. un. De Hor. Canon. ibid.
Cap. XIII. Not. in Hebdomada XVII. poſt Pentec. ibid.
Art. un. Not. pro Feriis quatuortemporum Autumnalium. ibid.
Cap. XIV. Not. in Hebdomada XXII. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica XXII. poſt Pentec. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Art. II. Not. Fer. II. poſt Dom. XXII. Pentec. pag. 346
Sect. I. De De Hor. Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Art. III. Not. Fer. VI. poſt Dom. XXII. Pentec. pag. 317
Sect. un. De Horis Can. ibid.
Art. IV. Not. in Sabbato poſt Domin.
Sect. un. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Cap. XV. Not. in Hebdomada XXIII. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica XXIII. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XXIII. Pentec. ibid.
Cap. XVI. Not. in Hebdomada XXIV.

poſt

poſt Pentecoſt. pag. 348
Art. I. Not. in Dominica XXIV. poſt Pentec. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XIV. Pentec. ibid.
Cap. XVII. Not. in Hebdomada XXV. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica XXV. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XXV. Pentec. ibid.
Cap. XVIII. Not. in Hebdomada XXVI. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Dominica XXVI. poſt Pentec. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XXVI. Pentec. ibid.
Cap. XIX. Not. in Hebdomada XXVII. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Domin. XXVII. poſt Pentec. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XXVII. Pentec. pag. 350
Cap. XX. Not. in Hebdomada XXVIII. poſt Pentec. ibid.
Art. I. Not. in Domin. XXVIII. poſt Pentec. ibid.
Sect. un. De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sabbato poſt Domin. XXVII. Pentec. ſeu ultimo poſt Pentec. ante Dominicam I. Adventus. ibid.
Sect. I. De Horis Canon. ibid.
Sect. II. De celebratione Nuptiarum. pag. 351
Sect. III. De fine Anni Eccleſiaſtici.

F I N I S.

Tractatus Secundi
Diarii Liturgico-Teologico-Moralis,

ERRATA				CORRIGE
Pag.	col.	lin.		
340	2	7	Sect. 1. Noct.	Lect. 1. Noct.
—		29	Sect. 1. Noct.	Lect. 1.

Sub prælo eſt
Tomus ultimus totius Diarii
h. e.
Appendix
Complectens Notanda vage per Annum
Sive Eccleſiaſticum ſive Civilem.

Digitized by Google